ANTONII SAPORTÆ, CONSIL. MEDICI,

& Profess. Regij, celeberrimæque Vniuersitatis Medicæ Monspel. olim Cancellarij Amplissimi,

DE TVMORIBVS praeter naturam, LIBRI QVINQVE.

Ex instructissima Bibliotheca RANCHINIANA *eruti, & publici iuris facti, cura, & studio* HENRICI GRAS, *Philosophi & Medici, Doctoris Monspeliensis & Practici Lugdunensis Aggregati.*

Accessit IOANNIS SAPORTAE Tractatus de Lue venerea.






LVGDVNI,
Sumptibus PETRI RAVAVD, via Mercatoria sub signo S. Petri.

M. DC. XXIV.

Cum Priuilegio Regis.



Viro vere Viro
D.D. FRANCISCO
RANCHINO, Conſiliario Medico & Profeſſori Regio; celeberrimæque Vniuerſitatis Medicæ Monſpelienſis Cancellario Ampliſſimo, S.



IBRI, *æterna vigentis animi ſeduliqque monumenta, pari fato penitus intur; quo liberi magna re-iſcentis identidem familiæ*

pignora ſeminantur. Vtroſque tenellos adhuc & nouellos, paterna cura; nouercali Mortis vmbra, legúmue ſeueritate ſæpius anticipata deſtituit. Sic apud Lacones olim partus nutriendi ius genitori non erat: ſed eum in Leſchen deportare cogebatur, ibi ex Tribulibus ſedentes Maiores explorabant, num corpus foret εὐπαγὲς ϗ ῥωμαλέον, *tunc èducari curabant; ſin minus ad Apothetas, locum ſecus Taygetum præruptum ac præcipitem haud grauatim ablegabant: rati, vitam eius, cui ſtatim ab initio concinnam atque decoram*

compo

compositionem natura denegauisset, neque sibi vtilem, neque Reipublicæ commodam esse posse. Iste verò fœtus, qui iam beneuolentiæ tuæ singularis illecebris allectus, tibi se totum emãcipat (RANCHINE CELEBERRIME) *vtramque fortunam expertus est: vix dum enim perfectus atque maturus, orbatus est parente; mox in tuam clientelam receptus, acre tuum iudicium subiit; verùm non exclusus, sed in familiam Medicam suffragio tuo honorificentissimè ascitus est. Non potuit felicioribus vnquam auspiciis ad-*

 optari

optari: proindeque nec debuit ab inuidentium venenatis morsibus, vindicis alterius patrocinio se tutari. Comiter igitur eum excipe & protege; meque tui studiosissimum amare perge. Vale. Datum Lugduni Francorum, Kal. Aug. 1624.

T. A. T. C. A.

HENRICVS GRAS,
Philosophiæ & Medicinæ Doctor.



SYLLABVS CAPITVM QVÆ IN HIS QVINque libris continentur.

XX. De

XLI. De

LIBER SECVNDVS.

† VIII. Her

LIBER TERTIVS.

IX. *De*

† 2. XXXV.

LIBER QVARTVS.

V. De

LIBER QVINTVS.

SYLLABVS CAPITVM TRACTATVS DE LVE VENEREA.

Priuilege

Priuilege du Roy.

LOVIS par la grace de Dieu Roy de France & de Nauarre. A nos amez & feaulx les gens tenans nos Cours de Parlement de Paris, Thoulouze, Roüen, Bourdeaux, Dijon, Aix, Grenoble & Bretaigne, Baillifs, Preuosts & Seneschaux desdits lieux, & à tous autres Officiers, Salut. Receu auons l'humble supplication de nostre bien amé PIERRE RAVAVD, Marchand Libraire de nostre ville de Lyon, disant qu'il a recouuert plusieurs Traictez en Medecine, asçauoir *Francisci Ranchini Iusiurandum Hippocratis. Pathologia vniuersalis. Tractatus de Crisibus. Tractatus de morbis puerorum. De morbis virginum. De senum conseruatione, & senilium morborum curatione. De morbis subitaneis. Antonij Saporta de tumoribus præter naturam.* Et encores, *les leçons en Pharmacie dudit Ranchin, où se void en suitte les Commentaires sur les Canons de Mesué, le Traicté des simples medicamens, le Traicté des venins, & metaux.* Tous lesquels Traictez le suppliant desireroit imprimer ou faire imprimer tant en langue Latine, comme l'autheur les a composez, que par versions qu'il en pourroit faire faire par personnes capables: mais il doute que autres Libraires & Imprimeurs que luy, ne luy voulussent faire

le sem

le ſemblable, & le fruſtrer par ce moyen de ſes labeurs,frais & deſpens, ſous ombre de quelque particuliere addition, verſion & traduction, ou autre couleur dont ils pourroyent prendre pretexte, au grand preiudice dudit expoſant, ſi par nous ne luy eſtoit pourueu, & permis imprimer iceux Traictez. Pour ces cauſes deſirant iceluy expoſant n'eſtre fruſtré de ſes labeurs, frais & deſpens, luy auons par ces preſentes permis & permettons pouuoir imprimer ou faire imprimer, & mettre en lumiere, vendre & diſtribuer par tout noſtre Royaume & terroir de noſtre obeïſſance, tous les ſuſdits Traictez en Medecine, & verſion d'iceux en François, en toutes les formes & marges qu'il verra bon eſtre, faiſans tres-expreſſes inhibitions & defenſes à tous autres de quelque qualité ou condition qu'ils ſoyent, ou puiſſent eſtre, d'imprimer ou faire imprimer, vendre & diſtribuer leſdits Traictez & liures, ny meſme ſoubs pretexte de quelque verſion & traduction, addition, changement, ou quelque autre forme, & deſguiſement que l'on voudroit prendre,& y apporter en quelque maniere que ce ſoit ny en Latin, ny en François, ſinon de ceux qui auront eſté imprimez & feront faits par ledit Rauaud, & de ſon conſentement, pour le temps & eſpace de ſix ans entiers,à compter du iour que leſdits liures & Traictez auront eſté acheuez d'imprimer en Latin & en François. Declarant

clarant dés à present comme pour lors, tous les autres exemplaires de quelque maniere qu'ils soyent, ou puissent estre, acquis & confisquez audit Rauaud, qu'il pourra faire saisir par les Officiers de Iustice en quelques lieux qu'ils puissent estre trouuez, nonobstant oppositions ou appellations quelconques, & sans preiudice d'icelles. Voulons en outre que les contreuenans soyent condamnez aux despens, dommages,& interests dudit Rauaud, & de deux mille liures d'amende, moitié à nous applicable,& l'autre audit exposant, comme contreuenans & infracteurs de nostre vouloir & intention. Si vous mandons, & à chacun de vous commettons endroict soy, si comme à luy appartiendra, que de nostre present priuilege & de tout le contenu en iceluy vous faites & souffriez iceluy suppliant ioüir & vser plainement & paisiblement, ensemble ceux qui auront charge de luy, & à ce faire, souffrir & obeyr contraignez tous ceux qui pour ce seront à contraindre par toutes voyes deües & raisonnables. Et en mettant par ledit suppliant au commencement ou à la fin desdits liures & Traictez le contenu ou extraict du present Priuilege, voulons qu'il soit deüement signifié. Et à la charge qu'iceluy Rauaud mettra deux exemplaires desdits liures & Traictez en nostre Bibliotheque, à peine de descheance du fruict du present Priuilege. Car tel est nostre plaisir. Donné

à Paris

à Paris le 26. iour de Mars, l'an de grace mil six cens & vingt quatre, & de nostre regne le quatorziesme.

Par le Roy en son Conseil,

PERROCHEL.

Acheué d'imprimer le 17. iour d'Aoust 1624.

DE



DE AGNOSCENDIS CVRANDISVE TVMORIBVS PRÆTER naturam.

AVTORE
ANTONIO SAPORTA *Doctore Medico Cancellario Academiæ Medicorum Monspessuli, & Professore Regio.*

LIBER PRIMVS.

CAP. I.

MOrbi humanum corpus obsidentes (quod est medicatiuæ artis subiectum) aut sunt intemperaturæ similariũ partium, aut vitiatæ cõpositiones dissimilarium & organicarum, aut solutæ continuitates vtrisque com-

munes. De intemperatura & eius differentiis dicere primum non est nostri instituti, neque de continui solutione, (de iis enim nonnulla seorsum scribere instituimus,) sed de tumore præter naturam externas partes diuexante, à quo vitiata compositio sensibus sese offert. Hic autem non à carnis copia, quam Græci πολυσαρκίαν, vel πολυσωματίαν vocant, qualis contigit Nicomacho Smirnæo (quem ab Æsculapio curatum fuisse traditur,) neque à pinguedinis mole, aut ossium eluxationibus, sed ab humore, aut à substantia humori congenere nomen magis proprium desumpsit. Nam in carnoso genere ipsius profectò carnis tumor alius est, alius humorum: carne scilicet humiditate superflua, lanæ cuiusdam, aut spongiæ instar impleta. In eo igitur de quo agimus tumore succus aliquis subsistit, cuius tradenda est nobis definitio. Nam à definitione eius ipsius de quo disputatur, iuxta Philosophi sententiam, rectè auspi

auſpicabimur. Mox quod definitione erit explicatum, in ſuas differentias diuidemus. Tandem cauſas, notas, & prognoſtica ſubiiciemus. Denique ſingulis capitibus particularem curandi rationem aperiemus, non ſolùm ex antiquorum monumentis, ſed noſtris experimentis decerptam.

Tumor igitur præter naturam, ſiue moles ea quam Græci ὄγκον vocant, vbi partes à naturali habitu in quantitate receſſerunt, non ſolùm in longum, latum & profundum, dimenſio eſt, ſed morbus ex triplici morborum genere compoſitus, intemperie ſcilicet, vitiata compoſitione, & ſoluta continuitate. Cùm enim in aliquam corporis partem vitioſus decubuit humor, ſua intemperatura ſimilares partes labefactans, illarumque ſpatia replens atque diſtendens, triplex genus morbi excitat, nó ſeparatum, ſed ita coniunctum, vt vnico curationis ſcopo, nempe euacuatione ipſa, tollatur. Quæ tria morbo-

rum genera, magnitudine æqualia, tumoris præter naturam partium functiones ſenſibiliter lædentis, eſſentiam conſtituunt.

Mauritanorum Medicorum Interpretes, & qui horum veſtigia ſunt ſecuti, id quod Græci ἀπόςημα, Latini abſceſſum vocant, cum tumore perperam confuderunt, cùm luce meridiana clarius ſit, apoſtema ſpeciem, tumorem verò genus eſſe: quod vberiùs in ſermonis diſcurſu explicabitur. Apoſtema illi in ſequentem definierunt modum. Eſt tumor præter naturam, in quo aliqua materia membrum replens & diſtendens, eſt aggregata. Quæ certè definitio vt ſatis craſsè tradita eſt, ita tumori præter naturam potiùs quàm apoſtemati eſt aſcribenda. Nam apoſtema maximā partium quæ prius ſe inuicem contingebant, diſtantiam & ſpatium, à flatuoſæ, aut putridæ materiæ concurſu factum, nobis indicat; quod medicarum definitionum autor his verbis ſcriptum

ptum reliquit. Est apostema mutatio corporis ex inflammatione in pus. Sed fit & ἀπόστημα, quando humores loco quem priùs infestabant relicto, in alium confluunt, tumorem præter naturam facientes. At in omni tumore, humorem qui illius est causa, computrescere minimè oportet. Quod facile videre est in ea phlegmone, cuius tumor digesto humore euanescit.



De Tumorum differentiis.

CAP. II.

TRadita tumoris præter naturam definitione, nunc tempestiuum est vt tumores in suas differentias secemus. Horum igitur triplex est differentia. Tumores à priscis οἰδήματα vocati, vel cum dolore sunt, quos recentiores Medici inflammationes nominant, vel doloris sunt expertes & duri, σκίρρους Græci dicunt; vel molles, qui οἰδήματα propriè

dicuntur. Cúmque differentiarum nonnullæ à membris, à ſymptomatis, à rei ſubſtantia, vel à materia petantur: magis tamen propriæ ſunt quæ ab efficiente cauſa deſumuntur, vt de febrium differentiis loquens fecit manifeſtum Gal. Ergo quemadmodum quatuor eſſe humores conſtat: ita quatuor primæ ac generales tumorum differentiæ rectè conſtituentur, quarum cùm prima ſit phlegmone, ex fluxione ſanguinea obortus tumor, huius & omnium ſuarum ſpecierum definitionem, cauſas, indicia, curatiuam methodum hoc libro trademus. Quæ ſub phlegmone continẽtur ſpecies, ſunt phlegmone eryſipelatodes ex ſanguine & bile, phlegmone œdematodes ex ſanguine & pituita, phlegmone ſcirrhodes ex ſanguine & melancholia conſtans. Ad phlegmonas quoque ſpectant Dothienes ſiue furunculi, bubones, phygetla, phymata, therminti, carbunculi, gangrenæ, ſphaceli, ſiue ſyderationes,
vuæ

vuæ gurgulionis, tonsillæ, glandularum ac faucium paristmia,& partium quæ in pharynge consistunt inflammationes, parulides, thymi, condylomata, epulides, ecthymata, βάτραχος siue Ranula, quam Paulus phlegmonodem tumorem vocat, Aneurisma; de quibus suo loco disseremus.

Ex biliosa defluxione alter præter naturam tumor originem trahit, ἐρυσίπελας Græcis, ignis sacer Latinis, Dino Florentino Auicennæ Interpreti spina dictus. In erysipelatis genere sunt, Erysipelas phlegmonosum, œdematosum & scirrhosum, herpes nomen generis obtinens, herpes exedens, herpes miliaris, phlyctenæ, morbilli, siue exanthemata, ὑδρῶα, id est, sudamina ex biliosi humoris feruore, papulæ, iniucundissima affectio lichen, siue mentagra, & pruriginosa tubercula.

Tertiam tumoris speciem committit œdema, quod morbus est, non autem tabis, cachexiæ, aut hy-

dropis ſymptoma. Huius verò origo duplex, vel ex ſola & tenui pituita, vel ex hac, aliis humoribus permixta, vt modò œdema phlegmonodes, œdema eryſipelatodes, œdema ſcirrhodes dicatur. Referuntur quoque ad œdemata hydrocephalos, aquoſus tumor, hydrocele, tympanias, aſcites, leucophlegmatias, achores, pituitæ ſalſæ & aluminoſæ ſoboles, phlyctenæ, ſtrumæ, ganglia, calli cornua, priapiſmus & ſatyriaſmus, tametſi vltimæ ſpecies propriè inflationes eſſe cenſeantur.

Quartam atque vltimam tumoris ſpeciem complet ſcirrhus exquiſitus, durus & doloris expers tumor. Illegitimus ſcirrhus ex atra bile alteri humori permiſta, ſcirrhus phlegmonodes, eryſipelatodes, œdematodes, & is qui ex phlegmone, eryſipelate, œdemate, impendio refrigeratis, prouenit. Ad hanc ſpectant Cancer, Polypus, Pſora, Lepra, Satyriaſmus, Elephas, & malum à neotericis vocatum

mor

mortuum, ipsáque Hispanica lues.

Porrò scirrho sunt vicina ecchymomata, melasmata, varices, mariscæ, ionti siue vari, myrmeciæ, acrochordones, ganglia, psydraces, polypi, scirrhus insuper albus, à resiccata pituita originem trahens. Sunt & aliæ tumorum differentiæ, non ab humoribus, sed à rebus aliis desumptæ, vt Epiplocele, Enterocele, Enteropiplocele, Cirsocele, Bubonocele, & omnes alii testium tumores (quos celas vocant) Exomphalos, Sarcocele, Thymi. Abscessus præterea sunt ex tumorum genere, vt ἀθερώματα, στεατώματα, & mellicerides, de quibus quinto præsentis operis libro agemus. Sunt præter hos alij perniciosis vlceribus copulati, quales sunt qui phagedinica, χειρώνια Thelephia vlcera comitantur, de quibus (cum vlceribus profligatis, profligentur & ipsi) hic à nobis nulla fiet mentio.



De Tumorum causis.

Cap. III.

Causam eam esse ad quam aliquid sequitur, ab Aristotele lib. de Physica auscultatione secũdo traditũ est, & ab omnibus Philosophis confirmatum. Et quamuis in quatuor genera causam Philosophi diuidant, efficientis tamen potissimum ratio Medicis est habenda. Causa autem omnium tumorum præter naturam efficiens, duplex statuitur: humorum scilicet ad aliquam corporis partem defluxus; aut illorum successiua in parte coarceruatio. Ad ῥεῦμα siue defluxionem concurrit propellentis partis robur, fluentis materiei copia, meatuum, venarum & arteriarum, per quos fluxura est materia, laxitas & amplitudo, expellentium angustia, & loci fluxionem excipientis situs inferior. Cùm enim sanguis ad aliquam corporis sedem

ſedem defluit, primò per arterias & maiores venas delabitur, quo ipſæ replentur & extenduntur, poſt quas & mediocres & minores repleri contingit; tandem capillares quæ prius noſtris ſenſibus erant occultæ, ita replentur, vt humor ex venarũ oſculis egreſſus, & ſe in membri poros inſinuans, tumorem præter naturam pariat. Cuius rei teſtis locupletiſſimus eſt Galenus. Tumores itaque à calido humore profecti ab humoris fiunt confluxu, & aliis frequentius accidunt. Qui à frigido pendent, coaceruata ſenſim in poris materia, ab altricis, vel alteratricis facultatis, aut excretoriæ imbecillitate ſcaturiunt. Nam quando alteratrix partis facultas labefactata, non poteſt totum quod attraxit alimentum conficere, & expultrix quod oneroſum eſt expellere, tumorem contrarium ei qui per defluxionem fit, generationem habentem relinquit. Vterque à cauſis procatarcticis, aut euidentibus, non debitè no-

ſtro corpori occurſantibus, contuſione ſcilicet, ruptione, vulnere, luxatione, & omnibus his quæ caloris aut doloris vi fluxionem excitant, ſcaturīt. Corporeas quoque antecedentes vocant, quæ in alias corporeas, morbiſque immediatas, continentes appellatas, degenerāt. Quamdiu.n. præſentes ſunt in partibus aggregati, atque infarcti humores, tamdiu tumores perſeuerāt, quibus euaneſcentibus & ij finiuntur. Quippe ſic à Gal. eſt definita continens cauſa. Quæ cum præſens eſt, eius quoque adeſt morbus, cum verò tollitur, etiam morbus euaneſcit.

1. de locis affectis cap. 1.



De Tumorum temporibus & indiciis.

CAP. IV.

SI quis tumorum tempora, καιροὶ à Græcis vocata (quæ duplicia, ſunt morborum ſcilicet & remediorum) negligat,

non

non poterit vera methodo tumores ipsos profligare. Sunt autem temporum siue causarum motionis, pæsertim tumoris salubris differentiæ quatuor, initium videlicet, incrementum, vigor summus & declinatio. Rursus hæc latitudinem obtinentia, in vniuersalia, totam morbi constitutionem, & in peculiaria, particulares accessiones metientia, diuiduntur. Tumorum præter naturam vniuersalia tempora, à tribus potissimum rebus designantur. A tumoris scilicet essẽtia, materia, dispositione, & symptomatis, curandi rationem maximè immutantibus. Tunc tumoris principium iudicabis, quando fluere humor & pars distendi incipit cum dolore exiguo. Adaucta tumoris moles, affectique loci repletio, ac symptomatum quæ tumorem sequi solent augmentum, incrementi est nota. Cùm omnia ad summum vigorem peruenêre, neque amplius crescere possunt, status est indicium. Declinationem

tunc

tunc adesse agnoscimus, quando omnia symptomata cum tumoris mole imminuuntur, vel tumorem faciens humor in aliam substantiã mutari incipit. Solent enim tumores humoris digestione, vel suppuratione, aut ad scirrhosum tumorem conuersione, vel laborantis particulæ corruptione (quæ omniũ pessima est terminatio) finiri: quæ Galeni est sententia. Cæterum tumores naturam, motumque eorum humorum à quibus scaturiunt, sequuntur. Phlegmone ipsa cum à sanguine, quantitate omnes humores excedente gignatur, ægrotantem æqualiter diuexat; quoto quoque die & certis ipsius horis œdema à pituita profectum: alternis verò diebus erysipelas à biliosa fluxione ortum: quarto quoque die scirrhus à melancholico succo originem trahens, exacerbatur.

lib. de inæqual intẽp.

Horũ autem humorum motus, & recursus causam abundè demonstrauit Galenus & Arabs Auicenn. Dissoluitur tumor si leuius, deficiente

lib. de differẽtiis feb. 1. fen. 4. cano.

ciente pulsatione, sentiatur membrũ. Hunc in suppurationem verti existimabis, calore, pulsatione, & dolore adauctis. Nã circa puris generationem, scribente in Aphorismo Hipp. dolores & febres, &c. Tumorem in scirrhosam duritiem abire pollicẽtur, huius diminutio, remanẽte duritia particulæ laborãtis. Corruptionem testantur liuidus nigerque color, & fœtor insignis, qui magnæ putredinis soboles existit. Porrò vniuersales tumorũ summa corporis occupantiũ notæ, à partis præstantia & sensibus ipsis sunt petendæ. Cùm enim in trinam dimensionem naturalem statum excedentem attollitur mẽbrum, cui humor, aut aliqua quæ ad humorem reduci potest substantia, ansam suppeditat, tale tumore præter naturam diuexari nemo ibit inficias. 2. Aph.

Sed vt tumoris species exactè possint deprehendi, aliis particularibus notis (de quibus in priuatis capitibus differemus) erit vtendũ.

Vniuer

Vniuersalia enim (vt disciplinarum
Arist. 1. Phys. ordo efflagitat) cùm particularibus
sint communiora, primo loco tractari debent. Et quamuis rarò tumores à sinceris humoribus dependeant (nam qui in venis continentur simul sunt commixti) curationem tamen simplicium & sincerorum persequemur, ex qua compositorum atque implexorum curatio facilè perspicietur.



De vniuersali tumorum curatione.

CAP. V.

IN medendis præter naturam tumoribus, sicuti & in aliis omnibus morbis necessarias esse indicationes, à Gal. in tota medendi methodo est traditum. Est enim indicatio, vt de præstantissima Medicorum secta ad Thrasib. scriptum reliquit, auxilij comprehensio, vnà cum noxij perceptione, siue obser-
3. meth. meden- di. uatione, vel ratiocinatione incidēs. Vel, indicatio est agendorum insinuatio.

nuatio. Præcipua igitur rustico ac plebeio cognita indicatio, (quæ est veluti totius curationis carcer & principium) à tumoris essentia, quæ quid sit agendum nobis ostendit, est desumenda. Et cùm omnis tumor à plenitudine proficiscatur, & quicunque à plenitudine facti sunt affectus euacuatione (docente in Aph. Hipp.) sanentur: vt illum profligemus, erit euacuatione vtendum. 2. *Aph.*

Iam verò quibus præsidiis euacuationẽ moliamur, accersẽdæ nobis sunt aliæ indicationes soli rationali Medico cognitæ. Sed prius ne methodum curatiuam confundamus, tumorem per defluxum, ab eo qui per successiuam coaceruationem fit, separabimus, ac prioris, frequentiúsque accidentis remedia scribemus. Tres itaque nobis in curandis tumoribus qui per influxum fiunt, proponuntur scopi, quorum primus prophylacticen, siue præcautionem comprehendit. Nã cùm isti tumores fiunt defluente in locum

cum materia, hanc auertemus venæ ſectione, ex diſtante & contraria parte (quam antiſpaſticã vocant) facta, præſertim ſi corpus plethoricũ ſit. Quod ſi cacochymia illud infeſtauerit, purgatoriũ medicamentũ (quod nõ ſolùm euacuando, ſed reuellẽdo humori eſt aptiſſimũ præſidiũ) præſcribemus. Reuellit quoque menſiũ & hæmorrhoidũ prouocatio. Sanguinis miſſionẽ emolliens, inteſtinaque eluens clyſter, aut eccoproticum aliquod medicamentum (quale eſt ex caſſiæ fiſtularis medulla aut catholico paratum) præcedere debet: extrahendi ſanguinis quantitatem ex viriũ robore (quas in omni euacuatione cõſulere debemus) æſtimabimus. A plethora hominem vindicabis cum frequenti balneo, exercitatione, multaque frictione, cum inedia probaque inſtituta victus ratione. Si labẽtibus viribus ſanguinis miſſionem reformides, curbitularum vſus, vel grauis vinculorum in extremis partibus nexus erit ſaluberrimus.

rimus. At meminisse semper oportet Hippocratis dogmatis, vt κατ' ἴξιν auersio fiat. *lib. 4. de ratio. victu in acutis.*

Non solùm itaque phlegmonum quæ in generatione sunt, fluxionem iam dictis modis auertemus: sed repellentibus medicamentis illam intercipiemus. Sunt autem ἀποκρουστικὰ siue repellentia medicamenta ἐπισπαστικοῖς, hoc est, attrahentibus contraria. Quæ cùm frigida sint ac crassam consistentiam habeant fluentem in locum phlegmone tentatum, humorem ad partes altas impellunt. Sed danda est opera ne his ante plethoræ (si qua sit) solutionem vtaris. Repellentia non solùm phlegmones generationem & incrementum, sed abscessus, maligna vlcera, febres, dolores, multaque corporis vitia compescunt: qualia sunt oxycratum, lactucæ, adstringentiumque herbarum succus, bolus armenia, sanguis draconis, & alia permulta, de quibus suis locis fusiùs agemus. Hæc *Gal. 5. de facul. S. Me.*

fluxio

fluxionem inhibent, & incipienti tumori sunt admouenda. Cumque in eo, de quo agimus tumore, fiens & factum reperiatur, medentis consilium duplex esse
13. *meth. med.* debet. Aliud, quod tumorem fieri prohibet, quodque quamuis non curet, ipsum tamen fieri præpedit: aliud, quod iam factum confirmatúmque curat, & discutit. Est enim rei præsentis curatio, futuræ verò præcautio.

Hac igitur methodo tumori qui in generatione est, medebimur, vt quamdiu in locum fluit humor, tamdiu repellentibus vtamur: defluxum verò & parti impactum humorem, qui illius continens est causa, insensibiliter vel perspicuè euacuemus. Fluit autem per initia & incrementa humor. Erit igitur his temporibus repellentiũ vsus salutaris. Hæc verò antequam admoueamus, erit accuratè animaduertẽdum ne tumor laxas & adenibus obsessas partes (quas emũctoria vocãt) occupet: vel

à peſtilenti venenatóque humore ſcaturiat,vel denique ex illarũm ſit inflammationũ numero, quæ morbos iudicare ſunt ſolitæ. Tunc certè his tumoribus repellentia medicamenta aduerſiſſima ſunt, quæ initio aliorum tumorum ſincera admoueri debent, præſertim ſi hos per defluxum fieri contingat. Digerentia (ſed inæqualiter apocrouſticis mixta) quando ad tumoris incrementum ventum erit, ſunt ex vſu. In ſummo vigore æqualiter miſceri debent. In ipſa declinatione diaphoretica ſola à repellẽtium ſodalitio priuata ſunt adhibenda, potiſſimùm ſi digeſtioni pareat humor. Quod ſi diſcuti non poſſit, ad vſum pus mouentium tranſeundum erit, vt vberiùs quinto præſentis operis libro oſtendemus.

Porrò ad ſecundum ſcopum properandum eſt, qui anodynorum, id eſt, dolorem ſedantium, & intemperiem profligãtium, vſu completur. Accedunt ad hæc naturales

mea

meatus relaxantia, per quos pars expurgari ſolebat. Sunt autem ἀνώδυνα παρηγορικὰ vel πραΰντικὰ duorum generum. Nam quædam reuera talia ſunt, quæ cum tenui ſubſtantia primo ordine calfaciunt, & non multò calidiora quàm quæ ſymmetra ſunt, euacuant, rarefaciunt, extenuant, concoquunt, nihil adſtrictionis habentia. Et quamuis dolorem leniant, affectum tamen non curant, id enim commune eſſe omnium quæ curant, docet Galenus, quibus quodammodo ſimilia ſunt ἄκοπα, id eſt, laſſitudinem auferẽtia. Dolores igitur anethino, chamæmelino, oleo dulci, & ætate medio, è lini & altheæ ſemine leniuntur. Sunt & alia quæ dolorem ſedant, quia cauſæ repugnãt, ex quorum numero eſt oleum roſaceum, vbi à calore commotus eſt dolor, oleum ſuſinum & laurinum, vbi à frigore. Aliud eſt genus illorum quæ ναρκωτικὰ & ὑπνωτικὰ vocantur, eaque ſtupefacto ſenſu dolorem conquieſcere faciunt.

ciunt. Hæc nisi magna exposcente necessitate, & aliorum vsu præcedente, admouenda non sunt: vt mandragoræ, & alterci oleum, vel papaueris lacryma.

Tertium verò scopum absolues, humorem tumorem excitantem à loco euacuando. Quod digerentibus & diaphoreticis præstabis, nōnunquam repellentibus, præsertim si humorē tenuem & paucum, & in paruis vasis adhuc contineri existimes. Tumori à calido & tenui humore excitato diaphoretica mitia, ἀραιωτικὰ vocata, adhiberi debent. Suspecta habentur acria, nisi à frigido succo genitus sit præter naturam tumor. Quippe quæ humoris parte tenuiori euacuata, remanentem lapidescere faciunt, & scirrhum excitant. Diaphoretica sunt, chamæmelinum oleum, è lini semine, aqua calida, butyrū, oleum dulce. His fortiora oleum sicyonium, ricininum, & nucum, de quibus in priuatis capitibus fusiùs differemus. Tumores facti ab humore

Gal. 13. Method.

more ſenſim coaceruato in parte qui in principio ſunt, apocrouſticis humorem ad altas partes tranſmittentibus iuuantur: quæ adſtringentem & exiccantem facultatem habeant oportet, vt non ſolùm tumoris præpediatur incrementum, ſed humor parti impactus (hac validiore effecta) diſcutiatur: quorum ſyluam tertio libro tredemus.



De Phlegmone.

Cap. VI.

Poſteaquam ſermonem vniuerſalem de tumoribus præter naturam abſoluimus, tẽpeſtiuum eſt, vt de ſingulis eorum differentiis particulatim diſſeramus, principium à phlegmone facientes, quod frequenter (docente Gal.) ob humoris à quo gignitur, copiam accidat, & vehementiſſima atque periculoſiſſima ſymptomata excitet: cuius ſignificatum duplex

13. Meth. 2. ad Glau.

duplex eſt. Nam quandoque efferueſcentiam, & partis inſignem caliditatem, veluti membri febrem nobis repræſentat, (vnde ſolebant veteres, docente Paulo Ægineta, omnes inflammationes phlegmonas appellare) de qua hoc loco agere minimè decreuimus, ſed de ea quæ à ſanguine, mediocrem ſubſiſtentiam nacto, & quantitate à naturali habitu deflectente, generiſque nomen obtinente, naſcitur. Non enim ab intercluſo duntaxat ſpiritu fit, quod illius ſectio oſtendit: minuſque à ſola ſanguinis fuſione, rarefactione, aut feruore: vt in aqua aliiſve humoribus efferueſcentibus. Ergo à recenti & noua influente ſubſtantia, à laborante membro ſuſcepta fit. Neque carnis multitudo (quam polyſarciam vocant) phlegmones eſt cauſa. Nam ſi maior carnis copia in corpore conſtituatur, maior tumor euadit. Color tamen corporis, aut partis in ſanitatis terminis remanet. Polyſarciam aliquando in cor-

pore gigni ſenſus ipſe indicat, Gal. 1. de morborum cauſis oſtendente. Partium magnitudo augetur facultate valente & materiei vtilis multitudine. Caro verò à cauſis contrariis minuitur. Quod in virginum mamillis & multorum hominum teſtibus experimur: præſertim quando vires naturâ validæ ſunt, & adeſt materiei laudatæ copia. Atque hic affectus (quamuis tumor maior quàm pro naturali conſtitutione euadat) nō eſt phlegmone, eo quod in phlegmone non ſolùm eſt mutatio ſecūdum quantitatem, ſed ſecundum qualitatem, quia pars cū tenſione & pulſatorio dolore multo eſt, calidior quàm antea eſſet, & magis rubra efficitur. Vbi autem ſolius eſt ſubſtantiæ incrementum, nec vllus apparet dolor, nec priſtinus membri color mutatur, polyſarcia eſt, non autem phlegmone, quia ſubſtantiæ incrementum, non eſt coloris mutationis cauſa, vt luculenter lib. de tumoribus præter naturam Galenus,

de

de pice & niue loquens, ostendit. *lib. de bubone pestilēti.*
Quare constat Phlegmonem ipsā ex solo carnis incremento fieri nō posse, & eam à polysarcia differre. Phlegmonem itaque in legitimam & illegitimam diuidemus. Legitimę naturam iam aperuimus; illegitima autem à sanguine vitioso, ac ob putredinem κακοήθειαν adepto oritur, vt Anthrax, siue carbo (quē falsò cum Auicenna Guido Cauliacensis sacrum ignem nominauit) & magna illa inflammatio gangræna vocata.

Ex sanguine igitur quatuor tumorum differentiæ nascuntur: aut ex sincero & sola quantitate à iusta naturæ lege deflectente, fit vera atque legitima phlegmone, vt iam dictum est. Et quamuis tumores rarò ab vnico humore nascantur; (nam qui in vasis continentur succi simul sunt mixti;) nihilominus vt dilucidior sit doctrina, à simplicibus auspicanda erit methodus curatiua: qua cognita, illorum qui à composito humore trahunt ori-

ginem, facilè notitiam nobis parabimus. Ex sanguine aliis humoribus permixto fiunt tres species, vt phlegmone erysipelatodes, si sanguini mixta sit bilis: phlegmone œdematodes, si pituita: scirrhodes, si melancholia: ex phlegmone & erysilepate mixtus affectus erit, si horum humorum par sit quantitas.

Gal. 2. ars ad Glauco.



De Phlegmones causis.

CAP. VII.

QVæ phlegmonas veras atque legitimas excitare possunt, causæ duæ sunt, procacarcticæ & internæ. Procatarcticæ, vt casus, vulnus, lassitudo, quam magna attulit exercitatio, luxatio, catagma siue fractura. Alimenta calida, sanguinémque adaugentia, ac omnia quæ partem aliquam debilitant & calfaciunt, externæ causæ habentur: quæ quamuis sanguineam inflammationem immediatè non pariant,

riant, ad illius nihilominus generationem corporeas causas irritando, atque mouendo, magnam vim habent. Sed corpoream vnicam, nempe fluxionem ipsam, Gal. statuit. Internas duas Guido Cauliacensis ponit, quem dilucidioris doctrinæ gratia hoc loco sequi decreuimus, alias antecedentes vocitans, alias coniunctas, & ita morbo copulatas, vt quamdiu præsentes sint, tamdiu is & permaneat & præsens sit. Quod à Francisco Valeriola doctissimo Medico, scitè ac luculenter fuit demonstratum. Sanguinis probi & inculpati exuperantia venas replentis, & distẽdentis, ad dolore tentatam & debilitatam partem vel plus iusto excalfactam fluentis, causa est antecedens: vbi tandem compingitur atque impactus manet, tumorem excitans, eius continens est causa. Phlegmones generatio ex Gal. est perspicua.

2. ad Glauc.

tract. 2. doct. 2.

lib. Medic. obseruа.



De Phlegmones indiciis.

Cap. VIII.

Phlegmone nonnunquam latētes atque abditas corporis partes occupat, continentes febres adferens, quæ cùm obſcuras notas habeat, acri iudicio prædito, ac in anatome probè exercitato Medico eget. Sæpe in sũma parte exoritur, conſpicuam illius partem diuexãs, muſculi inæqualis intemperies exiſtens, quæ cùm ſenſibus ſubdita ſit, facilè deprehenditur. Nam partium externarum affectus (ſcribente Mauritano Auerrhoë) ſeipſos & ſuas cauſas produnt; Internarum verò morbi notis indicantibus egent.

Gal. 1. de loc. affectu.

De inæq. intemp. Gal.

Veræ ac legitimæ phlegmones notæ ſunt, tumor, vel partis incrementum ſupra naturalem habitum, vehemens calor, adeò vt membrum comburi videatur, rubor, qualis eſt qui à balneis, vel igne

igne excitatur, dolor pulſatiuus ab arteriarum diaſtole partem inflammatam feriente, ſcaturiens, in parte eximio ſenſu prædita tenſio, non ſolùm à Medico, ſed ægrotante deprehenſa cum renitentia. Corpora puerorum, adoleſcentiúmque, ſanguineum temperamentum nacta, plethorica, aſſuetos labores aſſuetaſque euacuationes negligentia, calidas inſuper & humidas regiones incolentia, huic affectui ſunt maximè obnoxia. Phlegmone quatuor habet tempora, quorum notæ ex quarto capite ſunt requirendæ.



De Phlegmones curatione.

CAP. IX.

SI quiſpiam vera methodo curare proponat phlegmonas incipientes, quæ in genere tumorum præter naturam ſunt, neceſſum eſt vt indicationem ſumat non ſolùm à morbo, ſed

etiam à laborante particula, multas priuatas indicationes complectente: quales sunt illæ quæ à partis natura, viribus, situ, conformatione, aëris constitutione, consuetudine sumuntur, de quibus fusissimè disseruit Gal. lib. 2. ad Glauc.

13. Metho. med. Curationem itaque sic aggrediemur. In primis capienda est indicatio ab eo quod defluit, & iam fluxum est. Hoc curatione, illud præcautione eget. Vt autem hoc exequamur, vtendum erit quatuor scopis, quorum primus nos monet, optimam victus rationem ægroto præscribendam. Secundus, vt humor fluens reuocetur ac retrahatur. Tertius, vt quod parti iam est impactum digeratur & euacuetur. Quartus, vt ratio symptomatum, quæ sæpe phlegmone copulantur, habeatur. Nam hæc nonnunquam eius curandi rationem interpellant atque immutant, Galeno autore. *2. ad Glauc.*

Vt autem primum scopum absoluamus, à nobis monendus erit

ægro

ægrotus, vt in aëre puro, frigido ad ſiccum inclinante, tali natura, vel arte reddito, verſetur, quem poſca, vitium, cannarum, ſalicum foliis, roſis, nympheæ floribus, violis, & id genus ſimilibus refrigerabimus. Admonendus etiam erit, vt à cibis corpus apprimè nutrientibus generoſi ac meracioris vini potu abſtineat: ſed cibis medicamentoſa atque infrigidante facultate præditis vtatur, qui ſanguinem modicum, & eundem frigidum gignere poſſunt. Vini oligophori, præſertim albi (ſi viribus ſit deiectis) & gallinarum, paruarúmque auicularum, cum omphacio, oxalide, atque lactuca, vſus concedetur, & aliorum olerum quæ ſanguinem frigidum gignunt, adminiſtratio erit ſalubris. Immoderata plenitudo cibi ac potus, cum pomeridiano ſomno fugienda. Ad recrementorum excretionem ſollicitanda natura, ſuppoſitis mollibus clyſmatis, vel balanis ex melle cocto paratis. Labo-

res & corporis motus cibos præcedant, non tamen exercenda aut calfacienda pars phlegmone laborans. Frictiones; oppositarúmque partium ligaturæ, modò has totius corporis euacuatio præcedat, vtiles habentur. Sit nulla, aut admodum moderata Venus. Furori, iræ, cæterisque animi pathematis, quæ sanguinem inflammant, parcendum.

Secundum scopum sic exequemur. Si videamus corpus esse plethoricum, & præsentes sint mittendi sanguinis scopi: vel si corpore nequaquam plethorico existente, à casu, percussione, vel alia procatarctica causa excitata sit phlegmone, partis oppositæ venam tundemus, ipsa præsertim inflammatione nondum vrgente. Quod si vrgeat, ad propinqua reuocare oportebit: quemadmodum in angina, ophthalmia, pleuritide, & aliis inflammationibus, quæ præceps remedium efflagitant videre est.

Pro

Procuranda igitur erit illa venæ ſectio, quam Gal. ἀντισπαστικὴν appellauit, membrorum ſemper rectitudine ſeruata; vt, ſi fluxio ad genu feratur, atque id plurimum attollatur, totúmque corpus ſanguine plenum appareat, conſultis priùs viribus, cubiti interiorem aut mediam venam incidere oportet, ſemper fluxionis motum ad contraria reuellendo. Si verò dextrum brachium tentetur, ſecanda erit dextri cruris vena: ſi alterum crus inflammatione laboret, ſecandum erit reliquum. Nam cùm venæ ſectionis triplex dicatur eſſe differentia: quædam enim eſt euacuatiua, quæ humori quieto huc vel illud minimè vaganti debetur: reuulſiua altera, quæ fieri debet quando humor ex vna parte in aliam transfertur, ex oppoſita atque diſtante parte: tertia, quam παροχέτευσιν Græci vocant, nos deriuatiuam, vbi phlegmone ſummam corporis partem occupat, & comitem non habet

De curan. ratio. per venæ ſect.

bet vehementem dolorem ex distante atque oppoſita parte, ſeruata ſemper rectitudine, euacuare nihil prohibet. At vbi phlegmone internam partem, eandémque cordi proximam diuexat, comitémque doloré acerbum habet, vt in pleuritide, reuulſio ex maximè diſtante parte, vt quæ ſtatim neque euacuare, neque dolorem lenire poſſit, non eſt tentanda: multò minus deriuatio, quæ ex proxima fieri debet: ſed ex loco medio, nam tunc reuellimus atque deriuamus.

Hoc in iam nobis propoſito affectu facile eſt videre, in quo propter ſuccingentis inflammatæ mẽbranæ cum corde viſcere præcipuo viciniam, febri, dolore, ſæuiſque pathematis ægrotus diſtorquetur. Tunc enim non tali, aut poplitis venam ſecamus, (nam nullus aut admodum exiguus ex ea vſus oriretur, ſed cubiti iecorariam, aut mediam: tunc enim quia quæ ſecatur pars inflammatæ

eſt,

eſt, oppoſita reuellimus; & quia huic eſt proxima, deriuamus. Eſt igitur in tali affectu, cùm vrget, ſecanda ex mediis partibus vena. Nunquã enim incõmodè fluxionis impetus in contrarium retrahitur. *2. ad Glauc.*

Sed ante ſectionem ſupponendus erit clyſter, aut dãda medicata potio, vt illorum remediorum ope fæces & recrementa, quæ in primis viis continentur, euacuentur. Clyſterem medicatámque potionem in ſequentem modum præſcribemus.

℞. Malu. viol. achantidis, altheæ, mercur. ſing. M. j. quatuor ſem. frig. ma. ſing. ʒ. ij. ſeminis aniſi ʒ. j. prunorum dulcium par. xviij. ſem. lini ℥. j. flor. viol. bugloſſ. nimpheæ ſing. p. j. fiat decoct. De colatura cape quart. vel ℔. j. ß. in qua diſſolue medullæ caſſ. fiſt. ℥. j. diaprun. ſimp. ℥. ß. olei viol. ℥. iij. mel. viol. & ſacch. rub. an. quart. ß. ſali scommunis modicum. Miſce, fiat clyſter, ſupponatur ante ſanguinis miſſionem.

℞. Me

℞. Medullæ ſiliquæ Ægyptiacæ recenter à canna euulſæ ℥.j. vel ʒ.x. cum ſacch. fiat bolus, quem per horam ante prandie tranſglutiunt, vel in hordei decocto diſſoluet, ſi ſorbere malit. Suppoſito clyſmate, aut medicata potione propinata, tundenda erit ſequenti die vena partis oppoſitæ & diſtantis. Quod ſi vires illam non ferant, nimiſque anilis, aut puerilis ætas fuerit, admotis cucurbitulis vel ligaturis, vel frictionibus, vel calfactis partibus contrariis directè affecto loco reſpondentibus humorem reuellimus.

Ad tertium ſcopum tranſeuntes, pro topicis remediis apocrouſtica medicamenta vſurpabimus: ante quorum vſum diligenter erit animaduertendum, ne tumor laxas & adonibus præditas partes diſtorqueat, aut quas principum membrorum emunctoria vocant, neue à venenato ſcaturiat humore, ne etiã à viſcida & lenta ſit materia procreatus; denique ne ex criticarum

inflam.

inflammationum contubernio sit, vt fuit superiùs traditum. Varianda autem sunt iuxta morbi tempora præsidia. Nam si morbus sit in principio, puris & sinceris est vtendum: si in incremento repellentibus & digerentibus inæqualiter: in summo vigore æqualiter mixtis: in declinatione puris discutientibus. Sunt autem repellentia paulo supra patientem particulam applicanda. Quod si humor digeri non possit, ad vsum pus mouentium transeundum est. Commodè itaque in principio inflammationis cataplasmate à Gal. descripto vtemur, quod recipit aizoon, siue semperuiuum maius, malicorium, rhu & polentam in vino decoctam. Hoc enim medicamentum repellit quod influit, & quod iam continetur exiccat, partesque circunstantes confirmat. Polentam, quam Græci ἄλφιτον vocant, probatissimam ex mediocriter tosto hordeo parabimus. Hæc mansa alit, sed modicè, ideoque otiosis,

2. ad Glauc.

otiosis, sedentariamque vitam ducentibus hominibus, non militibus, & his qui corpus maximè exercent dari debet; frigida autem & sicca est primo gradu. Hoc certè remedium probatissimum atque vtilissimum est phlegmone dolori vehementi nequaquam copulatæ. Erit & sequentium præsidiorum vsus salutaris.

℞. aquæ font. ℔. iij. aceti fortiss. ℔. j. misceantur & agitentur fortissimè, admoueatur spongia infecta hoc liquore, vel panniculus lineus duplus madidus loco phlegmone tentato.

Aliud.

℞. succi semperuiui, lactucæ, solani sing. ℥. iiij. santali albi & rubri sing. ʒ. ij. boli armeniæ, sanguinis draconis sing. ʒ. iij. misce, illinatur pars affecta.

Aliud.

℞. folior. populi, polygoni siue corrigiolæ sing. M. ß. terantur diligenter, & cum oleo myrtillorum fiat in modum cataplasmatis.

Aliud.

Aliud.

℞. albuminis ouor.iiij.numero, olei rof. omphacini ℥. iiij. mifceātur fimul, fiat linimentum quod parti admoueto.

Aliud validius repellens.

℞. farinæ hordei ℥.iiij. fucci plantag.aceti fortiff.fing.℥.iiij. fucci lenticulæ aquat.℔. ß.fucci folani ℔.j.decoquantur fimul ad confumptionem vfque fuccorum, fiat in modum cataplafmatis, quod repellit, aftringit & abftergit.

Aliud non minus efficax.

℞. Succi parietariæ ℥.iiij. fucci bechij feu tuffilaginis (vngulam caballinam vocant)℥. ij.olei rof.℥. iij. mifce, fiat linimentum. Animaduertendum hoc præfidij genus de quo proximè verba fecimus,non folùm in principio,fed & in incremento tutò admoueri poffe.Quando phlegmone eft in incremento, quod ex propriis & à Gal. tratraditis notis cognofcemus, vtendum erit præfidiis facultatem mixtam, nempe digerentem & repellentem

lentem habentibus. Deſcribendum nunc medicamentum digerens & repellens.

℞. ſem.lini ℥.j.ß.farinæ hord.℥.ij.florum chamæmeli ʒ.ij.roſ.rub. ʒ.iij. folior. & baccarũ myrti ſing. ℥. ß. Decoquantur omnia diligenter in aceto fortiſſimo & aqua roſarũ, vſque ad horũm liquorũ conſumptionem.Deinde terantur diligenter; miſce poſtea pinguedinis gallinæ ℥. iiij. ol. chamæm. & roſ. an.℥.ij.fiat cataplaſma aut linimentum. Poſſumus etiam vti ſequenti medicamento.

℞.folior. altheæ,maluæ ſing.M.j. fol.abſynthij M.ß.roſ.rub. p.j. flor. anethi & ſambuci ſing. ʒ.ij.farinæ ſem.lini ℥.j.ß. farinæ hordei ℥. iij. coquantur in aqua & pauco aceto, & per colum medicũ transfundantur:adde poſtea olei roſ.℥. iiij. olei chamæm. ℥.ij. pinguedinis gallinæ recentis ℥.ij.ß. miſce,fiat cataplaſma. Quod ſi phlegmone ſit in sũmo vigore,quæ repellunt digerentibus erunt æqualiter miſcenda.

Neque

Neque à Gal. traditum præsidium erit negligendum, quod in sequentem modum parari potest. *2. arcis cura. ad Gl.*

℞. medullæ panis frumentacei ℔.j. mittatur in aquam feruentem, & facta expressione, misce mellis ℥. iij. olei rosacei. ℥. iiij. fiat cataplasma. Vtile etiam erit sequẽs præsidium.

℞. furfuris tritici, farinæ triticeæ sing. ℥.iij. folior. maluæ parietariæ sing. M.j. chamom. ℔.ß. vini ℥. iiij. coquantur diligenter, terantur & per colum medicum transfundantur, & cum ceræ quantitate congrua fiat emplastrum, quod loco affecto admoueatur.

Apparentibus declinantis phlegmones notis sola digerentia affecto loco (si digeri possit humor) erunt apponenda. Quod si perseuerante dolore & calore, febre & pulsatione adauctis, digestioni sit contumax humor, quæ pus mouent medicamenta caloris substantiam & non gradum adaugentia, ex vsu erunt. Et cum inter omnes tumorum præter naturam

cura

curationes melior ſit ea quæ fit per digeſtionem, quod minus naturam infeſtet, hanc in ſequentem modum aggrediemur.

℞. cinerum buccinarum ℥. j. ß. mellis optimi ℥.j.ol.chamom.℥.iij. ceræ quantum ſufficit, fiat vnguentum. Huic negotio vtilis eſt lana hyſopora.

Vtile eſt & ſequens præſidium.

℞. Farinæ fœnugræci, farinæ ſem.lini an.℥.ij.farinæ erui ℥.j.florum chamom. meliloti, ſambuci an.ʒ.j. roſ.rub.℈.iiij.pulueris iridis Florentiæ ℥.ß.decoquantur in ſucco apij & œnomelite vſque ad liquorum conſumptionem. Quibus præparatis adde fæcis olei de lilio ℥. iiij.ol.chamom.℥.ij.fiat cataplaſma, vel addita ceræ debita quantitate fiat emplaſtrum.

Probatur etiam à Gal. emplaſtrum diachalciteos, quod Auicennas colcotar appellauit. Hoc enim in declinatione phlegmones vtile eſt, quia citra dolorem exiccat. Multi emplaſtrum diachylonis mi-

noris

noris ireati commendant. Si iam præscriptis medicamentis phlegmones humor digestioni minimè pareat, properandum erit ad pus mouẽtium medicamentorũ vsum, quæ quamuis phlegmonem propriè non profligent, symptomatis nihilominus maximè conferunt: quod à Gal. luculenter fuit demonstratum. Gignitur enim pus vel ex sanguine, vel contusa carne. Quæ igitur vtilia sunt medicamenta, in sequentem modum sunt præscribenda. *4. Metho. me.*

℞. picis naualis, ceræ citrinæ, sæui hircini & olei an. partes æquales, decoquantur donec vnguenti consistentiam adipiscantur. Hoc medicamentum ab Auicenna & Guidone Cauliacensi chirurgo præstantissimo basilicum fuit vocatum, ab aliis tetrapharmacum à quatuor medicamentorum generibus. Paulus Ægineta colophoniam & thus addens tetrapharmacum Macedonicum vocat. Non minus vtile censetur Galeni præsidium in metho

methodo curatiua ad Glauc. præscriptum, vbi ab ipso monemur vt τῷ ὑδρελαίῳ, hoc est, aquæ & oleo pingui simul mixtis inflammatam partem perfundamus, vel tetrapharmaco molli in sequentem modum parato vtamur.

℞. Farinæ frument. ℔. j. olei communis, aquæ fontanæ sing. partes æquales, coquantur mediocriter. Nã coctio mediocris phlegmone à feruenti humore profectæ prodest, maior verò illi quæ à minus calido succo emergit. Quod si croci quod est pepticum medicamentum & leuis adstrictionis particeps ʒ.j.misceas, vtilius medicamentum experieris.

Aliud.

℞. radicum liliorum alborum, rad. altheæ mundatarum sing. ℥. iiij. foliorum maluæ, senecionis, violarum achanti sing.M.ß. caricarum pinguium, passularum à gigartis mund.sing. pa. x. Quod si is qui phlegmonem committit humor crassior & concoctu difficilis

appa

appareat, huic medicamento adde rad. bryoniæ ℥. ij. coquantur optimè, terantur & per colum medicum transfundantur, addendo farinæ frumenti (quæ hordeacea magis concoquit) farinæ ſeminis lini ſing. ℥. j. ß. adipis ſuilli & gallinæ ſing. ℥. iiij. olei liliorum, chamom. ſing. ℥. iiij. miſce, fiat cataplaſma, & parti dolenti admoueto. Conuerſo iam in puris naturam humore, non ſtatim aperiendus erit tumor ſcalpello, ignito ferro, aut pyrotico medicamento, ſed digerentibus medicamẽtis curationem moliemur, quam cum minimè prodeſſe conſpiciemus, ſecanda erit tumoris mollior & prementibus digitis magis cedens pars, mucronatam & acutam figuram nobis repræſentans. Valido ægroto difficilia & fortia remedia contemnente, ferrum candens parti affectæ adigemus. Moroſi atque imbecillioris hominis membro & ea remedia pertimeſcentis, pyroticum medicamentum, quod καυϛικὸν potentiale

le appellant quale eſt illud ruptorium quod à Iohanne de Vigo non contemnendo chirurgo traditum fuit, adhibebimus, vel huius loco calcem viuam ſaponi & ſaliuæ ieiunæ permixtam. Sunt & alia pyrotica medicamenta à Gal. variis locis tradita de quibus fuſiùs cap. de curatione Anthracis diſſeremus. Sed ante horum omnium vſum ipſiuſque tumoris apertionem, præſertim per ſectionem, contemplandus erit muſculorum ſitus, ne per tranſuerſum tendonem aut neruum ſecemus. Hæc omnia tibi magis perſpicua reddent partis figura, flexus, & illius rugæ. Decliuiore loco vt fiat noxij humoris melior expurgatio, moliri debes apertionem, cuius figura oblonga & folij myrti ſpeciem referens: rotunda coagmentum difficilius recipit. Quod ſi rutilante ferro vel καυτήρια potentiali apertionem aggrediamur, cùm ob inſignem caliditatem dolores excitari ſoleãt; vt phlegmones incrementum & nouam

uam

uam humoris defluxionem impediamus, superiores membri partes per quas potissimum defluere solet humor, illinemus apocrousti-co medicamento, ex oleo; rosato & ouorum albo, oxycrato, vel vnguento ex bolo armenica parato, quod nostri chirurgi defensiuum vocant. Secta iam parte per adustionem procurandus escharæ casus, butyro recenti non salito, basilicone, vel medicamento ex ouorum luteo & oleo, digestiuum chirurgi vocant. Post eius casum ab aqua & oleo erit abstinendu. Quod si vulnus abluere conuenit, hoc mulsa, posca vel vino mulso agendum. A pingui medicamento, quale est Macedonicum, quod tetrapharmacum appellant, omnino abstinere oportet, tunc detergendum & siccandum est vulnus sequentibus præsidiis, præsertim si ῥύπαρον, id est, sordidum sit.

℞. Vnguenti apostolorum descrip. Auicennæ ℥. iiij. linamento retorto excipe & vtere. Solidiori-

bus ſiccioribuſque naturis, vngue
tum quod ex ærugine raſili, alu
ne, melle, aceto fortiſſimo ad ſa
ritatem coctis conficitur (Ægypt
cum vocant) eſt vtile. Molliori
proderit id quod ex duabus pa
bus baſiliconis & vna apoſtolor
paratur.

Aliud.

℞. Succi apij mellis roſati co
ti ſing. ℥.iij. farinæ tragij ſiue ſ
ltæ, farinæ hordei an. ℥.ij. coqu
tur donec lentam conſiſtenti
acquirant, addes terebinthinæ (
tiſſimum ſi vlcus neruoſam part
tentet) quantum ſufficit. Iuuan
quoque partis robori non inut
erit abſynthij ſuccus. Si ex vom
genito vlceri copulata ſit cal
intemperies, ſuccum plantagi
præcedentibus medicamentis m
cere oportebit. Si gangrænæ
magnæ corruptionis aduentum
formides, myrrham troglotic
præcedentibus præſidiis miſceb
Poſt humoris ſordidi deterſione
ab ea quæ remanet cauitate capi

da eſt indicatio, adiectionem & ſimilis quæ periit ſubſtantiæ generationem expoſcente. Quam ſarcoticis ſemper in primo limite ſiccis reſpectu partis cui admouentur abſoluemus. De quibus cum à Gal. doctè & amplè ſit diſputatum, & à nobis alio loco ſint tradita, ne noſtri inſtituti cancellos egredi videamur, hoc loco minimè differemus. Quod ſi genitum ab abſceſſu vlcus inflammationis non ſit particeps, quæ exiccant & cicatricem inducunt, Epulotica vocata ſunt apponenda. Deligendum ex calcite emplaſtrum, cui duplam calcitidis quantitatem miſcebis, quod durum eſſe non debet, ſed adſtringente oleo mollius factum. Nam quæ dura ſunt emplaſtra phlegmonõn reliquias contrahunt, & rurſus phlegmonas in ægra parte excitant. *2. ad Glauc.*

Ad quartum ſcopum properantes, neceſſum eſt vt quæ inflammationi copulata ſunt ſymptomata, quæ legitimum curationis ſcopum

2. ad Glauc. præuertunt, docente Gal. sopian
& mitigemus. Ex horum num
sunt, febris, quæ frigida & hum
victus ratione profligatur: do
vehemens inflammationem ad
gens, ægrotum miserè distorqu
& corporis vires conuellens.
igitur grauiori cum dolore de
xio affligit chalasticis partem
laxantibus, pusque mouenti
medicamentis, vt aqua calida, ol
cataplasmate ex triticea farina
rato non erit vtendum. Nam
metsi leuamentum quoddam
templo adferre videantur, de
xionem nihilominus adaugẽt. I
loris itaque vehementiam ex pa
rosaceo & pauca cera cum his
quata confecto medicamento
mur, aut lana succida plurim
œsipi habente, frigida æstate,
pida hyeme. Huic etiam nego
vtile erit cataplasma de arnogl
so, ex lenticula, pane & rosaceo
ratum & supra affectum locum
mouenda erit spongia vino ace
imbuta: aut aqua frigida cui a
mor

momentum miſcere non erit inutile. Phlegmonem verò vehementi dolori copulatam, & à cauſa procatarctica genitam calfacere & humectare modicè, & humorem ad ſuppurationem ducere ſequentibus præſidiis ex vſu erit.

℞. vitellorum ouorum recentium num. ij. olei roſati quantum ſufficit, ducantur ſimul & probe miſceantur, fiat linimentum.

℞. medullæ panis ſiliginei ℔.j. infundatur in aquam feruentem, & parum decoquatur, & facta forti expreſſione miſce vitellos ouorum recentium ij. num. lactis caprini ℥. iiij. croci ʒ.j.

℞. rad. altheæ ℥.j. malu. violar. ſing. M.ß. florum chamom. roſ. rub. ſing. p.ß. decoquantur optimè, piſtentur diligenter & per colum medicum transfundantur. Addes butyri recentis ſine ſale ℥. iiij. olei roſ. vel viol. ſing. ℥. iij. fiat cataplaſma. Quod ſi horum præſidiorum opera dolor non conquieſcat, tranſeundum erit iuxta Galeni ſenten-

 tiam

tiam ad narcoticorum medican
torum vsum, quæ quamuis pa
ſenſum ſtupefaciendo dolorem
propriè mitigent, his nihilomi
vt ægroti viribus conſulamus
doloribus confectum mori non
tiamur, vti cogimur. Sed cum
ſint admodum frigida calfacie
medicamenti ſodalitio, qualc
vinum, chamæmelum, crocus
ſtoreum, ſpica nardi, nunquam
uari debent. In ſequentem ig
modum narcoticum medican
tum dolorem leniens & ab o
bus chirurgis commendatum
ficiemus.

℞. fol. hyoſchiami albi M.
coquantur obuoluta ſtupis m
factis ſub prunis, poſtea piſte
& axungiæ ſuillæ ſine ſale mi
tur adiecto croci momento,
enim medicamentū doloris v
mentiam retundit & pus mo
pus enim mouentia duorum
generum, alia modicè calida &
mida, tenacem conſiſtentiam
bentia per ſe, alia frigida ſtupe

inducentia & affectæ partis calorem retundentia, per accidens pus gignunt: quod ſanè ab Arnaldo Villanouano fuit diligenter obſeruatum: ait enim lactucam coctam & parti tumore præter naturam calido tentatæ ſuperpoſitam, ſaniem facere. Cogimur nonnunquam ante humoris perfectam maturitatem ſcalpello partẽ phlegmone obſeſſam ſcarificare, præſertim cum membro ita impactum & copioſum cernimus, vt oborto iam ſubnigro colore, periculum ſiderationis immineat. Scalpello igitur vitioſus ſanguis euacuatur, & humoris copia oppreſſus calor reſpirationem habet. Lauandæ poſtea ſcarificationes aqua ſalita, & admouendum emplaſtrum ex farina fabacea, aut eruina cum oxymelite cocta. Hæc omnia fuſius capite de gangrenæ curatione trademus.

De Dothiene, siue Furuncu

C A P. X.

EST & parua phlegmone, nec locum affectum, causâ quæ illam excita tam apertè repræsentat, δοθιὴ Græci, Latini furunculum app lant. Qui Arabum sunt vestigia quuti, aldemenil vel clauum no nant. Non enim furunculi χοιράδες siue strumæ, vt aliqui fa existimarunt. Huius duplex genus statuit Galenus, aliud fur culorum, aliud varorum. Ex sin humore, nempe sanguine emerg & per vniuersum corpus grass tur, sed aliqui duri, callosi & æ concoctiles sunt: aliqui infla mati: in quibus etiam aliquan febres & grauia symptomata co sistunt, ipseque tumor in magni dinem excrescit, & in pus transn tatur. Mitis furunculus in sola te apparet, peruicax autem n

lignusc

lignuſque concretis in carne radicibus in ſuperficiem erumpit. Dignoſces id cum tactu, tum viſu, locum circumquaque & furunculum tractans.

Celſus furunculum tuberculum acutum eſſe cum inflammatione & dolore, maximéque vbi iam in pus vertitur, ſcribit: qui vbi apertus eſt & exiit, ſuperapparet pars carnis in pus verſa, & pars corrupta ſubalbida, aut ſubrubra, quam ventriculum quidam furunculi nominant. In eo nullum eſt periculum, etiamſi nulla adhibeatur curatio. Sed dolor efficit vt potior medicina ſit quæ maturiùs liberet. A ſanguine craſſo, at non admodum calido originem trahit: & cum genito & expreſſo pure nulla alia curatio neceſſaria ſit, magnum negotium Medico faceſſere non poteſt. Solet enim natura à Medico minimè adiuta exiguos morbos vincere, quæ non eſt medicaminibus infeſtanda, niſi cum morbo nimium atroci dominari nequit.

lib. 5. ca. 28.

Gal. de de loc. affect.

Itaque in phlegmonoſo furu
culo, vbi in corpore ſubeſt pleni
do, à venæ ſectione, modò mitt
di ſanguinis præſentes ſint ſc
ſatius eſt ordiri, & vinum mod
bibere. Si impurum & cacochy
ſit corpus pro noxij humoris na
ra catharcticum medicament
propinabimus. Pro topicis re
diis Auicennas triticum à iei
homine diligenter maſticatum
ſuperpoſitum, furunculos matu
tradidit. Cùm enim hic tu
abſceſſum ſapiat, emollienti
concoquentibus & diſcutient
profligatur. Maturari ſolet em
ſtro diachilonis, mollior effi
medicamento ex melle coct
ſarcocolla confecto. Vuæ p
quibus acini ſunt exempti, cu
le tritæ ac illitæ furunculum
cutiunt ac rumpunt. Hoc e
præſtant ficus pingues diſſecta
fermentum cum nitro, vel lin
men cum melle, & in vehe
dolore, alterci folia trita cu
tyro. A futuro furunculo & à

1. primi fen.

tis aliis morbis à ſanguine melancholico excitatis, hæmorrhoidum prouocatio liberat. De exiguis tuberculis, cum ſint morbi mites, qui ab ipſa natura facilè vincuntur & curantur, ſine Medici opera, hoc loco non differemus. Ad alios itaque tumores tranſeundum erit, à bubone incipiendo.



De Bubone.

CAP. XI.

BVbones, phymata, phygethla, adenum eſſe inflammationes à Gal. traditum *2. ad Glauc.* eſt. Bubo pro vera phlegmone vſurpatur, principum partium emunctoria diuexans, quæ adenibus fluentem humorem facile retinentibus, & propultricem facultatem imbecillam habentibus conſtant, ſunt enim præſtantium partium velut cloacæ. Peſſimi ſunt *2. Aph. Hipp.* qui aſſiduas febres comites habēt: mites qui ephemeras. Eſt enim

adenum natura spongiosa,
& pinguis, neque illorum caro
liquo corpori similis, sed sunt f
biles, venas multas habentes: æg
tant sæpe vna cum corpore
quo, interdum proprio morbo
uexantur. Adenes multiplices f
quidam in internis corporis pa
bus, vt mesaræo, & insignium
narum & arteriarum diuisi
veluti stabilimenta quædam f
siti: quidam in externis corp
partibus, vt sub mento, alis,
guinibus. Glandularũ quędam f
pilis munitæ, qui ex mediocri
morum in eis redundantia fi
quædam pilis priuatæ propter
ximam humoris redundanti
Quæ sanè res ab Hipp. pulc
paradeigmate luculenter fuit
monstrata. Quemadmodum
in terra humidissima atque v
nosa nasci minimè possunt, sed
tincta & putrida iacent: ita co
sa humiditas ab internis parti
in aliquas glandulas redundans
los gigni non sinit. Bubones qu

lib. de glandulis.

V

venerei à procatarctica causa oriũtur, vt ab articulorum vel capitis vlceribus, scabieue, quorum curatio facilis est. Quidam pestilentiæ tempore grassantur, à venenato humore scaturientes, pessimaque symptomata multo carbonibus deteriora habentes. Sunt enim horum carbones assectæ.



De Bubonis pestilentis causis, & indiciis.

CAP. XII.

QVomodo aliquis à peste aut à pestilẽti bubone sibi præcauere possit, docere in præsentia non est nostri instituti, cùm hoc à Galeno & Cornelio Celso, & Laurentio Iouberto acutissimo Medico, & Regio Professore, libro de peste exactè sit demonstratum: hic tantùm de iis quæ ad chirurgiam pertinent agemus. Pestilentis itaque bubonis causæ sunt duplices: procatarcticæ aliæ, aliæ

lib. de differẽtiis feb. 1.
lib. 1. cap. 2.

cor

corporeæ. Externæ ſunt, malor
& venenatorũ eduliorum vſus,
dauerum aërem inficientium
pia, auſtrina, pluuioſa & venen
aëris conſtitutio, corporum aſſ
tæ purgationes prætermiſſæ, aſt
rum maleficorum concurſus, &
rum in hæc inferiora influx
fructuum aquis à mortua & c
rupta Salamãdra infectis irriga
rum, vt Theophraſto placet, e
Cauſæ corporeæ ſunt hu
rum venenatorum & corruptor
ad emunctoria deriuatio, qui a
noſis partibus impacti dolorifi
tumores, febres inclementiſſin
à partium internarum affecti
ſcaturientes, animi deliquia,
gidos ſudores, deliteſcentes
thraces, deliria, nauſeas, vomit
ſopores, nigricantem aridam
linguam, ſudores olidos, ægr
reſpirationem, vehementem ca
tis dolorem, nonnunquam
ges vigilias excitant. Pueri a
leſcentes, & qui calidum & hu
dum temperamentum nacti ſu
adu

adultis senibus huic morbo sunt magis obnoxij.



Bubonis pestilentis curatio.

CAP. XIII.

PEstilentis bubonis, venenati morbi curatio quatuor scopis perficitur. Primus nos monet, vt tenuem, infrigidantem, & veneno aduersantem victus rationem præscribamus. Secundus, vt humorem quem antecedentem causam vocant (cū rheumaticus sit affectus) totius corporis rationem habentes, reuellamus. Tertius, vt principibus partibus robur addamus, prohibeamusque ne venenatos vapores recipiant. Quartus, vt topicis congruisque morbo præsidiis vtamur.

Primò itaque aërem purum & frigidum deligemus, & iuniperi, cupressi, pinus fumo siccum reddemus: ac thalamum acri aceto inspergemus, violis, santalis, nymphea

pheæ floribus ſiccandi & refrigerandi vi præditis ornabimus, ac alimentis modicè alentibus frigida qualitate præditis, ſaporemque acidum habentibus corpus nutriemus. Adminiſtranda igitur oxalis aut ipſius ſuccus ægroto, lactuca, intybus, vel bugloſſum, & cætera quæ cordi robur addunt, venenatoſque vapores profligant. Ptiſanæ hordeaceæ vſus ſalubris, ipſiuſque cremor. A multis quoque lac amygdalinum aqua roſacea & ſaccharo mixtum probatur.

Quod ſi vires ſint deiectæ, à quibus deſumendam præcipuam indicationem docet Galenus, iure gallinarum, aut caponum, paulò ſuperiùs recenſitis herbis alterato, erit vtendum. Vino interdicendum, quo ſi abſtinere non poſſit, album & oligophorum bibet: & quo hic morbus carbone eſt acutior, eo ſi vires ſuffecerint, tenuior victus ratio erit ex vſu. Acidis eduliis veſcetur, vt malis punicis, limonibus. Motibus laborioſis & ſanguinē

9. Meth.

cal

calfacientibus non erit exercendũ corpus, neque immoderatæ plenitudini indulgendum. Crebra clysmatum iniectione emollienda erit aluus, & quemadmodum assiduæ vigiliæ officiunt: ita & longus somnus. Quare si nimio somno ægrotum detineri videamus, ipsum strepitu magnisque vociferationibus excitabimus.

Secundus scopus sic perficitur; si ægroti sint validæ vires, & cætera omnia consentiant, supposito prius clystere aluum emolliente venam tundamus, quæ parti affectæ è directo opposita est, seruando semper illam rectitudinẽ, cuius Hipp. & Gal. meminere. A nullo profectò præsidio plus emolumenti consequêris quàm ex venæ sectione ad animi deliquium vsque facta. Nec hoc loco mea sẽtentia audiendus est Fallopius, qui pumice leuioribus rationibus contendit in hoc morbo nullo pacto secandam esse venam. Quam si vires vel ætas perferre nequeant, affi

Contra Fallopiũ l. de tumor. præter naturam.

affigendæ erunt appositæ parti cucurbitulæ cum scarificatione, vel sine ea pro virium ratione.

Porrò cùm hic morbus à turgẽte succo trahat originem, purgandus erit medicamento alũum subducente, interponendique duo dies à venæ sectione ad catharcticum, quod mite sit oportet. Nam cùm ea quæ immodicè purgant, sint calida, huic morbo parum vtilia censentur. In sequentem modum purgatorium medicamentum præscribemus.

℞. rhabar. electi ʒ.j. ß. cinamomi g̃.vij. macerentur in aq. endiuiæ ℥.iiij. facta expressione dissolue medullæ cassiæ à canna nuperrimè extractæ ʒ.vj. syr. rosati solutiui ℥.j.ß. misce, fiat potio: potest & alia sic parari.

℞. pulpæ acidarum balanorum recẽtium (quas thamarindos Mauritani Medici appellant) ʒ.vj. prunorum dulcium, vuarum passarum à gigartis repurgatarum sing. p. x. trium flor. cordalium com. sing.

p.j.

p. j.ſem. melonum, citri, acetoſæ ſing.ʒ.ij.fiat decoctio. Cape de colatura ℥.iiij. in quibus diſſolue catholici & tripheræ perſicæ ſing. ʒ. iij. Rhab. optimi in aqua bugloſ. infuſi & diligenter expreſſi ℈. iiij. cinanomi eadem arte præparati g̃. viij. ſyr.roſ.ſolut.℥.j.miſce,fiat potio.Si adſtricta ſit aluus etiam poſt ſolutiui medicamenti adminiſtrationem, ſupponetur ſemel aut bis in hebdomade ſequens clyſter.

℞.fol.mal.viol. acanth.parietariæ, fol.lactucæ,altheæ cum radicibus, borrag.ſing. M. j. raſuræ cucurbitæ recẽtis ℔.ß.4.ſem.frig.ma. contuſor. ſing. ʒ. iij. prunorum p. x.flor.nympheæ, viol.bugloſſ.ſing. p. j. fiat decoctio in aqua hordei perfectè cocti.Cape de colatura ℔. j. ß. in qua diſſolue caſſiæ cum ſaccharo ʒ. vj. catholici ℥. ß. olei viol. ol. nympheæ ſing. quart. ß. mellis viol. ℥.ij. miſce,fiat clyſter.

Tertium ſcopum ſequentibus præſidiis exequemur.Habenda primum cordis præſtantis viſceris

ratio,

ratio, ac symptomatum hunc affe-ctum comitantium : & cum hic morbus sit ex valde acutorum classe , sequentia remedia vsurpanda erunt.

℞. theriacæ elect. ℈. iiij. aquæ scabiosæ ℥. iiij. misce , fiat potio. Quod si aëris constitutio sit calida , aqua acetosæ erit salubrior. Vel sic.

℞. pulueris electuarij beseraici ʒ. ß. pulu. electuarij de bolo ℈. j. pulueris diamargarit. frig. ℈. ij. syr. de acetos. citri ℥. j. aquar. acetosæ & bugloss. sing. ℥. ij. misce, fiat potio. Detur matutina hora , vel longo tempore ante cibum. Vel sic.

℞. cõf. de hiacynto ʒ. j. pulu. diamarg. frig. ʒ. ß. pul. electuarij de gẽ. ℈. ß. syrup. de limonibus ℥. j. aquarũ endiuię & scabiosę sing. ʒ. ij. misce, fiat potio : & cum siti inexhausta premantur vti debent sequentibus remediis.

℞. conser. rad. buglossæ ℥. j. ß. conseruæ acetosæ & florum nympheæ sing. ʒ. vj. pulueris diamarg. ℈. iiij.

℈. iiij. ſeminis citri minutatim inciſi ʒ. ß. coralli rub. ℈. ij. rad. tormentillæ & raſuræ eboris ſing. ℈. j. ſac. roſ. tabul. q. ſ. fiat conditum auro coopertum, vtatur cum aqua hordei perfectè cocti ſitis tempore. Vel ſic.

℞. ſyr. viol. & acetoſi ſimp. an. ℥. iij. vtatur cum aqua cocta aut ptiſana. Cumque ardentis febris ratione lingua ſit arida & nigricans, præſcribendum erit remedium ſequens.

℞. ſem. pſylij integri ʒ. iij. ſem. cidoniorum ℥. j. ß. gummi tragacanthæ ℈. iiij. ſacchari candi ℥. ij. miſce, & in ſindone rubra vel panno lineo raro fiant formulæ lupinares, mittantur in aquam roſaceam, teneat ſæpe vnam ſuper linguam. Vel ſic.

℞. muccag. ſem. pſylij & cidoniorum cum aqua roſ. factæ ſing. ℥. iiij. ſacch. candi puluerati ℥. ij. teneat ſæpe in ore. Nonnunquam ægrotum acerbo capitis dolore moleſtari contingit, quem ſequenti

quenti remedio lenies.

℞. lactis mulieris filiã enixæ ℥.ij. olei rosati omphacini ℥. iiij. aceti fortis ℥.j. misce, diu mista agitẽtur, linantur bregmatis ossium partes cum temporibus. Mammæ sinistræ ad cordis robur instaurandum, venenatosque vapores repellendum, quod sequitur præsidium admouebimus.

℞. florum cordial. flor. œnanthes p.j. omnium santalorum an. ℈. iiij. pulu. elect. diamarg. frig. ʒ.j.ß. pul. coralli rub. & pulu. elect. de bolo an. ʒ. j. granorum tinctor. sem. ocimi gariophillati an. ℈. j. trochiscorum decaphura g̃. xv. vini al- albi generosi quar. ß. Aquar. scabiosæ, acetosæ & endiuiæ sing. ℥. v. fiat Epithema; excipiatur panno ex puluere granorum tinctorum vel alchermes infecto, expressus parti supra recensitæ applicetur, alium cum hic frigere cœperit calidum admoueto. Vel sic.

℞. coralli rub. ʒ.j. santali albi & rub. sing. ℈. iiij. corticis citri sicci ʒ.

j.ß.

j. ß.florum viol. bugl. nymph. rof. rub. fing.p.j.fragmentorū lapidum pretioforum, margaritarum fplendidarum fing. ʒ.ß. puluerentur vt artis eft, & in findone rubra fiat facculus acu interpunctus, ad inftar nebulæ faccharatæ, qui cordis regioni admoueatur, & aduentantibus fudoribus tollatur die præfertim critico.

Quartus fcopus nos monet, vt buboni topica præfidia apponamus, quæ repellentia nequaquam effe debent, verum maximè attrahentia: ob quam caufam plerique cucurbitulas tumori affigunt magno igne præditas. Vt autem ad externas partes humorem euocemus, commodè fequens emplaftrum vfurpabimus.

℞. bdellij, galbani, ammoniaci fing. ℥. j. pulu. iridis florent.℥. ß. olei de lilio quod fufficit ad malaxandum, fiat emplaftrum, prius gummi in aceto eliquentur. Vel fic.

℞. œfipi & olei de lilio fing. ℥.iij.

℥. iij. vngatur locus bubone infeſtatus: admoueto poſtea lanam ſuccidam. Vel ſic.

℞. diachilonis minoris ireati, vel ſi attrahere magis volueris, diachylonis magni gummati ℥.iiij. malaxentur cum oleo de lilio, aut keirino, fiat emplaſtrum.

Quod ſi horum medicamentorum vſu malignus ac peruicax humor non digeratur, maturandus erit medicamentis ad id dicatis, tamen integra maturatio; ob loci tum imbecillitatem, tum raritatem, non erit expectanda. Sequens tunc præſcribemus medicamentum.

℞. cepas albas duas numero, coquantur ſub prunis, caricarum pinguium elixarum numero viij. diligenter piſtentur ſimul, fermenti acris ʒ.vj. butyri ſine ſale ℥. iiij, olei de lilio ℥. iiij. miſce, fiat cataplaſma. Vel ſic.


℞. maluarum, biſmal. cum ſuis radicibus, viol. ſing. M.j. rad. lilior. mundatarum ℥. iiij. caricarum

pinguium p. vj. flor. chamæmel. & ſambuci ſing. p. j. facta decoctione neceſſaria, piſtentur diligenter & per cribrum medicum transfundantur. Miſce poſtea axungiæ porci ſine ſale, vel adipis vitulini, præſertim ſi humor coctioni contumax extiterit, farinæ ſeminis lini, frumenti & hordei ſing. ℥. iiij. olei ſeſamini & amygdalarum dulcium ſing. ℥. iij. fiat cataplaſma.

Maturato iam humore decliuior bubonis ſedes aperienda erit cauterio, aut pyrotico medicamento, natura hoc præſtare nequeunte. Procurandus poſtea eſcharæ caſus tetrapharmaco, butyro, vel ex ouorum luteis & oleo roſaceo parato medicamento. Vſurpanda poſtea erunt detergentia colletica, & cardiacorum medicamẽtorum in omnibus morbi temporibus, vt cap. de carbunculo dicemus, vſus minimè erit negligendus.

Buboni etiam peſtilenti maximè conferre dicitur Aſter atticus (quẽ multi bubonium aut inguinariam

vocant) cuius non solùm vnctio, sed contactus bubonas curare dicitur. Remedia buboni pestilenti mox affatim exhibenda sunt, quoniam morbus magno periculo non vacat: in talibus enim morbis curationem differre malum est. *Hip. 1. Aphor.*



De Carbunculo, quem Græci ἄνθρακα vocant.

CAP. XIV.

CVm vnus, vel plures carbones bubonum sint fidi comites, & iisdem fermè præsidiis profligentur, non erit à nostro instituto alienum, vt priùs de eo differamus, tradituri mox causas, indicia & curationem bubonis venerei, qui Hispanum morbum tanquam coryphæus & antesignanus nonnunquam præcedit. Est carbunculus, vlcerosus tumor initio exiguus, sed postea ob humoris cacoëthiam & deleteriam qualitatem magnus (vt de incipiente cancro

cancro scriptum reliquit Gal.) ab *lib. 14. Meth.*
efferuescente putrefacto & retorrido sanguine ortus, vlcus celeriter & escharam faciens, cum forti circumstantis particulæ inflammatione.

Duplicem carbunculum statuit Galenus. Vnus fit cum sanguis admodum feruidus & proprij temperamenti limites prætergressus resolutis à flammeo calore humoris tenuioribus partibus, crassam substãtiam adeptus, in quamcumque corporis partem (quia nullam corporis sedem sibi determinat) fluxerit, eam igniti ferri modo exurit, crustosumque vlcus cum alta eschara efficit. Quo enim corpus aliquod calidissimum crassius est, eo suo contactu membri partes validius afficit. Hoc facilè videre possumus in escaroticis & pyroticis medicamentis, quæ quò crassiora sunt, eò vehementiùs vrunt, altiorem escharam facientia. Quod fuit à *li. 5. de facult. simp. med.*
Galeno disertè variis locis ostensum. Cum vlcere semper carbun-

culus inuadit: partes, vt iam diximus, circumstantes ab humoris tum caliditate, tum crassitie, in tumorem & feruentem inflammationem attolluntur, simulque ob intemperiem & solutam vnitatem grauissimo dolore conflictantur.

Hic affectus carbo Latinis, Græcis ἄνθραξ dicitur, non quod antrũ, vt voluit Guido Cauliacensis, hoc est, cor petat, sed quod carbonis more (qui terra est accensa) vrat, qui etiam carbunculum & anthracem differre scribens, fœdissimè lapsus est Græcarum literarum inscius. Auicennas Althoin, siue carmata patrio idiomate vocauit.

cap. de Antra. doct. 2. trac. 2.


Est & alter carbo à sanguine nigro, fœculento, feruido, vt prior, sed ichori tenui permixto scaturiens: qui ad cutem protrusus bullulas granis milij similes, & his quæ ab ignis calore fiunt, excitat. At vbi ruptæ sunt, crustosum vlcus relinquunt. Interdum hic carbo

bo ſine puſtula, ſed cum prurItu apparet: ob quem laborantes partem ita ſcabunt, vt orta ac rupta puſtula, vlcus cum cruſta remaneat. Sæpe citra puſtulæ ortum cutis excoriatur, vt contingit carbunculis qui per Aſiam ſunt graſſati. Id omnibus commune eſt vitium, vt cruſtoſum vlcus appareat, cruſta ipſa modo cineritium, modo nigrum colorem præ ſe ferente. Quibus circumpoſita caro in ſummam peruenit inflammationem, ij neceſſariò nec ſine periculo febriunt.

Eſt & carbonis ſignificatum triplex. Aliquando dothienem ſiue furunculum (quem Mauritanus Rhaſes carbonẽ vocat) nobis ſignificat, qui etiam à parum inflammato sãguine oritur. Aliquando pro vitiũ ac arborum vitio à carbonis vredine, hoc eſt, magno æſtu procreato vſurpatur: aut glareoſæ & ſqualidæ terræ morbus eſt tritico rubiginem inducens; hanc enim terram tunc carbunculo tentari dicimus, vt à *lib. 26. cap. 1.*

 Plinio

Plinio ſolerti naturalis hiſtoriæ indagatore fuit doctè demonſtratum. Interdum inflammationem vehementem graui dolore membrum diſtorquentem à ſanguine putri & retorrido profectã carbo indicat, de quo adhuc futurus eſt nobis ſermo.



De Carbunculi cauſis.

Cap. XV.

Carbunculi cauſas duplices ſtatuimus, procatarcticas alias, alias corporeas, putriũ eduliorum, ac fructuum ſtataria, cœnoſa & corrupta aqua irrigatorum vſus frequens, regionis peſtilentis habitatio, aëris calida & humida conſtitutio, auſtrinæ pluuiæ longæ & multæ, ea etiam temporis conditio, qualem in Cranone aliquando fuiſſe ſcripſit Hippocrates, perſeuerans: vellerum ouiũ morboſarum ac reiicularum morbo (quem noſtræ oræ paſtores ac ruſtici la Marrana vocant) laborantium

2. *Epi. cap.* 1.

rantium frequens contactus, causæ procatarcticæ habentur. Quo fit vt nemo mirari debeat, si crebrò in laniorũ familiis nascantur carbones. Calida & meridionalis plaga gignẽdis carbunculis est aptissima, vt Narbonensis. Æstate & Autumno, quàm aliis anni temporibus potiùs accidunt. Et cùm carbunculi, sicuti & aliorum morborum magna sit latitudo, aliqui enim sunt mites, & non contagiosi à sanguine non admodum feruido dependentes: alij magno periculo non vacantes, à sanguine admodũ calido ac putrescente orti, ob putredinem, & efferuescentiam, vel cacoëthiam deleteriam qualitatem adipiscuntur, qui pestilenti tempore grassantur, & pestilentium febriũ venenatorumque bubonum sunt germina: talem humorem corpoream causam & antecedentem esse iure optimo dicemus. Atrabilarius humor à feruore & putredine sanguinis genitus, corporis parti impactus, causa est continens.

Atra bilis triplex.

Triplex Gal. ſtatuitur atræ bilis differentia. Prima fit cum aliis humoribus, quæ cùm ſit naturalis humor, alendis partibus melancholicis eſt idonea. Hanc melancholicum ſuccum vinariæ fæci ſimilem aptiùs vocabimus, qui dum in aliquam partẽ corporis effluxit, ſcirrhum legitimum parit, vt quarto libro præſentis operis exactiùs demonſtrabimus.

Secunda, quando naturalis melancholia diutiùs in calido loco coaceruata aduritur, & in atram bilem naturæ capitalem hoſtem tranſit. Ex qua, ſi non admodum magna ſit vſtio, cancri ſicci ſiue abſconditi fiunt. Si aduſtione acrimoniam quandam is humor contraxerit, cancri humidi & ſubiectam carnem erodentes excitantur.

Tertia omniũ eſt pernicioſſima, quæ ex bile flaua maximè retorrida gignitur: quæ in terram proiecta, acris aceti modo fermentat atque ebullit. Hanc muſcæ, vermes, & quæ inſecta viuunt, oderunt

runt ac fugiunt. Cancro vlcerato & pernicioſo anſam ſuggerit.

Doctor quidam Pariſienſis, vir quorundam iudicio doctus, & de re medica bene meritus, exiſtimans ex duabus vltimis atræ bilis differentiis carbunculos oriri, fœdiſſimè lapſus eſt, quem Galeni lib. de atra bile, & libro de tumoribus præter naturam non accuratè adnimaduerſa autoritas fefellit. Ait enim Galenus ab atrabilario ſucco carbũculum manare. Verùm is oblitus eſt alterius Gal. loci, qué in ſequentem modum nobis ſcriptum reliquit; Vt à flaua bile fit Eryſipelas: ita à feruido & retorrido ſanguine in atrabilarium humorem verſo fit carbo: quod lib. artis curatiuæ ad Glauconem 2. confirmauit. *2. lib.*

Cauſa igitur corporea & antecedens eſt putrens & retorridus ſanguis, qui tametſi ob vſtionem atræ bilis imaginem induat, non ob hoc omnino ſanguinis naturam exuit. Nam ſimia (vt eſt in peruulgata

illa parœmia) ſemper ſimia erit, quamuis purpura veſtiatur. Si enim, vt ille arbitratur, ex melancholia naturali aut flaua bile adaſſata fieret carbunculus, inter hunc & cancrum nullum conſtituendum eſſet diſcrimen, quod ab omnium Medicorum decretis eſt planè alienum. Inſuper ſi hæc vera eſſent, ſanè Galenus poſt phlegmones amplam tractationem de carbunculo tanquam inflammatione ab humore ſanguineo profecta, nó diſſeruiſſet. A ſanguine itaque feruido, non bile, vel melancholia, tãquam antecedente cauſa fit carbo ab atrabilario tanquam continente, ſed à ſanguine feruido & exuſto genito.

De Carbunculi indiciis.

C A P. XVI.

ANthracis indicia sũt, obſcurus rubor, vehemens partis læſæ dolor, flãmeus calor, puſtula circa initia

initia parua, & ciceris magnitudinem non ſuperans, præceps huius incrementum cum partis oneroſo pődere, ac magna grauitate, nauſea, animi deliquiũ, deiecta appetentia cũ cordis tremore, vrgente ſomno. Nonnumquam veſicis eſt munitus, quæ ruptæ eſcharam relinquunt: frequẽtiores ſunt peſtilentiæ tempore. Reliquæ notæ ex his quæ ſuperiùs tradita ſunt, perſpicuæ euadunt.



De Carbunculi curatione.

Cap. XVII.

Carbunculi curatio magnum habet commerciũ cum bubonis peſtilentis curatione, quæ quatuor obſeruatis ſcopis perficitur. Primus conſiſtit in debito ſex rerum naturalium vſu. Secundus in humoris fluentis reuulſione & euacuatione. Tertius in illorum remediorum adminiſtratione, quæ viſceribus præcipuis robur addere

ſolent. Quartus in topicorum præſidiorum dextra applicatione.

Quomodo primum, ſecundum ac tertium ſcopum abſoluamus, ſuperiori capite fuit traditum. Abſtinere certè à cibo & vino conſultis priùs viribus oportet, & quàm parciſſimè bibere expedit; præſertim ſi ex malignorum ordine extiterit, nam tunc comitem habet febrem.

Ad quartum ſcopum properantes, neceſſum eſt vt topicorum præſidiorum vſum ſine aliqua cunctatione adhibeamus. Quapropter poſt ſanguinis miſſionem vſque ad animi deliquium, ſi nihil prohibeat, altis ſectionibus ſcarificandus erit locus carbone tentatus, vt ſanguis ater ipſum inficiens euacuetur; neque ſunt reſtringentia & apocrouſtica admouenda, ex quorum vſu maius diſpendium quàm vtilitas ſequeretur. Non tamen eſt negligenda in affectam ſedem fluxio, quæ inflammationem, dolorem, & reliqua ſymptomata auget.

Ob

Ob hoc excogitandum erit aliquod præſidium, quod cum repulſione moderata digerendi vim habeat. Vſurpabimus igitur cataplaſma illud à Gal. traditum, de arnoglolla appellatum, quod è plantagine, ſincomiſto ſiue menſario pane & lente conficitur ad ſaturitatem coctis. Huic emplaſtro Auicennas gallas adiecit. Panem neque admodum furfuraceum, neque ſiligineum & ex defæcatiſſima farina paratum eſſe oportet. Hoc autem nō ſupra carbunculum ipſum, ſed in ambitu eſt apponendum. Candens autem ferrum, vel pyroticum medicamentum ſcarificatæ puſtulæ, tum ad exterendam eſcharam, tum etiam ad venenatum & in profunda parte latentem humorem foras euocandum, adigendum erit. Itaque ſuper vlcus, & non circunſtantes partes, ne illas imprudenter, & ſine vlla neceſſitate vlceremus, imponendus erit paſtillus Andronis, Polyidæ, Bithini, Paſconis aut Muſæ, vino dulci 14. Metho.

dulci vſque ad craſſitiem aut mellis conſiſtentiam dilutus.

Horum vſus non ſolùm carbunculorum cruſtas cadere facit, ſed affectum locum cùm ſit adſtrictionis particeps, ſine fluore conſeruat. Illorum paſtillorum loco commodè vtemur trochiſcis Iohannis Vigonij, quos capitellum vocant: quibus ad meliorem citatioremque operationem momentum ſublimati plerique miſcent. Qui Arabum & claſſicorum Chirurgorum veſtigia ſequuntur, ex duobus malis punicis, acido & dulci, repellente ſimul & digerēte facultate præditum emplaſtrum admouent, ſucceſſu non infœlici, aliqui ex ſolo acido illud parant.

Reliquas rubore tentatas partes vnguento de bolo (quod defenſiuum vocant) illinunt: quod medicamenti genus, quamuis peſtilenti morbo & venenis vtilis ſit bolus, probare non poſſum. Nam cùm ſit frigidum, & emplaſticum medicamentum digerente facultate

pri

priuatum, vitiosum ac venenosum humorem ad interna viscera protrudit: ad quæ propter illius deleteriam qualitatem, nullo modo est reuocandus. Escharam tetrapharmaco, butyro, vel medicamento ex ouorum luteis & oleo rosato confecto detrahemus. Sordidum postea vlcus detergemus, & detersum colleticis agglutinabimus. Auicennas, cuius Cauliacẽsis Guido est vestigia sequutus, emplastro ex caricis & fermento, carbunculum non admodum malignum maturat, & post escharæ casum, sordidum vlcus vnguento Ægyptiaco, vel viridi detergit: aliorum denique vlcerum more agglutinat.



De Bubone venereo.

Cap. XVIII.

Solent nonnunquam bubones ex intempestiuo lue Hispanica infectorum concubitu gigni, qui inguina, hepatis & lie

& lienis emiſſoria ob obſcænarum partium contactum mutuum, potiùs quàm alias adenoſas partes moleſtant: quos ſæpe duræ in pene puſtulæ præcedunt, vel balani & præputij vlcera cacoëthe; de quorum cauſis & notis fuſiùs capite de Hiſpanici morbi curatione agemus. Nunc verò ſolam curationem, cùm ex phlegmonarum genere ſint, attingemus.

De Bubonis venerei curatione.

Cap. XIX.

TRibus igitur obſeruatis ſcopis, hùc profligabimus. Primus efflagitat, vt opportunam victus rationem ægroto conſulamus, non admodum diſſimilem illi quæ phlegmoni accommodatur, non tamen tam tenuem, cùm ita acutus morbus non ſit.

Secundus nos monet, vt corpore plethorico exiſtente axillarem aut iecorariam eiuſdem partis venam.

nam.

nam tundamus, tantámque ſanguinis copiam mittamus, quantam laborantis vires ferre poterunt. Quod ſi corpus cacochymicum extiterit, propinandum erit euacuans medicamentum pro noxij humoris natura, neque aſpernanda ſunt remedia quæ curando Hiſpanico morbo ſunt accommodata, cùm ſoleat hic tumor talem morbum, tanquam coryphæus quidam præcedere.

Tertius ſequentibus remediis abſoluetur. Non ſunt huius affectus initio apponenda repellentia, ſed potiùs attrahentia: imitandúſque eſt naturæ motus. Si verò tumor ad incrementum piger videatur, affigendæ ſunt buboni cucurbitulæ magnæ, vtendúmque diaphoreticis, impactumque parti humorem diſcutientibus. Ex vſu itaque ſequens emplaſtrum erit: priùs tamen meminiſſe oportet veterum decreti, ne inguinibus vel adenoſis aliis locis emplaſtra admoueamus duram conſiſtentiam habẽtia, quin prius

prius discutiente & emolliente oleo (quale est susinum) emollita fuerint. Dura enim medicamenta, vt fuit superiùs demonstratum, has partes distendunt, & rursus inflammationem irritant.

♃. Massæ emplastri diachylonis ireati ℥.iiij. terebinth. ℥.j. olei de lilio q. s. fiat emplastrum molle. Vel sic.


♃. Diachylonis magni gummati ℥.iiij. malaxetur oleo irino, fiat emplastrum molle. Vel sic.

♃. Bdellij scythici (quod omnibus affectibus quibus confert ammoniacum thimiama vtile est, autore Celso) opopanacis, galbani in acri aceto eliquatorum sing. ℥. ij. terebinth. q. s. florum chamæmeli, sambuci, anethi sing. ʒ. ij. pulueris iridis florentiæ ℥. ß. olei de lilio, vel chamæm. quod satis est ad malaxandum, fiat magdaleon, formetur emplastrum magnitudinis debitæ.

Si bubonis materia horum medicamentorum vsu non digeratur, ad

ad pus mouentia medicamenta transeundum erit, quorum superiùs meminimus. Danda tamen est opera ne digerentia medicamina sint impense calida, talia certè tenuiorem humoris partem discuterent, fœculentiori remanente, quæ scirrhum procrearet. Neque pus mouentia admodum humida esse debent, quippe quæ affectam partem putredini ac corruptioni subditam efficerent. Vbi iam maturuit humor, ferro frigido, aut rutilante, causticoue medicamento aperiendus erit locus tumoris decliuior. Curandum postea erit vlcus colleticis & epuloticis remediis, de quibus libris de vlceribus agemus. Si ex digerentium medicaminum vsu intempestiuo obduruerit tumor, medicamenta propellendo scirrho necessaria vsurpabimus, de quibus suo loco disseremus.

De



De Phymate & Phygethlo.

CAP. XX.

POstquam de bubone dictum est, de phymate & phygethlo affectibus buboni non admodum dissimilibus est differendum. Est phyma adenum phlegmone quæ celeriter & adaugetur, & ad suppurationem venit, & à phymo plurimum differt. Est enim phymus glandis aut præputij affectus. Huius duo sunt discrimina, speciatim scilicet & generatim sumitur. Phymatis tracta est ab his quæ in terra celeriter nascuntur & crescunt, metaphora. Generatim consideratum, alias ab adenibus partes distorquere solet, quod fecit manifestum Hippocrates dicens; Quibuscunque in vrinario meatu *lib.7. ar.57.* phymata nascuntur, his suppuratione facta & eruptione morbi solutio fit. Phyma tuberculum est dothieni simile, sed planius & rotun

tundius, sæpe etiam maius. Nam furunculus oui dimidij magnitudinem rarò explet, sed nunquam excedit. Phyma latiùs patere consueuit, sed inflammatio dolorque sub eo minores sunt. Id in pueris sæpius nascitur, & faciliùs curatur: in iuuenibus rariùs, ægriúsque sanatur: in senibus ne sanatur quidẽ.


Phygethlon tumor est non altus, sed latus, phlegmone erysipelatodes, aut phlegmonodes erysipelas dicitur, ac in alis aut inguinibus excitatur. Panum ad figuræ similitudinem plerique vocant. Panum vsurpauit Varro pro fili glomere, ad cuius similitudinem panes ipsi finguntur: & quemadmodum ex pano lanificium in multas figuras digeritur: ita panus varias capit imagines: paniam saturitatẽ Athenæus vocauit. Panus etiam textricum, nomen dedit tuberculo, quod Græci Phygethlon vocant. Phygethlon Guido Cauliacensis fugille appellauit, atque hic in tumorum à pituita ortorum catalogum falsò reposuit. *Ca. de apost. phlegmatic.*

De

De Phymatis ac Phygethli cauſis.

Cap. XXI.

PHymatis & phygethli cauſæ, aliæ corporeæ, aliæ prægreſſæ. Defluxio in glandulosum genus cauſa eſt corporea: quam plethora vel cacochymia parit: nonnunquam à viſceris inflammationibus procedunt. Defluens in glandulam ſanguis, cauſa eſt corporea. Phygethlon mixtus eſt affectus ex phlegmone ſcilicet & eryſipelate. A ſanguine igitur & bile dependet. Aliæ cauſæ quæ hos humores ad fluxionem diſponunt, procatarcticæ cenſentur.



De Phymatis & Phygethli curatione.

Cap. XXII.

PHymatis & phygethli curatio triplici intentione perficitur. Prima in proba victus ratione ſita eſt. De qua hic , cum

fuſiſſi

fuſiſſimè capite de phlegmone & bubone diſputauerimus, nihil breuitatis ſtudioſi agemus. Secunda in ſanguinis miſſione concurrentibus mittendi ſanguinis ſcopis conſiſtit. Tertia in diſcutientium medicamentorum vſu: nam repellentibus omnino eſt parcendum. Ob humoris digeſtionem plerique adianthum contuſum & admotum phyma diſcutere ſcripſere, vel atriplicem ſic præparatam. Alij altheæ radicem in vino decoctam contundunt, & cataplaſmatis vice vtuntur. Vbi hæc prodeſſe non poterunt, ſequens præſidium vſurpandum erit.

℞. ſaponis nigri, adipis ſuilli, picis, ceræ ſing. partes æquales, olei antiqui, olei irini an. q. s. diluere oportet ſaponem lixiuio, ceram antiquo oleo, & omnia probè mixta ad cerati conſiſtentiam reducantur. Vel ſic.

℞. ladani puriſſimi bdellij ſing. ℥. j. ß. ammoniaci, therebintinæ ſing. ℥. j. propoleos, olei antiqui ſing.

ſing. q. s. addendo aceti parum, fiat emplaſtrum molle. Quod ſi præcedentibus remediis diſcuti non poſſit tumor, vt in abſceſſum vertatur congruum erit ſequens remedium.

℞. farinæ lupinorum q. s. radicum capparum in aceto coctarum & diligenter contuſarum ℥. j. ſalis nitri quart. j. fermenti acris ʒ. vj. Caricarum pinguium elixarum pa. iiij. olei de lilio vel amygdalarum dulcium an. ℥. iiij. fiat cataplaſma, cui cæpas duas addemus ſi humorem ſuppurationi pertinacem conſpicimus.

Poſt ſuppurationem aperiendus erit tumor, & vlcus agglutinandum, vt fuit ſuperius dictum. Erit ab iſtis medicamentis abſtinendũ, ſi tumori vehemens copulatus ſit
2. ad Glauc. dolor: ſequendumque Galeni conſilium quo monemur vt locum affectum oleo communi & calido, œſipo aut lanæ hapſo foueamus: hæc enim chalaſtica ſunt, & dolorem compeſcentia. Si in tantam

phyma

phyma magnitudinem attollatur, vt glandulas maximè distendat, dolentem locum post corporis euacuationem scarificabimus: adhibebimus postea ea remedia quæ factis iam sectionibus conueniunt. Phygethli verò curatio, cùm mixtus sit ex inflammatione & erysipelate morbus, ex his quæ de phlegmones curatione sunt prodita, & quæ de erysipelate secundo libro dicentur, innotescet. Erunt augenda, vel minuenda alterutrius remedia, pro superantis in mixtura humoris ratione.



De Gangræna & Sphacelo.

CAP. XXIII.

PHlegmone magna, vel carbo cùm neque digeri, neque in pus mutari potest, sæpe in gangrænam, & Græcis appellatam νέκρωσιν, hoc est, syderationem, vel partis mortem, incidit, de qua hic disserere statuimus. Est gangræna

græna partis mutatio à naturali habitu in alienum cum vlceratione, & natiui caloris extinctione, cui nisi celeriter occurratur νεκροῦται ῥᾳδίως τὸ παθὸν, quod est læsum facilè emoritur.

Ab sphacelo, quem cum Auicenna Guido Cauliacensis corrupta atque ignota nomenclatura scachylon vocauit, differt: quia in gangræna inflammatio sua magnitudine mortem in membro procreat, quæ tamen nondum sit integrè facta & confirmata. Quod si perseuerante malo, eius vis & tyrannis tanta sit, vt affecta pars mortis imaginem repræsentet, ac motus sit expers, & cum secatur aut aduritur non sentiat, & nigrescat, tunc hanc non gangræna, sed sphacelo tentari existimandum est.

Est itaque gangræna partis fiens mortificatio: sphacelus verò iam facta & deplorata. Guido cum Auicenna corruptionem ad continuas partes transeuntem, esthiomenon vocauit, quo nomine in aliis mor-

bis

bis Græci vtuntur, vt in herpete esthiomeno & phagædena. Solet, Aëtio autore, sphacelos ad ossa serpere, corrupta ea quæ hæc tegit, carne, tetros ichores emittente, ac corruptis quæ per carnem sunt dispersa vasis. At gangræna solam carnem occupat. Gangrænam vel sphacelum rudis plebecula ignem D. Anthonij aut Martialis vocat. Galenus vt Hippocratem ab omni calumnia liberaret, Com. in 50. Aph. sect. 7. visus est sphacelum cum gangræna confudisse. *lib. 14. ca. 57.*

Duplicem sphacelum constituemus, incipiẽtem scilicet & factum. Incipientem curari posse Hippocratis & Herodoti testimonio ostenditur: sed factum hominem enecare; vel Medicum ad resectionem mortuæ partis adigere.

De Gangrænæ & Sphaceli causis & indiciis.

CAP. XXIV.

GAngrænæ causæ procatarcticæ sunt vincula arctissima,

iniecta membris, venis & arteriis insignibus munitis: ob quæ partis temperamentum & horum natiuus calor nequeuntibus spiritibus ad illam defluere, perit. Medicamenta insuper venenosa, calida aut frigida. Calida, quia vehementi sua caliditate harmoniam qualitatum partis corrumpunt, vt Euphorbium, lepus marinus. Hoc ipsum præstare possunt frigida, vt altercum, opium, mandragora, & ea omnia quæ absolutè venena dicuntur.

Externum & vehemens frigus huic etiam morbo causam præbet, quod his qui per loca frigidissima, glacie & niuibus obruta incedunt, accidere videmus, quorum artus putrescunt & emoriuntur. A vehementi enim frigore ita obstruuntur meatus, infrigidatur cum sanguine calor, & naturale membri temperamentum euertitur, vt spiritus partes illustrare non possint.

Causæ corporeæ sunt, anthra-

ces, venenatæ puſtulæ, magna phlegmone, ita ob humoris copiā venas & arterias, & carnis poros replens atque diſtendens, vt ipſæ arteriæ ob anguſtiam ſeſe attollere nequeant. Hoc ipſum etiam fit quando ſanguis craſſus meatus ſic obſtruit, vt perſpirationem natiuo calori præpediat, & fuliginoſa recrementa retineat. Gangræna tantæ prauitatis eſt, vt niſi, omni morâ procul pulſa, præſentiſſimum feratur præſidium, laborans particula citò moriatur, & tunc in ſphacelum tranſeat.

Incipientem gangrænam, Celſo teſte, curare non eſt difficile, præſertim ſi integri adhuc ſint muſculi & nerui leuiter affecti: ſed periculo maximo non vacat, quando iam in ſphacelum migrarit. *lib. 5. ca. 26. & 33. 7. lib.*

Notæ gangrænæ demonſtratiuæ ſunt, partis ad quandam nigredinē vergens rubor, dolor inclementiſſimus, ſubditæ carnis mollities, cū cadaueroſo fœtore, in quam ſi digitum impingas, foſſam remanere

experieris, ac ſi cutis ipſa à carne eſſet ſeparata. In ſphacelo color eſt magis vitiatus, & maioris nigredinis particeps, pars ſenſu omnino eſt priuata, & incredibili fœtore comitata. Non eſt harum diſpoſitionum procraſtinanda curatio, cùm ſolitæ ſint ægrotantem citò extinguere.

De Gangrænæ & Sphaceli curatione.

CAP. XXV.

GAngrænæ curatio tribus ſcopis perficietur, quorum primus victum tenuem & refrigerantem expoſcit. Verſabitur itaque æger in aëre frigido puro & tranquillo ad ſiccitatem moderatã inclinante: ſi calidus fuerit, cannarum foliis, vitium pampinis, vel ſalicum ſummitatibus, aut roſis, violarũ & nymphee̜ floribus, vel aceto & aqua roſacea, arte infrigidabitur. Hordei cremor vtilis, lactuca quoque,

que, portulaca, oxalis, mala punica acida etiam ſalubria iudicantur. Vino conſtantibus viribus interdicendum: debilioribus factis dandum oligophoron, tenue, & bene dilutum. Gallinarum, pullorum, aut caponum iuribus vtēdum, quibus borraginem, bugloſſum, oxalidem lactucamue incoques. Cappares non ſalitæ cūm oxelæo in primis menſis manſæ, non ſolùm in gangræna, ſed in omni peſtilenti affectu probantur.

Secundus ſcopus, corpus euacuandum eſſe ſanguinis miſſione docet. Quod fit, vt præsētibus mittēdi ſanguinis ſcopis antiſpaſticam venæ ſectionē exerceamus: vel cucurbitulas oppoſito loco affigamus, ſuppoſito priùs aluum emolliente clyſmate. Medicata etiā potio ad bilioſi & melancholici ſucci euacuationem poſt ſectam venam, non erit contemnenda, quam ex ſequentibus parabis.

℞. medullæ caſſiæ fiſt. à canna nuperrimè extractæ ℥. ß. catholici ʒ.

 vj.

vj. cum aqua bugl. fiat potio. Vel sic.

℞. rab. electi ʒ. j. ß. cinamomi interioris ℥. viij. macerentur in sero caprino per noctem, & facta de mane forti expressione dissolue. syr. rof. solut. ℥. j. ß. aquarum bugloſ. & oxalidis an. ℥. ij. fiat potio in aurora danda.

Et quia ab efferueſcente ſanguine vapores multi non minus quàm à venenato anthrace ad cor deferũtur, roborandũ erit theriaces adminiſtratione, ac epithematum appoſitione, vſurpandáque erunt ea remedia quæ capite de bubonis peſtilentis curatione vtilia eſſe ſtatuimus. Sequenti præſidio cordi robur addemus, venenatoſque vapores propulſabimus.

℞. conſeruæ roſ. & rad. bugloſſi ſing. ℥. j. ß. conſer. oxalidis, florũ cichorij ſing. ℥. j. corticis citri ſaccharo conditi ʒ. iij. pulueris elect. beſeraici, de bolo, & diamarg. frig. an. ℈. ij. myrobalanorum emblicarũ ſaccharo conditarum vnam numero, pulueris elect. de gẽ. & coralli rub. an.

an.℈.j.ſyr.ex ſucco citri,vel limonũ quod ſatis eſt ad incorporandum. Fiat in modum opiatæ: capiat ad quantitatem vnius nucis comeſtibilis duabus horis ante prandium: ſorbendo poſtea cochlearia duo ſequentium aquarum.

℞. aq.ſcabioſæ,bugloſſi & oxalidis ſing.℥.viij.Miſce.

Tertius ſcopus topicorum præſidiorum vſu perficitur.Si enim videamus floridum colorem in liuidum mutari,vehementique inflammatione partem tentari,vſurpandũ erit Auicennæ præſidium,quod recipit boli armenici terræ ſigillatæ ſing.℥.j.ß.aceti q.s. ad incorporandum,fiat ad inſtar linimenti, quod in gangrænæ ambitu non ſupra locum admouebimus.

Verùm creber maximè infrigidantium medicamentorum vſus eſt ſuſpectus.Nam hæc meatus obſtruendo ſpirituum tranſitum præpediunt, & naturalem partis calorem corrumpunt. Loco autem gãgræna tentato faciendæ ſunt plagæ

 multæ,

multæ, altæ iuxta minutiſſimarum venarum diuaricationem: vt ſanguis craſſus perſpiratione egens euacuetur. Plagis admouebimus hirudines famelicas, quo meliùs venenatum ſanguinem attrahant. Abluēda demum erit aqua marina ſalſa, aut lixiuio ſcarificata pars, vtendúmque erit ſequenti medicamēto putridis vlceribus conſecrato, quod componitur ex lomenti x. farinæ fabaceæ, & farinæ erui, lolij æqualibus partibus, ſyrupo acetoſo, vel aceto mulſo mixtis. Parti ſcalpello punctæ ſtrenuè detergentia, exiccantia ac aperientia medicamenta commoda ſunt: ob hoc ab Auicenna ſequens remedium eſt excogitatum.

℞. ſalis communis ℥.iiij. farinæ fabarum orobi ſing. ℥.viij. mellis ℥. iij. ſucci abſynthij, & vrticæ ſing. ℥. ij. ß. miſce, fiat cataplaſma. Lauanda etiam erit pars frequēter aceto calido, deſinēteque ſanguinis feruore Ægyptiaco vnguēto erit detergēda & expurgāda. Perſeuerante affectus

malitia

malitia & membri putredine, iam factis ſcarificationibus commodè admouebimus, Andronis, Paſionis, Muſæ, bithyni, Vigonij aut aſphodelorum paſtillum. Arſenici effecta plurimum commendauit Cauliacenſis Guido, quo non eſſe vtendum, niſi conſultis prius ægrotantis viribus, & illius optimè cõtemplato temperamento, ſuadet. Nam imbecillum & molle corpus mitia, durum & validum acriora medicamenta perferre poteſt.

cap. de glandulis & Eſthiomeno.

Et cum hæc pyrotica medicamenta ſuo calore & operationis vehementia febrẽ & dolorem excitent, vt febris ac phlegmones aduentum inhibeamus, humido victu febrientibus accommodato ægrotũ triduo alemus, ſuperioribuſque vlcerati loci partibus poſcã, vel ex bolo paratũ medicamentũ, de quo ſuperius meminimus, apponemus.


Poſt eſcharæ caſum, Paulus Ægineta emplaſtrum ex pluribus lactucis, fibris exẽptis, & loliacea farina probat, vetuſtiſſimaſq; nuces, illa-

rum præſertim cortices tritos hoc vlcus maximè repurgare ait. Tetrapharmacum Macedonicum Galenus laudat. Ad eſcharæ caſum Aëtius cataplaſma ex hordei & tritici farina & hydrelæo incocta cõſulit. Nicolaus Florentinus (quem non plagiarium, ſed ſtrenuum medicarum ſententiarum aggregatorẽ vocare volo) hoc medicamentum extollit, quo vtendum iubet, donec vlcus ſit probè deterſum, & in ſequentem modum parat.

℞. vitellorum ouorum recentiũ & crudorũ iiij.num.myrrhæ elect. ℥.j.ß.farinæ hordei ℥.iij.mellis deſpumati q.s. ad incorporandum ad emplaſtri conſiſtentiam reducantur. Tandem ad colletica & ſimulotica medicamenta tranſeundum erit. Emortua iam & ſphacelo laborãs pars ſerra ſecanteue inſtrumento, ne id quod iam putruit veneni inſtar ſuo contactu ſanum & integrum inficiat & corrumpat, ſecanda venit. Obortam à ſectione hæmorrhagiã rutilantibus

ferra

ferramentis sistemus: iam à putredine & sordibus priuatum vlcus, vt suprà ostensum fuit, agglutinabimus.



De Ophthalmia.

Cap. XXVI.

Ab affecta sede quæ in propatulo est, oculo scilicet, dicta est ophthalmia. Est autem inflammatio adnatæ oculi tunicæ, à membrana caluariam tegente originem trahentis, quam Alexander Benedictus in sua anatome fundam appellauit, quia ad fundæ similitudinem, quæ est retis instar, exiguarum venarum multiplicem distributionem admittit forinsecus apparens, ligamentum existit toti oculo, ad ossa circunsita. Huius per se morbus est, totius verò oculi per accidens esse dicitur.

Ophthalmiam, Lippitudinem cum Celso, Galeni Interpretes vocant,

cant, quæ à taraxi, id eſt, oculi perturbatione vel vacillatione differt. Fit enim taraxia ab externa cauſa oculum calfaciente, humectante, & ruborem inducente: vt à Sole, fumo, oleo, puluere & vento. Hæc facilè ſoluitur, vbi cauſa nobis eſt perſpecta. Lippitudo verò non ſolùm à procatarctica cauſa, ſed ab interna & cæca ſcaturit. Ab epiphora etiam differt: nam tametſi in epiphora ſit rubedo, ea eſt in ipſis palpebris, quæ tandem à calida & acri fluxione vlcerantur.

Paulus lib. 3. ca. 22.




De Lippitudinis cauſis.

Cap. XXVII.

SVperiori capite oſtenſum fuit, multiplices eſſe ophthalmiæ cauſas procatarcticas, quibus eas addemus omnes quæ vapore & calido ſanguine, eodemque copioſo oculos replent, fixos rubrarum rerum intuitus, ac lippitudine laborantis oculi frequentes

quentes conſpectus, præſertim quando plethora corpus moleſtat. Humores varij in adnatæ tunicæ venas delabentes internæ cauſæ habentur: quæ frequentiùs à ſanguine vt vera phlegmone excitantur, cuius nonnunquam tam magna copia in iam dictam tunicam fluit, vt maximè exaltata & turgida effecta, quod nigrum in oculo conſpicitur, tegat. Cùm oculi in capite totius corporis arce ſint ſiti, ab ipſo potiùs quàm alio membro fluxionem ſuſcipiunt.




De Lippitudinis indiciis.

CAP. XXVIII.

OCuli perturbationis indicia, cùm à prægreſſæ cauſæ pręſentia dependent, ſunt manifeſta: at vehementis lippitudinis cauſæ internæ ſunt, continuus inuitarum lacrymarũ per magnos canthos defluxus, de quibus cap. ſequenti diſſeremus, tumor, dolor vehe

vehemētissimus ob exactum membri sensum, rubedo adnatæ, & eius venarum plenitudo, malarum tumor, cum temporum pulsatione, & anterioris partis capitis dolore.



De Lippitudinis curatione.

Cap. XXIX.

NOn est negligenda ophthalmiæ curatio, eo quod frequenter laborante vno ex oculis, in alium migrat: quæ vbi iam altas radices egit in abscessum versa, & rupta vomica, ac vlcere cicatrice obducto, fœdas, indelebiles, & visum maximè præpedientes maculas relinquit. Hanc itaque (in mentem priùs quæ de phlegmones curatione sunt tradita reuocantes) quatuor scopis profligabimus.

Quorum primus ostendit, vt tenuem victum administremus, euchyma alimenta ægroto præbeamus, & vaporulentorum edulio-

rum

rum vſu abſtineamus, obſcuri potiùs quàm luminoſi loci habitationem conſulamus, ſomnum prouocemus, ac nigri, viridis, vel cærulei coloris intuitum commendemus. Et illum moneamus, vt ab ira, Venere, vehementi oculorum agitatione abſtineat, neque pronum, ſed altum caput teneat.

A ſecundo ſcopo monemur, vt quemadmodum in phlegmones principio, reuulſione & euacuatione, quæ per antiſpaſticam ſanguinis miſſionem fit, vtimur: ita hanc ex cephalica, affecto oculo reſpondente exerceamus, aut purgatorium medicamentum propinemus, ſi à ſanguinis ſodalitio priuato humore ophthalmia excitetur. Scapulis etiam cum ſcalpellatione, vel ſine hac cucurbitulas affigemus, partes externas corporis fune, vel zona vinciemus: vel Galeni dogma ſequuti, arterias temporum ſecabimus modò à parte caluariæ externa in ęgrotā fluat humor. Quod ſi ophthalmiam præceſſerit cepha

phalea, & ea perſeueret; cum ea cauſæ ſine qua non rationem habeat, erit priùs præſidiis à Galeno & Mauritano Rhaſe conſcriptis abigenda.

Pro tertio ſcopo repellentia medicamenta initio erunt vſurpanda: habet enim ophthalmia, ſicut & phlegmone, quatuor tempóra. Adhibenda itaque ſunt repulſoria pharmaca, non vehementé adepta adſtrictionem, ſed lenientem liquorem obtinentia. Hoc autem agere debemus, tum propter excellentem membri mollitiem, tum ſenſus ſubtilitatem, & ſubſtantiæ raritatem. Ea de cauſa excogitata ſunt collyria, quæ ſenſim, & non ab alto, torrentis ritu, in magnũ oculi canthum ſunt mittenda. Solidioribus paulo medicamentis, ſimilibus his, quæ καλλιβλέφαρα, id eſt, palpebras honeſtantia dicuntur, externas palpebrarum partes inungemus. In huius igitur inflammationis principio ſequens collyrium erit vtile.

℞. Aq. candidæ ouorum ſubſtantiæ

ſtantiæ ℥.ij.aquæ roſ.plantag. ſing: ℥.j. ß.collyrij albi Rhaſis ſine opio ʒ. j. miſce, fiat collyrium. Mittantur guttæ aliquot frequenter per magnum oculi canthum in oculum, reſupino exiſtente ægroto. Vel ſic.

℞.Aq.plantag.℥.ij.muccag.ſem. pſylij cum aq.roſ.extract. ℥.j.pompholigos optimè præparatæ, & in tenuiſſimum puluerem (alchool Arabes vocant) redactæ ʒ.j.ceruſæ aqua roſarum ablutæ ℈.ij.aq. ſolani,& endiuiæ an. ℥. j. ß. miſce, fiat collyrium. Vel ſic.

℞. Amyli ʒ.iij. ceruſæ aqua roſarum ablutæ. ʒ. iiij. gummi Arab. ʒ. j. gummi tragacanth. in aq. roſ. eliquati ʒ.j. ß. puluerentur tenuiſſimè. Fiat in modum linimenti,inungantur palpebræ.

Verùm ſi humor calore acrimoniam contraxerit, ſupradictis pulueribus ſupra cotem optimè tritis miſcere poterimus lac iuuenculæ bene habitæ, filiúmque enixæ (ſi fieri poteſt) quod ex vbere recenter

ter emulctum ſit.

Temporibus admouenda erunt medicamina fluentem humorem intercipientia in ſequentem modum parata.

℞. Boli armeni, ſanguinis draconis, terræ lemniæ, thuris & eius corticis, maſtices, amyli an. ℥. j. pulueretur & ouorum candida parte cum vti volueris, excipiantur: fiat emplaſtrum rotundum, applicetur tempori è regione laborantis oculi. Quando ad inflammationis incrementum ventum eſt, tunc quæ apocrouſticam ſimul & digerentem facultatem ſunt adepta, vſurpabimus, ſed inæqualiter mixta.

℞. Muccag. ſem. cidon. & fœnugræci diligenter loti an. ℥. j. ß. aq. ſolani ℥. ij. pompholigos optimè præparatæ ℈. iiij. ſarcocollæ in lacte aſinæ maceratæ ʒ. j. ceruſæ aqua roſ. ablutæ ℈. ij. puluerentur tenuiſſimè. miſce, fiat collyrium. Vel ſic.

℞. Sarcocollæ in lacte aſinæ vel humano maceratæ ʒ. j. gummi tragac.

tragac.℈.ij.cerusæ aq.rosarum lotæ ℈.iiij.aquæ pluuiæ ℥.iiij.misce, fiat collyrium. Ex his sine aqua addito vno oui vitello parari potest emplastrum, quod leniter palpebræ applicabimus. Non minus isto efficax est remedium sequens, præsertim quando morbus est in vigore summo.

℞. Pomorum semiputrium sub prunis coctorum, postea diligenter in mortario marmoreo contusorum & per colum medicum transfusorum iij. num. aq. rosar.q.s.donec ad cataplasmatis consistentiam reducantur. Vel sic.

℞. Foliorum plantag. solani summitatum fænic.chelidonij maioris,euphrasiæ, verbenæ sing. M.j. sem. fœnugræci diligenter loti & contusi ℥.j. ß.dissecentur minutim herbæ & vino albo irrorentur. Fiat sublimatio in balneo Mariæ,liquoris stillatitij cape ℥. iiij. quibus sequens præsidium miscere poteris.

℞.Sarcocollæ vt dictum est preparatæ ℈. iiij. tuthiæ optimè præ-

paratæ

paratę ʒ.j. cerusæ aq. rosarum ablutæ ʒ.ß. cadmiæ vstæ diligenter lotæ ℈. ij. misce, fiat collyrium. Vel sic.

℞. Olibani & myrrhæ electæ an. ℈. ij. sarcocollæ vt dictum est præparatæ ℈. iiij. tuthiæ optimè præparatæ ʒ. j. margaritarũ splendidarum, coralli rubri & lapidis hæmatitis an. ℈. j. pulucrentur tenuissimè & cum aqua rosarum infusionis gummi tragacantæ fiant pastilli: teratur vnus subtilissimè supra cotem, & debitæ superioris stillatitij liquoris quantitati misceatur, fiat collyrium. Non sunt circa morbi initium vsurpandi soli pulueres, quippe qui oculos grauent & acerbos dolores moueant. Iam opthalmia in declinatione existente digerentia ex vsu erunt: qualia decocta ex fænugræco, meliloto, chamæmelo, rosis rubris parata: & collyria superiùs tradita, quibus thus, & sarcocollam miscebimus. Meri potio tunc concedenda: balneum


vtile,

vtile, fotus non denegandus, neque ea quæ ab Hip. in Aphorismis sunt tradita. Magnam lippitudinem palpebrarum tarso hærentem & oculi apertionem liberam vetantem fœnugræci docoćto aut vino albo tepido tollemus. *Aph. 31. l. 6.*

Quartus & vltimus scopus exposcit vt vehementem corporisque robur deiicientem dolorem anodynis medicamentis leniamus. Quod si hæc non prosint, narcoticis, quamuis oculis maximè sint aduersa, sopiemus. Huius methodi memores, vt à debiliorum vsu auspicemur, quorum frequens vsus esse non debet, quia materiam retinent, & illius digestionem prohibent: ad fortiora vrgente necessitate deinde transeamus. Quare collyrium ex decocto seminis papaueris albi, florum violarũ, nympheæ, rosarum rubrarum, pomorum mandragoræ & psylij muccagine erit vtile. Vel sequens etiam erit acmodatum.

℞. semin. papaueris albi, sem. plan

plantag. ſing. ℥.j. florum violarum, nymphеæ ſing. p.j. licij ʒ. j.ß. aloës, gummi arab. ſing. ʒ.j. opij thebaici ℈. iiij. decoquantur & colentur. Mittantur guttæ aliquot in oculum. Conciliandus erit ſomnus vnguento populeonis, vel roſaceo, cum oleo ſeminis papaueris albi temporibus admoto, vel adminiſtratione aſyncriti ʒ.j. Olea & pinguia medicamenta oculis non ſunt applicanda, eo quod dolorem incutiunt.



De Vuæ & Columellæ inflammatione.

Cap. XXX.

Væ ſeu columellæ, quæ eſt vocis veluti plectrum, affectus frequētiſſimè accidentes duo eſſe cenſentur. Alter inflāmatio, vel tumor ab humore ſanguineo profectus. Qui ſi magnus ſit, & in inferiore parte craſſus ac orbicularis, periculo non vacat, vt

vt ait Celsus. Alter illius membri relaxatio, incrementum & tenuitas cum liuore quodam. Prior σταφυλὴ siue vua affectionis nomine dicitur. Posterior κίων ἢ κιωνὶς columella, siue lorum: vterque à similitudine (vt morborum plerique) dictus est. Vtriusque causas, indicia & curatiuam methodum sequentibus capitibus trademus. *ca. 14. 6. li.*

De Tumoris vuæ & columellæ causis & indiciis.

Cap. XXXI.


HOs affectus excitantes causæ procatarcticæ, sunt omnes illæ quæ fluxionem à capite ad gurgulionem promouēt, quales sunt vini generosi & meracioris frequens vsus: calidorum & acrium ciborum, sanguinemque adaugentium copia, laboriosus & intempestiuus corporis motus, pleno existente capite: Aquilonia temporis constitutio, cerebrum ipsiusque

que velamina comprimens, vehemens ſolis æſtus humores fundens & eliquans, clamores magni atque ad rauim vſque facti.

Internę cauſæ ſunt maxima gurgulionis imbecillitas, capitis craſſa & carnoſa conſtitutio, ipſiuſque plenitudo, quæ per venas in gurgulionem defluens vuam gignit, tenui & pituitoſo humore gurgulionem irrigans, ac extendens, vnde columellam excitat: vterque affectus non ſine magna moleſtia ægrotantem excruciat, tum quod ſpiritus viam, tum quod cibi iter occludat.

Tuſſis omnibus adeſt, & humor in nares repellitur, laborantibus vnà tonſillis. Aperto ore & compreſsâ linguâ, tumor & extenſio facilè videtur, nonnunquam tam tenuis pendulus eſt gargareo, vt linguam ipſam contingat. Senibus columella, vua iuuenibus morbus eſt peculiaris.

De



De Tumoris vuæ & columellæ curatione.

CAP. XXXII.

VVæ curatiua methodus tribus ſcopis abſoluitur. Priùs enim agendum eſt de huius curatione, denique de columellæ remediis. Primus nos monet, vt congruam victus rationem ægroto conſulamus: quem in aëre calido & humido, in regione auſtro & boreæ expoſita verſari nolumus, ſed modicè frigida & ſicca. Abſtinentiam conſultis priùs viribus Celſus commendat. Ab eduliis calidum & copioſum ſanguinem gignentibus abſtinendum: necnon à veteris, acris & meracioris vini potu, cuius loco aqua hordei vtilis, ſalubre quoque hydromel. Laboribus magniſque exercitiis parcendum. Sublimius tenendum caput: ſit moderatus ſomnus, nam ab eo qui debitam naturæ legem excedit *vbi ſupra.*

periculum haud dubiè maximum imminet. Venus negligenda:& fugienda, omnia animi pathemata, ea potiſſimum quæ ſanguinem inflammare nata ſunt. Noxia plenitudo, alui deiectio frequens ſalubris: aduerſus item vaporulentorum alimentorum, vt alliorum, cæparum & bulboſarum radicũ vſus, vinique recentis & nondum defœcati potus. Modicè alentia alimenta, frigida qualitate prædita, ſunt ex vſu; frictiones externarum partium, inferiorum præſertim vtiles habentur, quas vniuerſalis euacuatio præcedere debet.

Secundus ſcopus corporis totius euacuationem, & humoris ad affectam ſedem fluentis reuulſionem expoſtulat. Itaque ſi corpus ſit plethoricum, & mittendi ſanguinis adſint ſcopi, venam cubiti mediam, quam Arabes brachij funem vocant, commodè tundemus. Ætate verò venæ ſectionem reſpuẽte ſcapulis affigendæ erunt cucurbitulæ: quorum appoſitio frequens etiam

poſt

post venæ sectionem non est negligenda. Vincula quoque inferioribus partibus iniecta reuulsionis ergo probantur. Vtilia sunt in capitis & capiti proximarum partium morbis clysmata, modo sint acria, & è longinquis partibus humores euocantia, quæ in sequentem modum parari possunt.

℞. Maluauisci cum rad. viol. acanthidis, parietariæ, mercurialis, maluæ bethonicæ, sampsuci sing. M.j. prunorum, caricarú pinguium sing. pa.x. sem. fœnic. anisi & seseli massiliensis sing. ℨ. ij. agarici albi fœmini. ℨ. vj. sem. lini, fœnugræci sing. ℥.j. sem. carthami contusi ℨ.x. florum centaurij minoris, rorismarini, stœchados, sambuci sing. p.j. Fiat decoctio. cape de colatura qu. v. in quibus dissolue benedictæ & hieræ picræ sing. ℥. ß. cassiæ cum sacch. ℨ.vj. succi ciclæ, mellis ros. colati, sacchari rubri sing. q. s. ol. viol. & de lilio sing. ℥.ij. salis communis ℨ.j. misce, fiat clyster.

Multi ad reuulsionem candens

ferrum oſſium bregmatis regioni ad latus obeleæ commiſſuræ admouent. Setonibus quoque fluxionem reuellunt, ſupremæ ſcapularum regioni apponentes, humido & pingui medicamento, vt inflicta vulnera aperta longo tempore ſeruentur, illinentes.

Tertius ſcopus topicorum remediorum vſum commendat. Quare in morbi initio, capite & vniuerſo corpore prius euacuatis, quæ fluxũ reprimunt auxilia vſurpabimus, ac fortia in magno, debilia in paruo adhibebimus: & cum noſtri corporis affectæ partes pro illarum varia ſtructura variaque actione propriis & maximè accommodatis remediis egeãt; gargariſmata & collutiones, his tanquã magis congrua remedia in ſequentem modum parabimus.

℞. Foliorum oleæ ſylueſtris, cacuminum rubi, foliorum ſolani, plantaginis, herbæ Roberti, pampinorum vitis ſing. M. j. mororum, radicis mori ſing. ℥. j. citinor. hypocyſthidis ſing. ʒ. vj. pyrorum acerborum,

rum, ſorborum ſing. nu. viij. fiat decoctio, facta colatura ad ℔. ij. miſce dianuci & ſucci roſ. defæcati ſing. ℥. iiij. fiat gargariſma, vtatur frequenter longè à cibo. Ex lacte gargariſmus circa initium & ſummum vigorem maximè commendatur ab Auicenna: quod repellat, leniat & dolorem ſedet. Sed hoc eſt obſeruandum, ne capite & corpore plenis hæc adminiſtremus, promptiorem ab agitatione humoris defluxionem metuentes. Vel ſic.

℞. Turionum ilicis, fagi, arbuti ſing. M. j. glandium, folior. & baccarum, myrti, roſar. rub. ſing. ℥. ß. cornorũ, meſpilorum ſing. nu. vj. cyperi, iunci odorati ſing. ʒ. iij. rhois culinarij & coriarij ſing. ʒ. v. fiat decoctio, de colatura cape ℔. j. ß. diſſolue ſucci malorum granatorum & malorum cotoneorũ ſing. ℥. iij. miſce, fiat gargariſma, quod præcedenti eſt fortius. Adde aluminis ſciſſi, quod aliis aluminis generibus ob partium tenuitatem eſt præſtantius, ʒ. ij.

Inflammatione ad incrementum, vel ad summum vigorem mutati, sequentium auxiliorum formula non erit indecens.

℞. Rad. acori vulgaris, galangæ crassioris, rad. iridis sing. ℥.j. summitatum rubi, lentici, foliorum plantaginis, oleæ syluestris sing. M.j. foliorum verbenæ, agrimoniæ, turionum cauliũ sing. M.ß. myrrhæ troglitidis, lacrymæ thuris sing. ℥. ij. fiat decoctio, & in colaturæ ℔.j.ß. dissolue mellis dispumati ℥.iij. succi rosarum defæcati ℥.ij. misce, fiat gargarisma. Vel sic.

℞. Lapidis phrygij combusti & diligenter aqua rosar. loti, lapidis ęmatitis, lapidis agerati, & succi Cyrenaici sing. ʒ.j. terātur supra cotē, & in tenuissimum pollinem redacta calamo insufflentur in vuam.

Collo repellentia non sunt apponenda, at potius diaphoretica & digerētia, etiam quouis morbi tempore, vt de angina ab his qui medicinam faciũt proditum est. Et cum gargareo capiti subditus fluxiones ab

ab ipſo facile recipiat, huius tanquã mẽbri mandantis habẽda eſt ratio. Emplaſtrum igitur ſequens aliaque præſidia ſtephanæ & obeleæ cómiſſuris applicabimus, pilis prius raſis.

℞. Thuris, maſtiches, gummi Iuniperi ſing. ʒ.j.ß. melanthij torrefacti ℈. iiij. fimi columbini & muris ſing. ʒ.j. roſ. rub. baccarum & foliorum myrti ſing. ℈. ij. cariophillorũ, nucis moſcatæ ſing. ʒ.ß. picis naualis q.s. fiat emplaſtrum ad formam literæ T. Vel ſic.

℞. Fermenti acris ʒ.j.ß. ſalis torrefacti, fimi columbini ſing. ʒ. ij. mellis anacardini q. s. ad incorporandum fiat emplaſtrum. Capiti etiam ſinapiſmo ſequenti robur addemus, ac humorem in ipſo coaceruatum diſcutiemus.

℞. Coriandri præparati ℥. j. galangæ craſſioris, nucis moſchatæ, cariophillorum ſing. ʒ.j.ß. foliorum beton. ſiccorum ℈. iiij. roſ. rub. ℈. ij. granorũ tinctorum ʒ.ß. ſantali albi & rub. ſing. ʒ. j. fiat puluis tenuiſſimus, applicetur ſerò in lecti ingreſ-

 ſu,

ſu, & mane panno aſpero fricetur caput, nouum poſtea puluerem ſupra ponẽdo. Si repellentibus & digerentibus auxiliis non ceſſerit humor, & iam abſceſſum fecerit, & vomicã non aperuerit, cauterio per cãnulam in partem affectam miſſo, ne linguam attingamus, aperienda erit. Deinde ſequenti gargariſmate deterſoria facultate prædito vtẽdũ.

℞. Succi verbenæ, caulium, agrimoniæ depuratorũ ſing. ℥. iiij. mellis roſ. colati ℥. ij. decocti hordei integri ℔. j. fiat gargar. Deterſo iam vlcere, huic ſarcocollæ & myrrhæ ſing. ʒ. j. miſcere poterimus. Ex lacte caprino, aut aſinino parabitur etiam commodè gargariſma.

Si vua magna & rubra ſit, ſine periculo ſecari, & vri non poteſt ob inflammationis, & ſanguinis eruptionis metum. Si gracilis, liuida & extrema pars craſſior, ſuperior gracilior fuerit, tunc conſulente Hippocrate manus admouere tutũ eſt. Decubitum pronum potiùs quàm ſupinum ægroto conſulemus.

3. prognoſtic. prog. 21.

De

De Columellæ curatione.

Laxa & prominula columella quiete & proba victus ratione, gargarismis simplicibus, & leuiter astringentibus curatur, diluta posca & tepida aqua mulsa, & collutionibus repellentibus & digerentibus. Sed hæc ante venæ sectionem, si corpus sit plethoricum, vel purgatorij medicaminis administrationem, si cacochymum, non sunt tentanda. Sequentia itaque præsidia opportuna erunt.

℞. Lentium, hordei sing. p. j. rosarum rubearum siccarum, baccarum & foliorum myrti sing. p. ß. balaustiorum ℥. ß. aquæ & aceti sing. partes æquales. Decoquantur vsque ad mediæ partis consumptionem, colentur, fiat gargarisma. Miscebimus commode ℥iiij. mel. ros. colati, vel medicamento Galeni libro κτ̀ τόπȣς tradito vtere: quod recipit spicæ celticæ, nidi hirundinum aut pulueris hirundinum in clibano non admodum

vrente exiccatarum ſing. ʒ. iij. gallarum viridium nu. x. roſarum rubrarum p. ß. miſce, fiat puluis tenuiſſimus, mittatur in locum affectum. Origini ſpinalis medullæ aut ſyncipiti adhibere ſequens emplaſtrum erit vtile.

℞. Gummi ammoniaci, galbani in aceto acri diſſoluti ſing. ℥. j. fiat emplaſtrū rotundum. Prodeſt etiam gargariſma illud à Rhaſe Mauritano traditum, quod ex malis granatis acidis cum pulpa contuſis & expreſſis conficitur. Dianucum, diamorum in gargariſmatis etiam plurimum commendantur: ſed dianucum quando ſolum repellere, diamorum quando repellere ſimul & digerere eſt animus.

De Pariſthmiis, ſiue Tonſillis.

Cap. XXXIII.

TOnſillæ ſiue glandulæ quatuor à prouida natura ſunt procreatæ, duæ ad linguæ radicem

radicem vtrimque perſpicuæ: duæ his proximæ. Sed penitiores Græcis παρίσθμια dicuntur ab ἰσθμοῦ figura, quòd in auguſto meatu ſitæ ſint. Solebant enim veteres Græci locorum anguſtias, vel ſtrictam inter duo maria terram ἰσθμὸν appellare. Oborta quippe in ipſis inflammatione tument: & ſpiritus ac cibi viam occludunt. Interdum partem, ſæpe affectum nobis repræſentant. Galenus glandulas quæ in oris termino vtrimque ſibi ex aduerſo iacent, interdum ἀντιάδας, id eſt, tonſillas, partes autem his vicinas, pariſthmia vocauit. Auicennæ Interpres amygdalas: *lib. 7.* Celſus pariſthmia, & tonſillas eorum *cap. 8.* inflammationem.

De cauſis & indiciis inflāmationis pariſthmiorum & tonſillarum.

CAP. XXXIV.

HArum partium inflammatarum cauſæ prægreſſæ, nimius meri

meri potus, multa ac auidior ciborum deuoratio, acrium præsertim, asperorum, linguamque ferientiũ, habentur. Quibus Solis vehementem æstum, capitis humores attenuantem, & defluxionem promouentem, addes. Intemperies calida & humida, horũ morborum causa est corporea. Solent enim membra calida & humida frequentissimè in inflammationem incurrere. Nam in habentibus symbolum transitum esse facilem scripsit Aristoteles. Præterea in Aphorismis ab Hipp. traditum est, in morbis minus periclitari, quorum naturæ, aut ætati, aut consuetudini, aut anni tempori, magis congruit morbus. Sanguinis immoderata copia, & ciborum immoderata quantitas est etiam causa interna. Ob hoc cùm pueri se plurimis eduliis expleant, & adhuc lactantes infantes copioso lactis haustu, id sibi malum cõtrahunt. Indicia sunt, transglutiendi difficultas, dolor febri nonnunquam copulatus, tumor

Aphor. 34. 2. l.

cum

cum rubore ore aperto apparens, ſi glandulas ad linguæ radicem vtrinque ſitas inflammatio diuexet: ſi inferiores colli tumor tactu deprehenſus, aſſeclam dolorem habeat.

De Pariſthmiorum & Tonſillarum phlegmones curatione.

CAP. XXXV.

HVius inflammationis curatiua methodus tribus ſcopis perficitur. Primus nos hortatur, vt probam victus rationem ægro præſcribamus, & valido exiſtente corporis robore, tenuiſſimum victum, præſertim circa initia conſulamus, ac febre ſimul inuadente aquæ potum exhibeamus. Quæ adminiſtrantur, ſiue ſint alimenta, ſiue medicamenta, tepida eſſe oportet. Frigus minimè tolerant inflammatæ partes, ſicut neque plurimum calorem. Defatigatis viribus cibi ſorbiles ſunt offerendi,

rendi, ventri commodi, ipſumque laxantes.

Quare ad ſecundum ſcopum tranſeuntes, ſi venter non probè egerat, leniẽtem clyſterem iniiciemus. Poſtea iuueni ægro, multóque ſanguine abundanti inciſa cubiti vena ſanguinem detrahemus. Ac poſt ſanguinis miſſionem gargariſmos repellentes & infrigidantes præſcribemus: quales ſunt ij quorum ſuperiùs facta eſt mentio. Horum vſus ante euacuationem ſuſpectus habetur, nam ob motum qui in gargariſmatis fit, maximè timendum erit ne humoris maior copia in inflammatam partem deturbetur, phlegmonẽque adaugeat. Miſcenda poſtea erunt digerentibus apocrouſtica, pro vario inflammationis tempore, nudis digerentibus cum ad declinationem morbus venerit, erit vtendum.

Sed hoc eſt maximè obſeruandum, ne externis partibus repellentia adhibeamus, quod etiam in angina ab omnibus medicis obſeruatum

tum

tum eſt:ſed potius digerentia chalaſtica, ipſumque dolorem lenientia: qualia ſunt ſuccida lana œſipo ſaturata, vel vnctio ex oleo liliaceo, chamæmeli, vel reſumptiuo vnguento parata.

Quod ſi digerentibus & apocrouſticis medicaminibus non cedat inflammatio, vel futuri abſceſſus nobis aliqua rudimenta apreant, tunc gargariſmus ex caricarum pinguium, dactylorum, vuarũ paſſarum mundatarum ab acinis, & ziziphorum decocto parandus erit, & iam apparentibus natæ vomicæ notis, acuto cauterio per cãnulã in os miſſo, vel phlebotomo aperienda erit. Salubriſque erit detergens & vlcus eluens gargariſmus: qualis eſt is qui ex hordei integri, lentium integrarum decocto fit, addita mellis roſati quantitate debita. Poſt vlceris probam deterſionem colleticum gargariſma ex ſtomaticis, non mineralibus, & exitioſis medicamentis, vſurpandum erit: quorum ampliſſimam ſyluam lib.

l. 8. c. 1. κτ̀ τόπους nobis Galenus tradidit.

De Exanthematis & Ecthymatis.

CAP. XXXVI.

EXanthemata psydracia & ecthymata sunt pustulæ, quas Auicennas Bothores vocauit. Paulus pustulas per cutem pueris erumpentes exanthematum nomine donat: & cap. 8. lib. 4. exãthemata fieri ex crassis in cute concretis humoribus, pellicula superiore densa existente, lib. 3. cutis exulcerationes subrubicundas & asperas esse tradidit. Psydracia verò capitis exigua tubercula, pustulis similia summam cutem excedẽtia. Galenus verò ecthymata papulas in cute erumpentes, & sponte extuberantes vocauit, quæ ex superfluis & crassis humoribus fiunt. Quippe qui tenues exulcerationes potiùs quàm tumores creant; crassi verò in tumorem pellem attollunt. Plinius papulas & pituitæ eruptiones

nes vocauit,Hippocrates, herpetes magnos, vel quia magnum occupant locum, vel quia cum maligna contingunt erosione.

Ex his cuilibet perspicuum euadit, confusam & indeterminatam esse horum autorum de his morbis differentiam, cùm in pustulas, bothores & papulas inter se differentes reuocent. Si quis tamen veritatis inquirendæ studio flagret, & morbos non posse tutò curari illorum nomine & essentia incognita existimet, frequenter in corporis superficie paruas quasdam eminentias rotunda figura in cute extuberantes, vel maculas apparere sibi persuadebit, has cutis defœdationes, illas pustulas vocans, quæ non secus ab his humoribus fiunt ex quibus magni tumores oriuntur.

Sub pustula tanquam genere exanthemata, ecthymata, vari, psydracia continentur. Exanthemata, Latinis efflorescentiæ siue efflorationes, florum instar foras exilientium

tium dicuntur, ἄνθος enim idem eſt quod flos. Vel ſunt feruidæ impetuoſæq; eruptiones in tumorem cutem attollentes, quæ ab ecthymatis non differunt.

Practici exanthemata in morbillos & variolas diuidunt: eo quod qui in corpore apparent tumores exigui ſunt, & varis faciem nonnunquam moleſtantibus ſimiles, vel citra tumorem rubris maculis cutis infeſtata feruidum in internis corporis partibus ſanguinem contineri promittit.

Pſydracia ſunt puſtulæ parum duræ, ſubalbidæ, acutæ, ſupra cutem eminentes, phlyctenis ſimiles, ex quibus quod exprimitur humidum eſt. Pſydracion cutis capitis eſt affectus: phlyctena corporis totius.

Exãthemata & ecthymata morbi ſunt pueris peculiares, rarò iuuenes diſtorquẽtes, at ſenes rariùs. Antiqui Medici cùm de horũ morborum conſtitutione, cauſis & curatione perfũctoriè & confusè ſint

ſint locuti,& inter poſteriores præſtantiſſimóſque nondum de cauſis ſit conuentum, non erit abſurdum paulò exactiùs cauſas venari, præſertim exanthematum, & ecthymatum, de quibus hos digladiari maximè videmus.



De Exanthematum & Ecthymatum cauſis.

Cap. XXXVII.

DE exanthematis acutas febres iudicantibus hic agere non eſt noſtri inſtituti: nam hæc cum naturæ irritatæ vel validæ motu fiant, huic reluctari non debet Medicus, neque curationem aliquam moliri. Sed de his quæ pueros frequenter moleſtant inſtituere ſermonem decreuimus, & oſtendere(nullius defraudans iudicium,libenter enim cedam ſaniora referentibus) quantum à veritate in cauſarum notitia, & curatione aberrarint noſtri æui aliquot Medici,

dici, qui potiùs contradicendi quàm inquirendæ veritatis ſtudio mouentur.

Horum itaque morborum cauſas duplices ſtatuimus, externas alias, alias corporeas. Externæ ſunt cibi citæ corruptioni obnoxij, aëris coudìtio calida & humida, venæ ſectio prætermiſſa, & peſtilens tẽporis conſtitutio. Exanthematum cauſæ corporeæ ſunt humores tenues & calidi, latas puſtulas excitantes, quæ non admodum ſunt pruriginoſæ: ecthymatum ſanguis craſſus faſtigiatas atque acutas puſtulas faciens.

Vterque affectus ex ſanguinis menſtrui malignitate, quo infans in matris vtero alitur, emanat. Sed exanthema à tenui & bilioſo ſanguine, ecthyma à craſſiore ſcaturit, qui in partium ſolidarum poris ſtato tempore retentus & latens, ab externa vel interna cauſa efferueſcens, ad corporis habitum excretoria facultate valida exiſtente protruditur. Ob hoc cuiuis homini

(modò

(modò immatura morte non præueniatur)semel contingit. Vterque quamuis sit Epidemius morbus, quia ab aëris corpus nostrum ambientis venenosa quapiam cælitus inducta qualitate commouetur, intrinsecam nihilo secius affecti corporis dispositionem ob sanguinis menstrui portionem quandam remanentem, quo infans genitus nutritusque est, præcipuã causam, cum Auicenna & aliis Medicis esse censemus. Quapropter hanc affectioně multi naturalem vocarunt, quod à malo succo, in embrij cibo fixo, scaturiat, quæ vitari minimè potest.

Quidam celeberrimus Medicus, vir certè cui ob assiduas in philosophicis ac mathematicis disciplinis vigilias, & multos in re medica exanthlatos labores, posteritas multum debet, oppositam sententiam non leuibus argumentis fulcit, quæ ab Herculani Cõmentariis in cap. de pestilenti febre Auic. prima 4. est mutuatus. Ait enim exanthema,

thema, morbillos scilicet & ecthymata, variolas à vulgo (cuius opinio non est omnino reiicienda) vocatos esse morbos Epidemios, à cæca & latente causa ad pestis instar excitatos, & sanguinem menstruum non esse horum affectuum corpoream & continentem causam. Nam si his morbis sanguis menstruus à feruidiore cœlo, vel austrina tempestate foras ex intimis penetralibus naturæ vi protrusus ansam suggereret, sequeretur, mulieres quibus menstruæ purgationes sunt retentæ, necessariò ecthymatis vel exanthematis distorqueri. Et cùm perniciosus sit menstruus sanguis, alendisque corporis partibus planè inutilis, quî fieri potest vt citra horum affectuum expulsum tam longo tempore liber persistat puer, quem, quãdiu in matris vtero continetur, è materni puriore sanguinis parte nutriri Galenus scriptum reliquit? Quod si impurus ille sanguis in huius alimentum cedit, cur post

lib. de semine.

multas

multas febres, multosque morbos superatos in annum ætatis trigesimum, aut quadragesimum in membris delitescit? Visi sunt in ea ætate non pauci his morbis conflictari. Insuper oporteret vnũquemque his aliquando in vita necessariò diuexari debere, & neminem his posse secundò, aut tertiò prehendi, quorum vtrumque manifestè falsum conspicitur.

His rationibus Arabum & multorum Medicorum sententiam expugnare conatur, & hæc mala ex communi quadam causa toti aëri conspersa originem habere contendit, eo quod non solùm cœlo æstuante, sed sæpe hyeme grassentur.

His argumentis addemus & aliud suæ opinioni suffragans, præcedentibus nostra sententia non infirmius. Si ex menstruo illo sanguine prædicta incommoda excitantur, cur in vtero matris fœtus non laborat? Nam quo ad excitandum affectum vehementior est causa,

accedente proba paſſi diſpoſitione, eo effectus & promptior & vehementior cunctis apparebit. Cùm autem alligatus vtero, vberiori ſanguinis menſtrui copia fruatur, cur non promptiùs in hæc incommoda irruet?

Ergo quamuis huius doctiſſimi viri decreta tanquam è tripode profecta ſuſpiciam atque obſeruem, veritati tamẽ magis quàm alicui ſectæ addictus, & in verba magiſtri iurare inſolitus, procul pulſo omni contradicendi ſtudio, veritatis (quæ vinci non poteſt) πανοπλίᾳ munitus, quid de hac re ſentiam breuiter explicare, & argumẽntis reſpõdere conabor, ſumpto ab eo quod à Gal. traditum eſt & ab omnibus Medicis receptum initio.

Generationis noſtræ duo ſunt principia, quorum alterum eſt maris & fœminæ ſemen, alterum ſanguis maternus, ſiue menſtruus ſemini alimentum ſuggerens. Ex ſemine ſolidæ partes omnium facul- *Gal. li. de ſem.*
tatum

tatum vera fulcra & fundamenta conformantur. Iam conformatas & delineatas carne à ſanguine menſtruo progenita, natura (vt Apellem Pictorem eximium feciſſe traditur) replet. Quamdiu verò matureſcit in vtero fœtus & creſcit, tamdiu mulieri menſtruæ purgationes retinentur. Quod ſi nonnullis grauidis menſes eruperint, exiſtimemus oportet has ſucculentas & redundantis ſanguinis eſſe participes, vel valetudinarios fœtus parere.

Ex puriore ſanguinis menſtrui parte fœtum ali nemo inficias ibit, qui πρός τι purior dicitur. Quemadmodum à Gal. traditum eſt, lienem melancholicum viſcus ſubtili ſanguine ali: quod non eſt ſimpliciter intelligendum. Nam ſequeretur, lienem calidiorem eſſe iecore. Omnis enim temperies membri ſimilis eſt rei à qua nutritur. Lien igitur alitur ſubtili ſanguine, hoc eſt, ſubtiliore fœculenti & melancholici ſanguinis parte. Ita fœtus in vtero,

4. de vſu partiũ. Apho. 37. l. 5.

Aui. fe. 1. 1. ca. de complexio.

puriore & defœcatiore ſanguinis menſtrui portione nutritur, cuius portio quædam malæ qualitati copulata in partium ſolidarum poris certo tempore latitat: quemadmodum in frænis ſiue dentium alueolis ſtato tempore latitat ſpermaticus quidam humor, cuius beneficio dentes naſcuntur non ſolùm in ipſis pueris, ſed etiam in adultis.

Aui. fe. 1. 1.

Adde quod ij qui à cane rabido morſi ſunt, nō ſtatim, ſed tranſactis aliquot menſibus in hydrophobiam labuntur: quia venenata illa ſaliuæ qualitas in membrorum poris latitans, non protinus ſuam malitiam eiaculatur, ſed ab aliqua cauſa procatarctica exagitata, venenatas vires exerit, inſaniamque procreat.

Præterea experientiâ frequenti eſt comprobatum, podagra aut elephante infeſtatum parentem, podagricum, aut elephanticum filium gignere, qui nonnunquam ante viceſimum aut trigeſimum annum tali morbo minimè conflictabitur.

Vidimus

Vidimus nos plerosque à nutrice Hispanico morbo laborante educatos citra mulieris congressum, ante tres & viginti annos Hispanica lue non infestatos. Cur hoc quæso ? Non potest meo iudicio alia adferri causa, nisi quod cùm orta suæ originis naturam redoleant, ex elephantico, vel podagrico, aut Hispanica scabie laborante parente similis procreabitur filius.

Sed cur in multos menses vel annos ea dispositio silet ? Nam (vt superius fuit demonstratum) videmus hos à talibus affectibus non statim corripi: quia virus illud in solidorum membrorum poris latet, cuius aliquid in venis etiam cum sanguine est coaceruatum. Huius occulta illa ac noxia qualitas à probo sanguine coërcita accedente externa, vel interna causa, latentem illum humorem exagitante, reliquum sanguinem inficit & excretoriam facultatem (quæ nunquam validè operatur, nisi ab humoris quantitate aut qualitate sit lacessi-

ta) vellicat ac proritat. Tunc ea quæ priùs latebat diſpoſitio, ſe prodit. Poteſt enim venenata materia mole pauca, ſed deleteriis viribus magna, non ſecus in corpore gigni & contineri, quàm à venenata beſtia, vel alia quapiam externa cauſa in corpus ipſum tranſſumi, vt à Gal. ex præceptoris Pelopis placitis fuit luculenter oſtenſum. Non ſolum à ſanguinis menſtrui pernicie, ex quo fœtus in matris vtero per vmbilicalem venam nutritur & augetur, hos morbos excitari, ſed lactis à tali ſanguine geniti ſuctu qui per amphimenas venas ad mammas regurgitat, aliqui contendunt, cùm menſtruo ſanguini germanum ſit lac, eiuſdem noxiæ qualitatis eſſe particeps. Sermonem igitur ad rationes noſtram ſententiam infirmantes conuertemus, ſingulas quo propoſitæ ſunt ordine diluentes.

3. de lo. affect. ca. de proslep.

Ad primum argumentum dicimus, ſimile non eſſe de mulieribus quarum menſtruæ purgationes ſup

ſuppreſſæ ſunt: eo quòd quicquid pueris vitio ſanguinis vel lactis (quod eſt horum peculiaris alimonia) contingit, aut omnino inſeparabile eſt, aut ægrè ſecerni poteſt. Neque vnquam reiiceretur, niſi ab ipſo ſtatim initio moleſtum fuiſſet naturæ, quæ humoris prauitatis non immemor, oblata ſibi ab interna vel externa cauſa occaſione, hunc foras expellit non ſine grauibus ſymptomatis, & ſæpe mortis periculo. In adultis verò mulieribus quibus ſuppreſſi ſunt menſes in venis contentus menſtruus ſanguis facilius à naturæ robore abſque vllo feruore, vel ad cutim, vel ad aliam corporis partem reiicitur.

Ad ſecundum. Recepta eſt ab omnibus, tum Ariſtotelis, tum Galeni ſententia, ſanguinem menſtruum generationis & nutritionis noſtræ materiam eſſe: cuius purior defæcatiorque pars contentum in vtero fœtum alit, impurior donec in lucem prodierit, retinetur: quem prouida natura pro onere habens,

horâ puerperij deiicit. Iam in lucem emissus fœtus sanguine menstruo ad mammas recurrente in his recocto & in lac mutato alitur. Suppressas quippe menstruas purgationes in lactante videmus, quò fit vt eodem tempore mulier menstruas purgationes habere, & lactare vix possit.

Itaque quamuis quod perfectius est ac purius ex menstruo in embrij alimoniam cedat, vitiosa tamen aliqua qualitas ex ipso sanguine menstruo in membrorum poris & mulieris vtero fixa est, quæ tandem à natura à causa externa vel interna irritata, non solum ad cutim, sed interdum ad internas partes protruditur, periculo non vacantia symptomata faciens.

Neque absurdum est malam illam ex sanguine menstruo qualitatem atque infectionem pluribus annis, & sæpe vsque ad senectutem in membris esse absconditam. Id quod pluribus paradigmatis luce meridiana clarioribus ostendi potest.

test. Hęreditarios podagricos videmus, quibus à patris semine nonnunquam infectio est communicata, ad annum vsque trigesimum, vel plus vel minus, latitare, quæ podagram ante illam ætatem non excitauit. Idem quoque de Elephanticis censendum.

Insuper Hispanica oborta nostra tempestate lues hoc ipsum etiam comprobat, videmus multos huius morbi contagio miserè discruciatos qui ligni guaiacini decocto, vel ex cynabrio suffitu, aut ex ipsa hydrargyro paratis vnctionibus desideratæ saluti restituti sunt. Post multos tamen annos absque vllo infectæ mulieris concubitu reuiuiscere ea dispositio visa est. Non certè ob aliud nisi in intimis visceribus reseruatam vitiosam qualitatem, quæ sensim aduenieus alimentum infecit, donec hæc pernicies vigere supra corpus potuerit, acerbos dolores, sæuaque symptomata renouarit.

Nemo igitur mirari debet si per

multos annos atque morbos etiam ſuperatos, vitioſa menſtrui qualitas occulta permanſerit, donec validior reddita naturā ſuperarit: quod etiā in morbillis & variolis accidit.

Ad tertium. His morbis vnumquemque in vita laborare oportet, niſi à febre aut exitioſo quodam morbo morte citiùs quàm hæc mala naſcātur, præripiatur. Neque abſurdum eſt aliquē poſſe bis aut ter talibus affectibus prehendi, præſertim ſi iam cómoto ab aliqua cauſa menſtruo illo ſanguine totum primis conatibus imbecilla excretoria facultas ad corporis habitum propellere nequiuerit. Tunc ea quæ in membrorum poris ſeruatur menſtrui ſanguinis portio accedente exagitante cauſa ſecundò aut tertiò, tales affectus procreabit.

Ad vltimum dicendum, ad harum puſtularum generationem duo eſſe neceſſaria: ſanguinis ſcilicet craſſi aut bilioſi efferueſcentiam, & robur caloris humorem impellentis. Cùm autem vterum partem eſſe

membranoſam & frigidam conſtet, morbillis & variolis in ipſo cótentus fœtus laborare minimè poteſt: nam tametſi mẽſtrui ſanguinis vitioſa qualitas in mẽbrorũ poris ſit fixa, niſi is ab impellente cauſa exagitetur, tales affectus non producet.

His rationibus aduerſariorum argumentis ſatisfactum iri arbitramur. Quod ſi aliquis meliora habeat, & ea in lucem edat, nõ peruicaces & ceruicoſi ferulæ lubente manum ſubdemus. Dignam ab ipſo excuſationẽ recipiẽt conatus noſtri, cùm in magnis voluiſſe ſat ſit. Nũc ad ſignorum hos morbos oſtendentiũ inueſtigationẽ nos cõuertemus.



De Exanthematum & ecthymatum indiciis.

Cap. XXXVIII.

Notæ hos morbos oſtendentes petendæ potiùs ſunt à facie, quàm à reliquis partibus. Nam cùm facies ſit ſpiritalis,

humida & maximè porosa, impressiones facilè recipit & ostendit: quarum quædam futurorum exanthematū & ecthymatum sunt nunciæ, quædam iam præsentes morbos ostendunt. Exanthemata cùm à tenui & bilioso sanguine excitētur, in erysipelatis genus admitti debent. Aut ex phlegmonū sunt classe, quæ à sanguine interdū crasso & ebulliénte, interdū pituitæ mixto fiunt: de quibus hic agere decreuimus.

Quæ futuras & instantes variolas præsagiunt, sunt narium pruritus, caliginosi oculi, maximus in somno timor, tumor initio paruus & rarus, sed vigente morbo maior & frequentior, vox rauca, ægra respiratio: color insuper ruber & sanguini similis, qui frequentiùs aliis humoribus variolis ansam suggerit. Pus ex rupta pustula emanat, eschara cùm sanescit decidit, quæ nonnunquam tam alta, putris & olida est ac maligna, vt fœdas fossas ac cicatrices indelebiles relinquat. Quod in filio

qua

quatuordecim annos nato cuiuſdam forenſium cauſarum patroni vicini mei ſuperioribus annis conſpeximus, qui ecthymatis vniuerſum corpus ita obſeſſum habebat, vt obortis circa varios articulos altis vlceribus oſſium cariei copulatis, putrido & cadaueroſo illorũ odore omnes è cubiculo fugaret, qui tandem noſtris præſidiis magna aſtantium admiratione iam ab omnibus deploratus ſaluti reſtitutus fuit.

Si quando oculos diuexant, illos excæcant, aut curatu contumaces maculas gignunt. Quando ob excretoriæ facultatis imbecillitatem in internis partibus, vt pulmone & inteſtinis, gignuntur, tunc triſte nobis promittunt prognoſticum.

Exanthematum color etiam ruber eſt, ſed magis clarus, horum tumor non eſt eminẽs, neque ad ſuppurationem peruenit, ſed potiùs digeritur. Hi morbi frequentiùs vere & autumno quàm aliis anni parti

partibus excitantur. Quibus cutis densa & astricta est, his difficilis fit exanthematum eruptio. Sunt ecthymata periculosiora exanhematis. Hæc à subtili sanguine scaturientia nonnunquam illa præcedunt, aliquando verò sequuntur pro varia effectricis causæ dispositione.

Sed cur oporteat his duobus, cùm in vtroque sit menstrui illius & vitiosi sanguinis in membrorum poris fixa qualitas, vnumquemque conflictari? nónne euacuato semel illo menstruo sanguine, in solis exanthematis, aut ecthymatis ab omnibus incommodis à tali causa emergentibus liber erit puer? cur ergo oportet vt alterum alter affectus sequatur? Dicendum huius sanguinis menstrui (qui horũ morborum est effectrix causa) duplicem esse partem, alteram tenuem & biliosam, alteram crassam, & vtramque vitiatæ qualitatis esse participem. Si à causa vel procatarctica, vel interna tenuior pars exagitetur,
&

& ad cutim propellatur, exanthemata committet: si crassior commoueatur, ecthymata excitabit. Sanguis hic sic dispositus hos tanquam proprios peculiarésque morbos & non alios procreat.



De Exanthematum & Ecthymatum curatione.

Cap. XXXIX.

Horum affectuum curatio duobus scopis perficitur. Primus nos monet, vt probam, & his malis aduersam victus rationem instituamus. Quo fit, vt cùm ad cutim propulsa sit causa, ne ad internas partes reuocetur, & naturæ motus præpediatur, aëris frigidi inspirationem denegemus, sed tepidi & non admodum calentis vsum cõsulamus. Frigidæ potus insalubris, sed vini albi & oligophori vtilis; vtilis quoque hordei cremor in ecthymatis & tota ptisana. Exanthematis bromij cremor,

mor, quem auenatum practici vocant, confert. Ex vſu ſunt vuæ paſſæ, caricæ pingues, præſertim in morbi initio: oxalidis, malorum punicorum citrangulorum ſuccus cōmendatur. Sint euchyma alimēta frugaliter vſurpata. Vino generoſo interdicendum, & omnibus ſalſis, acutis & linguam ferientibus alimentis.

Quod ſi adhuc ab vbere lac ſugens puer laboret, purgato nutricis corpore ſui officij erit monenda, vt ſcilicet inſtituta proba victus ratione, à vino, Venere, & omnibus calfacientibus quàm maximè fieri poterit, abſtineat.

Pro ſecundo ſcopo ſedulam nauabit operam Medicus, vt in topicorum præſidiorum vſu laborantis ætatem inſpicat. Si infantibus erūpere per corporis ſuperficiem cœperint exanthemata, & horum aluus ſit adſtricta, ſuppoſita ex melle cocto balano, laxanda erit, non purgante aliquo medicamento: quod cum adultis ſint planè inuti

inutilia, pueris minus conueniunt. Solent enim medicatæ potiones his propinatæ dyſenteriam concitare : præterea his naturæ motus maximè præpeditur, conatur enim natura à centro ad circumferentiã vitioſum humorem tanquam hoſtẽ nefandiſſimum propellere, cuius motus exhibito aluum ſubducente medicamento reuocato ad interiora humore, impedietur.

Et vt naturæ ad externas partes noxium ſuccum expellentis motus ſit validior, ſolent non temerè mulieres rubris pannis infantes inuoluere, vt ad frequentem illorum intuitum, meliùs foras euacuetur vitioſus humor. Eſt profectò imaginatio res ad morborum vel incrementum, vel curationem magni momenti.

Si adultioribus medicamentum dare cogamur, erit id mite eccoproticum & aluum leniens : quale eſt id quod ex caſſiæ fiſtularis medulla aut tamarindorũ pulpa, prunorum & paſſularum decocto paratur *Guido Caulia. cap. de cruētis vulneribus.*

ratur addito rhabarbari momento. Venæ ſectio iam apparentibus exãthematis eſt prorſus vitanda. Quod ſi in expellendis ad externas partes humoribus natura ſegnior ſit, decocto in ſequentem modum parato illius motum iuuabimus, vt foras euocatus humor diſcutiatur.

℞. rad. ruſci, aſparagi, graminis, apij & fœniculi maceratarum per diem integrum in vino albo diluto ſing. ℥. j. glycirrhizæ raſæ & recentis ℥. ß. herbarum cap. com. oxalidis, vtriuſque cichorij & ſcabioſæ an. M. j. ſeminis aſparagi, melonum & aniſi ſing. ʒ. ß. caricarum pinguium, paſſularum enucleatarum ſing. p.x. florum bugloſſ. viol. ſing. p.ß. cicer. nig. p.j. f. decoctio, cape de colatura quart. v. in quibus diſſolue oxyſacch. ſimp. ſyr. capillorum ven. & viol. ſing. ℥. ij. ß. pulu. elect. triaſantali ℈. iiij. f. apozema clarificatum & aromatizatum pro quatuor matutinis.

Solent

Solent post exanthematum eruptionem oculi malè affici: tunc ad repellendum & oculos roborandum, præscribendum erit sequens collyrium.

℞. aquæ rosarum, aq.albuminũ ouorum an.℥. ij. collyrij albi Rhasis caphurati ʒ.j.Misce,instillentur guttæ aliquot in magnos oculorum canthos.Gutturis & oris noxæ medebimur gargarismo ex decocto hordei, lentium & diamori confectione. Tussi & pulmonum incommodis eclegmate sequenti.

℞. granorum pini recentium in aqua hordei maceratorum ℥.j. grã. pistac.nõ rancidorũ ʒ.vj.pul.diapapaueris ʒ.j.ß.elect. diatragac. frig. ʒ.ij. penidiorum ℥.i.ß.syr.viol.q.s. fiat Eclegma, vtatur frequenter transglutiendo sensim longè à suis pastibus.

Post decisam ecthymatum escharã solent in facie mala vestigia & cauæ cicatrices remanere, quibus sequenti medicamento medebimur.

℞.ce

℞. cerusæ cum aq. rosarũ ablutæ ℥.j. lytharg. auri ℥.ij. cadmiæ ℈. iiij. pul. specierum vnguenti citrini recenter dispensati ℥. iij. pulueris cannarum adustarum ℥. j. olei nenuphar. ℥.iij. olei rosſ. ℥.j.ß. ceræ albæ q.s. f. linimentum.



De Epinyctide & Terminthο.

Cap. XL.

IN pustularum etiam catalogum Epinyctides & Terminthos reponere conuenit. Est Epinyctis pustula perniciosa, subrubra, cum colore quodammodo liuido, noctu præcipuè animantem affligens, interdiu non magnopere excrucians, nullo instigante, sed sponte exulceratur, subcruẽtam saniem emouens. Causam carbunculi similem tametsi habeat, nihilominus nullius est pestilẽtis cõtagij particeps. Hæc pustula carbũculo minor existit, huius quoque conditionis est Terminthus, à feruido præassatoque sanguine scaturiẽs. Terminthum

thum aliqui phymatis ſpeciem eſſe cenſent, albothin Auicennas vocauit. Galenus adnaſcentiam quandam nigram in cruribus præcipuè genitam ſtatuit. Huius nomen à figuræ, coloris, magnitudiniſque ſimilitudine, quam cum terebinthorum fructibus habet, deriuatum eſt. Epinyctides Eſſere Mauritani Medici nominant.



De cauſis & curatione Epinyctidis & Terminthi.

C A P. XLI.

CAuſæ horum affectuum procatarcticæ ſunt, quæ ſanguinis tenuis, aut pituitæ vaporem ad cutem trahunt, qui ad hanc ſubitò expulſus & ab illius denſitate retentus tumorem excitat. Sanguis itaque tenuis, vel nitroſa & ſalſa pituita, quam Auicennas Bauracalem appellat, cauſa eſt antecedens & corporea: ex his humoribus conſurgens vapor cauſa eſt continens.

Affectus ij cum (vt iam diximus) ali

aliquid cum dothiene & carbunculo commune habeant, similibus fermè præsidiis profligari possunt. Quapropter alimenta infrigidante & astringente qualitate prædita, laborantibus Epinyctide à sanguine tenui profecta, exhibemus, potum decocti rhu obsoniorum consulẽtes. Acrium, acidorum & salsorum eduliorum vsus vitari debet. Aluũ emollientes clysteres, atque infrigidantes præscribemus, nõ prætermissa venæ sectione, si mittendi sãguinis adesse scopos videamus. A pituita salsa & putri dependente, hac postposita, phlegmagogũ medicamentum propinabimus: quod ex myrabolanis indis cebulis & turpeto parari poterit. Post ipsam euacuationem theriacæ vsus est salubris. Pro topicis remediis folia caulium vsurpabimus aut fraxini folia lenia & aceto mixta, frictiones manus aut aspero panno factæ ad vaporum digestionem commendantur. Ex vsu etiam erit ex sequenti præsidio inunctio.

℞.li

℞.litharg.auri ℥.j. ß.rof. rub.ʒ.j. cerufæ ℥.ß.fantali albi ʒ.iij.aceti ℥.j.olei rof. ℥.iiij. agitentur probè in mortario marmoreo,fiat linimētū.

Quæ citra rofionem ficcant vtilia exiftimantur, vtile & apium cúm polenta tritum : vitanda fomenta & balneum.


De Aneurifmate.

CAP. XLII.

ANeurifma quod barbari Emborifma,vel matrē fanguinis appellant, eft fanguinis biliofi & fpiritalis diffufio ab arteria egredientis, & in altum cutim attollētis,à dilatata potiùs arteria, quàm vena excitata.Ab ecchymomate & hypofphagmate differt:nam in his fanguis fœdum in cute colorem nobis repræfentans,à contufa arteria vel vena,iam egreffus, corporis fuperficiem inficit,neque compreffa fortiter fugillata parte,cùm carnis exiguis poris fit impactus fubterfugere poteft, & in venam aut arte

arteriam recurrere.

Galenus arteriæ apertionem ἀνεύρισμα vocauit. Paulus ἀνεύρισμα tumorem esse tactu blandum, prementibus digitis cedentem, ex sanguine & spiritu contractū, scripsit: qui in qualibet corporis parte fieri potest: cuius causas sequenti capite aperiemus. Differt etiam à varice, vt suo loco demonstrabitur.



De Aneurismatis causis.

Cap. XLIII.

FIt ἀνεύρισμα Chirurgi inscitia, nonnunquam arteriam venæ loco secantis, præsertim si cuti aut carni inflictum vulnus coagmentum recipiat, ac cicatrice obducatur, arteria verò hiet, & sub carne & cute aperta remaneat, tunc enim sanguis & spiritus sensim excreti sub cute colligũtur, tumoremque faciunt. Interdum à sanguinis tenuis maxima copia arteriam extendentis & findentis:

non

nonnunquam à sanguine acri & mordaci arteriam per ἀνάβρωσιν aperiente, tanquam corporea causa excitatur. Non desunt qui contra Galenum, Paulum, Aëtium Antiochenum, & horũ asseclas, per hunc affectum non rumpi aperirique arteriam vel venam scribant.

Vt autem bonorum virorum placita euertant, hac ratione tanquam tutissimo clypeo se muniunt. Si sanguis è vena aut arteria (aiunt) prosiliat, cùm iam ampliùs ab suis vasis non contineatur, mox corrumpetur àc putrescet, vel grumosus efficietur, diuersique generis tumorem excitabit, quod fuit ab Hip. in Aphorismis scitè demonstratum. *Aphor. 20.l.6.*

Potest alia addi ratio. Sanguis qui in propriis conceptaculis amplius non continetur, natiui caloris & floridi coloris iacturam facit, necessariò putrescens & abscessum procreat, qui nisi candente ferro, aut pyrotico medicamento aperiatur, gangrænam subiectis partibus

H indu

inducit. Ergo non à fracta aut diuisa arteria, sed potiùs dilatata ἀνεύρισμα excitabitur.

His cauillis Galenum, & reliquos bonos viros ab erroris nota vindicantes facilè respondere poterimus. Sanguis si omnino sua propria vasa relinquat, & in magnum vel sensilem ventrem se reiiciat ab influentis caloris influxu destitutus, necessariò putrescet: sed in aneurismate, quod ab aperta arteria fit, nō ita ab illius calore, & à reliquo qui in ipsa continetur sanguine, est abalienatus, vt ipsius natiuus calor & color pereat, neque in tam amplum ventrem est expulsus vt putrescat. Fouetur enim à vitali spiritu in arteria contento, cùm ipsius materiæ adhuc sit continuus. Nam quamuis diuisa sit arteria, & sanguis tumorem faciens egrediatur, non tamen, continua existente quæ arteriam tegit carne & cute, in amplum spatium semper se ita insinuat vt putrescat, & à naturæ legibus destituatur.

Aneu

Aneurisma à varice differt, quod varix proprius sit venæ affectus, illud autem arteriæ. Pressus insuper aneurismatis tumor pulsum edit, sed varix nullum, cùm venæ otiosis seruis sint similes, arteriæ verò operosis: quarum tumor cùm premitur, quæ intus est materia promptè subterfugit. Aneurisma externas partes interdum diuexat, vt manus, pedes, & eas quæ circa iugulum & mammas sunt.

Sæpe internarum partium arterias defatigat, vt pectoris, meseræi, lienis. Quod à me anno à Christo nato quinquagesimo quarto supra millesimum fuit magna multorum admiratione obseruatum. Cùm Iohannes Fabri acutissimus & sedulus Palatij Monspeliensis Scriba, præcipuam iuuentutis partem in commessationibus, frequenti atque intempestiuo meracioris vini potu transegisset, cœpit circiter quinquagesimum ætatis annum ægrè respirare, & cordis molestissima palpitatione labora-

re. Ad huius morbi depulsionem fuere non solùm à nobis, sed à nostræ Academiæ præstãtioribus Medicis præscripta varia præsidia. Quæ cùm contumax & peruicax morbus ob perseuerantem malam victus rationem, prorsus contemneret, deteriùs habuit, & transactis aliquot mensibus quibus Medicorum consilio nullo medicamento vsus est, (volebant ij curationis partem chronici affectus, naturæ committere) cœpit de illius parte quæ est sub sinistra homoplata queri. Inspecta & optimè animaduersa doloris sede, tumor insignis mihi apparuit, tactu mollis & cum pulsatione, & digitis pressus totus ferè delitescens, & his ablatis recurrens. Conieci protinus aneurisma esse excitatum à crebra & diutina cordis palpitatione, necnon & sanguinis biliosi copia arterias & replentis, & distendentis. Erat enim natura ita biliosus, vt à leuissima procatarctica causa facilè excandesceret, & veluti furibundus

omnes

omnes è tectis profligare tentaret. Calidorum & ſiccorum eduliorum vſus, ac generoſi vini potus frequens, diſtemperiem adauxerat. Tumoris non ab omnibus bene cogniti moles, in dies cùm creſceret, duos præſtanti doctrina Medicos & me querulæ vxoris precibus in conſilium vocauit. Alius cancro hominem detineri, alius œdemate obſeſſam partem conſtanter affirmabat. Ego verò alium ab aneuriſmate affectum eſſe non poſſe mordicus ſuſtinebam.

His autem rationibus neque cancrum, neque œdema eſſe demonſtrabam. Cancer ab humore melancholico fit, œdema à pituita aquoſa fluxili & non reſiccata. Cancri tumor durus eſt, rotundus, inæqualis, colore liueſcens, aut nigricans, & moleſto dolori copulatus, œdematis mollis, digito cedens, & indolens cum colore albidiore. Cùm igitur harum notarum nulla in Scribæ tumore reperiretur, iure optimo concludere pote-

ram, neque cancrum, neque œdema esse. Notæ verò aneurismate illum diuexari promittentes tam perspicuæ erant, vt me fallere minimè possent. Nam quamuis hic tumor mollis esset & exigui doloris particeps, foueam in locum digito pressum, recurrente ad arteriam sanguine, non relinquebat. Præterea manifestus arteriæ pulsus percipiebatur, affectus arteriæ nuntius: quod præcedentibus tumoribus non accidit. Admota cordis regioni altera manu, & tumori altera, idem diastoles & systoles motus eodem tempore factus deprehendebatur. Sententiam de hac re meam confirmauit suo acri iudicio Michaël Heroardus præstantissimus Chirurgus, & in corporum dissectionibus maximè exercitatus, qui lynceis oculis tumore probè contemplato, ne latum quidem vnguem à mea opinione discessit.

Cæterùm cùm hic morbus iam altas radices egisset, essetque deploratus,

ratus, vitam cum morte commutauit. Vt autem & constitutionis morbi, & eius causæ certiores essemus, tumore tentatam partem dissecuimus, ex qua sanguis copiosus, sed olidus prosiliit, quo planè euacuato & deterso, apparuit nobis prima arteria sub corde ex magna ad caput ascedente orta, maximè dilatata & dilacerata. Hæc descendens intercostalium musculorum regionem perreptat. In musculorum spatiis coaceruatus sanguis temporis diuturnitate putrescens, illius loci vertebram & costam ita labefactauit, vt à nobis cariosa visa sit. Magna & perseuerans cordis palpitatio, sanguinis arterialis accedente copia, paulò superiùs recensitam arteriam dilacerauit, & aneurisma procreauit.

Constat igitur aneurisma à fracta & dilacerata arteria nonnunquam fieri: quæ si insignis sit, qualis illa fuit, curationem non admittit, vt disertè à Paulo fuit demonstratum. Neque silentio præ-

terire decreui, quò melius meam ſententiam firmem, quod ſuperioribus annis vidi. Quidam Sabaudiæ nobilis recuperandæ ſalutis ergò huc venit laborans tumore magno pedis ſiniſtri, ſuram veſtientes muſculos detinente. Erat hic tumor mollis & aneuriſmatis omnia indicia habens. Quem huius Ciuitatis Chirurgus in artis operibus parum exercitatus, admotis priùs digerentibus medicamentis, demum pus mouentibus, vt qui hominem œdemate laborare exiſtimaret candenti ferro ſecuit: ſectionem mox ſequuta eſt talis hæmorrhagia vt ſanguis ἀθρόως, & cum ſaltu exiens crebras λιποψυχίας excitarit. Attonitus rei nouitate Chirurgus, puris potiùs quàm ſanguinis eruptionem expectans, vt magnum ſanguinis profluuium ſiſteret, apocrouſticis & maximè refrigidantibus remediis affectam partem muniuit, meque cum alio Chirurgo ſequenti die accerſiri iuſſit, reformidans ne aſſiduo animi

mi deliquio detentus animam expiraret. Hominis pulſus erat paruus, languidus, & ex longis interuallis factus, ac ſæpe intercidens, circa frontem & ceruicem frigidi ſudores verſabantur, facies decolor & Hippocratica apparebat, quamuis iuuenis adhuc eſſet, vegeto & quadrato corpore. Pedis vincula copioſo cruore madentia tollere, vt vulneratam partem nobis oſtenderet, pertimeſcebat: & cùm id facere tentaret, rurſus tam magnum ſanguinis profluuium rediit, vt non ſolùm hominem cum Orco certare, ſed iam è vita diſceſſiſſe noſtrûm nemo dubitaret.

Contemplato probè vulnere, noſtris conſpectibus ſe obtulit pulſans arteria, fracta atque dilacerata ſanguinem tenuem euomens. Hæc ab arteria magna cum coniuge vena inferiori ſpinalis medullæ regioni incumbente in duos ramos ad poplitem tendentes diuaricata, ortum accipit.

Tandem perſeuerante hæmor-

rhagia quam neque candente ferro, neque pyroticis medicamentis ſiſtere vllus poterat ob magnam arteriæ dilatationem, vitam cum sãguine fudit. Omnibus itaque tam notum eſt quàm quod notiſſimum, non ſolum à dilatata, ſed aperta & rupta arteria aneuriſma fieri: ad-apertæ enim arteriæ affectus aneuriſma Galeno dicitur. Neq; tacendũ hoc loco cenſeo quod 11. Feb. An. 1567. in nobili quodam Britone fuit obſeruatum. D. de la Caſe nobilis Brito bilioſus natura & ſanguineus ex aſſumpto olim (vt narrabat) veneno, laborauit aliquot annos dyſpnœa. Cùm verò à duobus ferè menſibus ſanguinem tuſſiendo reieciſſet floridum ſpumoſumque ab initio per interualla 12. vel 15. dierum, poſtea verò trium aut quatuor, cœpit tandem ſentire circa mediam ſterni regionem & ex aduerſo in mediis omoplatis, intenſiſſimum dolorem qui vix intermittebat.

lib. de Tumo. præter na.

Poſtremò valde conſumptus &

assidua febricula laborans, cùm se meliusculè habere diceret, inter prandendum suborta tussi, ex sanguinis largiore quàm antea reiectione mox suffocatus est. Illius iussu apertus fuit thorax, sinistra pars aqua crocea fuit plena, quæ non ita multo post extracta concreuit mellis instar. Ex eadem parte pulmo fuit subniger & quasi retorridus: ex altera subcineritius, flaccidus & spumosus. Pulmone extracto simul cum corde & suis vasis, deprehensa est caries in tribus vertebris dorsi corde superioribus, qua incumbebat aorta ascendens.

Hæc verò tam ampliter dilatata fuit ex aneurismate, vt pugnum crassissimum exciperet mox à cordis egressu, & eiusdem sub pulmonibus incessu. Ea fuit referta, velut grumis aut carne corrupta maximis portionibus, cui simile quippiam die præcedenti per tussim cum sanguine reiecerat. Mirum quanta fuerit plenitas venæ

cauæ aſcendentis & iugularium, quaſi maxima pars ſanguinis in iis partibus contineretur, eò allecti ex contentione quam frequentiſſima difficillimáque tuſſis efficiebat.



De Aneuriſmatis indiciis.

CAP. XLIV.

ANeuriſma conſequentes notæ ſunt, tumor, ſæpe paruus, nonnumquam magnus, indolens, concolor, maximè mollis & ſpongioſitatis cuiuſdã ideam præſeferens, & ita preſſioni digitorum cedens, vt omnino euaneſcere videatur, & rurſus amotis digitis promptè rediens, vt ſuperiori capite oſtendimus. Hoc in aneuriſmate à ſola arteriæ dilatatione orto euenit. Sed in eo quod à vulnerata arteria fit, coaleſcente iam cute tumor non adeo mollis apparet: eo quod tumorem extendens ſanguis qui iam in grumos degenerauit, ſpiritu eſt copioſior, manifeſta

inſu

insuper in tumore percipitur pulsatio, doloris expers. Sæpe ex aneurismate sphacelus oritur.



De Aneurismatis curatione.

CAP. XLV.

ANeurismatis guttur, aut alas, aut caput infestantis curatio deplorata censetur, cui ne mali Medici nomen subeamus manus non est admouenda. Nam si secetur tumor, tanta sanguinis & vitalis spiritus eruptio fit, vt æger sæpe in Medicorum manibus deficiat. Curationem etiam contemnit id, quod insignibus & magnorum musculorum spatia perreptantibus arteriis fit. Curari autem potest, quod à dilatata parua arteria, vel à vulnerata, adglutinata tamẽ carne & cute ipsam tegẽte scaturit, vt ex Gal. historia perspicuũ euadit. Dilatatæ arteriæ adstringentia emplastra sunt admouenda, qualia sunt quæ ex malicorio, acacia, hypocisthide, gallis, rosis, thu

coria

coriacorum, baccis & foliis myrti, pini cortice, lemnio sigillo, aloë, lapide hæmatite, manna & thuris cortice parantur. Topica hæc remedia non sunt vsurpāda, nisi prius sit toti corpori consultum. Arcta ligatura vincienda est affecta pars apposito prius emplastro adstringente. Chirurgia etiam curari potest, præsertim quando est dilacerata arteria, nouacula carne detegenda & duobus funiculis qui non facilè putrescant, tum in superiore, tum inferiore parte firmiter est liganda: quod autem medium est & ruptum per transuersum præscindere oportet. Demum aliorum vulnerum more aggredienda erit agglutinatio.



De Batracho siue Ranula.

CAP. XLVI.

BAtrachus tumor inflammationi similis, sub lingua erūpens pueros maximè defatigare solitus, quem Ranunculum aliqui vocant,

vocant, id eſt, carnoſum tumorem, oblongum, ſub lingua genitum, illiuſque functiones impedientem, & figuram alterius linguæ retinentē, fit à ſanguine, venas ſub lingua ſitàs (qua raninas vocant) & eius carnem ſpongioſam replente. Cum autem ſit morbus in numero adaucto præter naturam, ſui ablationem efflagitat. Quapropter habita prius totius corporis ratione, digerentibus atque aſtringentibus medicamentis illum demoliri oportebit. Qualia ſunt malicorium origanum reſiccatum, ſabina combuſta, hermodactylorum puluis, tragacanthũ, paſtilli Andronis, albumine ouorum excipiantur, & ſub lingua detineantur, cauendum ne horum aliquid tranſglutiatur.

Quod ſi horum medicaminum vſus nihil conferat, ad valentiora erit tranſeundum, atque ad chirurgiam properandum, & nouacula optimè ſecante poſt exactam à reliquis partibus ſeparationem diſſecare erit opportunum. Secto loco

calcitin

calcitin admouebimus, ad hæmorrhagiam sistendam: posca postea colluatur, vel vino in quo decocta sit myrrha. Optimum etiam remedium est venas sub lingua diuidere. Quod si ranulæ color liuidus vel niger appareat, & sensus sit expers, cum cancri naturam oleat, ferro non erit irritanda, sed potius mitioribus medicamentis lenienda. Est enim ab Hippocr. scriptum, cancros occultos non curare, &c.

Aphor. 38. l. 6.



De Parulide & Epulide.

Cap. XLVII.

Qvamuis horum affectuum nomina similia esse videantur, diuersas nihilominus res significant. Est enim Parulis inflammatio circa gingiuarum aliquam partem, cum tumore facta, quæ vbi non dissoluitur suppuratur. Epulis verò iuxta interiorem dentem molarem hypersarcorsis luxuriante partis alimento oborta.

Paruli

Parulidem epulis sequitur. Oritur parulis iuxta quamlibet gingiuã, illius nomenclatura hoc indicante. Auicennas Parulidem apostema in gingiuis cauum & profundum suo idiomate Berules vocauit, quod quando medicamentis digeri non potest purulentum euadit. Carnosos tumores Parulidem, Epulidem & Thymum Gal. vocauit. *lib. de Tum. praeter natur.*

De Parulidis & Epulidis causis, indiciis & curatione.

CAP. XLVIII.

A Sanguine ad gingiuas fluente fit parulis, phlegmonem gignente. Epulis etiam à sanguine in carnosum tumorem verso excitatur. Epulidi quandoque copulatur febris cum dolore. Affectus ij sensibus facile deprehendũtur, ob id magna perscrutatione non egent. Inflãmatio enim à sanguine excitata haud difficile visu & tactu deprehenditur. In profliganda

ganda parulide venam tundemus, vel purgatorium medicamen porrigemus (si vitioso succo corpus sit oneratum) ne ad gingiuarum laxam carnem defluat sanguis & defluxus putrescat, & in pus conuersus abscessum faciat. Post sectam venam, si corpus sit plethoricum, humorem digerentes oris collutiones præscribemus: quales sunt quæ ex lini seminis, aut hordei integri decocto, mulsa calida, œnomelite parantur. Quod si parulis discutiẽbus medicamentis non pareat, carica pinguis tosta & calida, quo melius inflammationem committens humor suppuretur, ore erit detinenda. Iam suppuratum tumorem acuto venæ incisorio rumpemus, & ex linteoli rasura confectã turundam melle rosato, vel aliquo moderatè detergente medicamento saturatam sectioni imponemus. Epulis ex parulide progenita siccis & carnem exedentibus medicamẽtis, post illorum vsũ quæ profligãdæ parulidi sunt cõgrua, erit ex-

pugnanda. Calcitin,ſori,cadmiam, æs vſtum Paulus & Aëtius commendant. Sed cum illa medicaméta in ventriculum poſſint facile deferri ſuſpecta habentur, quorum loco combuſti aluminis & gallæ vſus tutior erit. *ca. 49. 3. lib.*

Quod ſi mãdibulæ interior pars læſa ſit,ac cum moleſtia os aperiat, totam maxillam cataplaſmate ex lini ſemine & aqua mulſa ſimul coctis integemus,anthera arida vlceri erit inducenda. Magnam verò putrilaginem gingiuis obortam ſi ad id dicatis medicamentis curari non poſſit, candenti ferro aduremus.



De Thymo & Condylomatis.

C A P. XLIX.

THymus carnoſum eſt tuberculum(vt diximus)doloris ferè expers,nunc in glãde,nunc in præputio, nunc manuũ & pedum plantis, nunc fœminarũ puden

pudendis concrescens, ac sanguinē quandoque fundens. Cui ob eam quam cum thymi corymbis similitudinem habet nomen tale fuit inditum Thymū Auicennas sub vteri bothore, moro & clauo cōprehendit, quem falsò inter verrucas reposuit. Nonnunquam per vteri ambitum extolluntur tubercula quædam sanguinem fundentia, quę à similitudine extremorum in pugno clauso in quatuor digitis nodorum à Græcis κονδυλώματα vocantur. Hæc hæmorrhoidibus anū defatigantibus, respondent, quarum sæpe sunt causæ.



De Thymi & Condylomatum causis & curatione.

CAP. L.

THymorum & condylomatum causa corporea, est sanguis crassus in vteri ceruice, aut ani circulo coaceruatus. In thymio est eminentia

nentia quædam rubra à reliqua cute recedens. In condylomatis sunt rugarum quæ circa os vteri,aut extrema recti intestini parte existunt excrescentiæ,quæ inflammationem dum perpetiuntur,incuruantur, & indurãtur. Sæpe speculo muliebribus pudẽdis apposito,& ipsa vulua dilatata vterque affectus deprehenditur. Thymus si pusillus & mitis sit, ex millefollij,parietariæ, simul tritis cataplasmate addita salis parua quantitate sæpe curatur.

Quod si magnus sit,ad chirurgiã properandum erit, & instrumento,quod volsellã vocant)à basi amputabimus,& acidum medicamentum sistẽdo sanguini idoneum apponemus.Quale est quod ex argẽti spuma,leuigata galla,alumine scisso,amylo, bolo armenico, cortice thuris & ouorum candido conficitur. Pertinaci autem ac malefico thymo cauterium adigemus, & ex eo progenitam escharam, butyro vel tetrapharmaco depellemus. Colleticis tandem præsidiis illum curabi

curabimus. Condyloma, quod nonnunquam propter acrium humorũ defluxum inflammationem ipsamque extensionem, rhagades in musculo anum claudente, sphincterem vocant, gignit, sequentia remedia exposcit.

℞. gũmi ammoniaci, thuris, lapidis hæmatitis sing. ʒ.iiij. aluminis, croci, gallarũ an. ʒ.ij. terebinthinæ ℥.j. olei ros. ℥.iiij. ceræ citrinæ q. s. fiat vnguentum liquidum. Aliud.

℞. thuris ʒ. vj. aluminis scissilis ʒ.iij. cerusæ ʒ.ij.ß. croci ℥. ß. aloës ʒ.ij. œsipi ℥.j. olei chamom. ℥. iiij. ceræ q.s. fiat vnguentum. Vel sic.

℞. hermodactylorum vstorum, summitatum myrti vstarum sing. ʒ.ij. sabinæ resiccatæ ʒ.iij. chalcitidis, aluminis scissi sing. ℈. iiij. olei citoniorum ℥.iiij. ceræ q.s. fiat vnguentum, adde auripigmenti rubri ʒ.j. Quod si his remediis condylomata non cedant, quæ in conspectum veniunt aliquo instrumento comprehensa ferramenti acie quod ex dimidio spatham refert, excindemus.

demus, leuigatam gallam aut ſciſ-ſum alumen apponemus. Vel filo aut equino pilo arcte baſim vinciemus donec ſponte decidant. Nuces cum abſynthij ſemine, & rubi ſuccum cum roſaceo cerato, ac aloës puluerem inſperſum condylomata curare credit Plinius 23. lib. nat. hiſtoriæ.



De Tumoribus indiſcriminatim omnes corporis partes obſidentibus, quos Auicennas Eſſere vocat.

CAP. LI.

MVlti falsò exiſtimarunt Arabum Eſſeras Græcorũ Epinyctidibus communes eſſe: quod Eſſeræ præſertim pituitoſæ noctu magis & oriantur, & hominẽ infeſtent quàm interdiu: ſed hoc falſum eſſe vtriuſque mali figura demonſtrat. Nam dicente Paulo, Epinyctides vlcuſcula ſunt ſua ſpõte *lib. 4. cap. 10.*

te erumpentia pustularum specie & subrubra, quibus apertis cruenta sanies defluit, per diemque non magnopere excruciant: per noctem verò graui magis quàm pro ratione vlceris, dolore torquent. Esseræ verò pustulæ plures sunt vaporulentæ, puriginosę, ad aliquam rubedinem procliues, & rarissimè in vlcus degenerantes.

Præterea illos existimamus inter se differre morbos quorum curatio varia est. Nam vt ex Auicenna liquet, alia est Epinyctidum, alia Esserarum, vt inferiùs ostendemus, medela. Adde quòd cùm illæ noctu excitētur aut moueātur, ab Esseris distingui possint. Dicemus igitur Esseras esse pustulas, vel tubercula repentè per totum corpus apparentia cum putritu, similia apum puncturis, vel quæ ex vrticarum crebro confrictu fiunt. Non desunt qui ad exanthematum classem Esseras reuocent, de quibus nihil à Galeno & Paulo definitum comperitur.




De Esserarum causis & indiciis.

CAP. LII.

Excitátur Esseræ sæpius à sãguinis satis tenuis, rariùs à pituitæ salsæ vaporibus ad cutem protrusis. Hi enim inter cutem & carnem contenti tumores fabarum magnitudinem æquantes cum pruritu excitant. Procatarcticæ causæ corporeas mouere possunt, vt quæ à sanguine tenui aut pituita salsa vaporem mouent, & ad cutem propellunt, qui in ea retentus tumores procreat.

Hyeme & in frigidis regionibus magis quàm calidis accidit. Quia frigiditas cutim condensat & transpirationem impedit. Essera à sanguinis tenuis vapore excitata magis rubet, magisque pruriginosa existit, sed minus quæ à pituita, præsertim insulsa. Esseras vlcerosa lassitudo vel phlegmonosa præcedere solet: quemadmodum eæ fe-

bres tertianas intermittentes aut continuas anteire. Reliquæ notæ Esseras indicantes cum sensum non lateant altiore scrutinio minimè egent.



De Esserarum curatione.

Cap. LIII.

CVm soleat hic affectus à copia vaporulenti sanguinis procreari, curationem præscriptâ priùs infrigidante atque humectante diætâ, qualis est quæ tertianis intermittentibus vel continuis instituitur, à venæ sectione, supposito priùs clysmate, vel propinato eccoprotico medicamento, auspicabimur, tantum sanguinis detrahentes quantum ætas & laborantis natura perferre possunt, non circa initia, sed in incremento, & quando iam multas corporis partes occupat.

Mox post sectam venam præscribendum erit cholagogum medicamen

mentum ex thamarindorum pulpa, myrobalanis citreis, rhabarbaro, medulla caſſiæ fiſtularis, fructuum decocto paratum. Mouendi poſtea erunt ſudores, iucundæ frictiones quoque adhibendæ, vt vaporulenta materia per inſenſilem tranſpiratum euacuetur.

Cùm hæc ſcriberem venit quidam Aurelianenſis mercator, me obnixè rogans vt nulla interpoſita mora cognatum quendam itineris ſocium in publico diuerſorio decumbentem inuiſerem. Iuuenem carnoſum vix vigeſimum annum prætergreſſum innumerabilibus eſſeris obſeſſum reperi, cum rubicunda facie, & ſiti ob febrem tertianam inexhauſta. Quem cum rogaſſem an præſentiret in eſſeris pruritum. Protinus reſpondit, ſe vehementiſſimo calore & punctionibus, ac ſi acutis flagris cæderetur diſtorqueri, meamque ne denegarem operam anxius orabat. Miſertus illius moleſtæ ægritudinis, ſupponi aluum emollientem & eluen-

tem clyſterem mane iuſſi. Tandem circiter horam quartam pomeridianam ſecta fuit illi vena, miſſæ ſanguinis ℥. vij. Nocte accedente, reuulſione facta & vaporibus in cute comprehenſis diſcuſſis, à pruritu & punctionibus immodicoque calore planè liberatus ſecurus in vtramque aurem dormiuit. Purgatoque poſtea corpore à febre fuit liberatus.

Finis Libri primi de Tumoribus præter naturam.

DE



DE AGNOSCENDIS CVRANDISQVE TVMORIBVS praeter naturam.

Auctore

ANTONIO SAPORTA *Doctore Medico.*

LIBER SECVNDVS.

De inflammationibus à bilioso humore excitatis.

CAP. I.




ABSOLVTO de propriè dicta Phlegmone, ac de aliis tumoribus præter naturam à sãguine profectis sermone, properandum nunc est ad

alias inflammationum ſpecies, quæ cum Phlegmone non exiguum commercium habent: eæ autem à ſanguine bilioſo, aut à bile à ſanguinis ſodalitio ſecreta ſcaturiunt. A ſanguine & flaua bile iuſto calidioribus, vel à feruido & ſubſtantia tenuiſſimo ſanguine fit eryſipelas, quod ignem ſacrum appellant. Hoc parui & non impellentis tumoris, alterum magis perſpicui particeps exiſtit. A nonnullis Erythropelas, à rubore ſcilicet dicitur, quòd pars eryſipelate tentata rubore non vacet. Spinam Auicennas vocauit, ſimilitudine vſus, quod bilioſus humor partem vellicet & pungat ſpinæ & aculei more. Aliqui eryſipelas quod cuti hæreat appellant, ſed hoc neque affectum locum, nec efficientem cauſam Gal. 2. meth. autore ſignificat.

Gal. l. 13. metho. Porrò eryſipelas duplex eſſe ex Galeni ratiociniis conſtat. Alterum exquiſitum & legitimum, alterum illegitimum. Legitimum ex ſincera bile, illegitimum ex alieni humo-

ris

ris permixtione scaturit, cuius tres sunt species. Rursus legitimum duplex, aliud vlceris expers, aliud vlceri copulatum ad naturam herpetis vergens, de quo & eius differentiis inferiùs disseremus.



De Erysipelatum causis.

CAP. II.

QVamuis causæ pręgressæ potiùs Phlegmonas quàm Erysipelata excitent: nihilominus hæc procreant, quæcunque iecur immodicè calfaciunt, biliosúmque sanguinem gignunt, vt calida acriaque edulia, vel partem suo vehementi calore labefactant. Qualia sunt asperæ & assiduæ frictiones, Solis vehemens calor, acris & pyrotici medicamenti vsus creber. Corporeæ verò sunt biliosi succi in partem delabentes, siue sint sanguini mixti, siue sinceri, multitudine potiùs quàm noxia qualitate infensi. Cùm autem sua tenuitate

in carne non subsistant, sed illam peruadant & à compacta duraque cute diffluere sudoris ritu prohibiti in hac retineantur; his de causis potiùs vtriusque cutis quàm carnis affectus iudicatur erysipelas, quod aliquando illam exulcerat, aliquando solo rubore & ardore sine exulceratione est molestum.



De Erysipelatis indiciis.

Cap. III.

Hvius indicia sunt, vrens calor, inflammatæ partis mordicatio, tumor minimè perspicuus; color ex rubro flauescens, qui digitorum pressu subterfugit statimque redit, dolor acutus & pulsu magno priuatus, faciem & corporis partes sublimiores potiùs quàm inferiores impetit. Nonnunquam exta, vt cerebrum eiusque velamina, pulmones, vterum grauiter afficit. In osse denudato triste prognosticum promittit. Extra diffusum

Hippo. Apho. 19.7.l.

fusum si intrò vertatur, magnum malum portendit. Illegitimi notæ à tumore & magis remisso feruore desumuntur, quibus omnibus addere oportet ætatem, cæli statum & eam quæ præcessit victus rationem. Exquisitum erysipelas magna ex parte digestione curatur; quatuor habet tempora, varia præsidia efflagitantia; animantem alternis diebus magis infestat, cùm humoris à quo originem trahit analogiam sequatur. Suppuratum non suppurato deterius, & capiti oboriens periculo non vacat, Celso autore.

Aphor. 25.6.l.

Guido Caulia. cap. de Apost. periodis. li.5.ca. 26. & 28.



De Erysipelatis exquisiti curatione.

Cap. IV.

Cvm vera Phlegmone cum exquisito erysipelate multa communia habeat, horum affectuum curatio non omnino dissimilis est statuenda. Erysipelas igitur exquisitum quatuor obseruatis

ſcopis profligabitur. Quorum primus eſt, vt laboranti frigidam & humidam victus rationem præſcribamus. Quapropter eligendus erit aër frigidus & humidus, aërique temperamento reſpondens regio. Roſacea aqua aceto mixta, vel frigida ſola herbiſue infrigidantibus, frigidis floribus cubiculi pauimenta aſpergenda: lactuca, cichorio vtroque, lupulo, oxalide, buglosso, borragine vtendum. Orizæ (quamuis ea calida ſit) amyli, ptiſanæ non negligendus vſus. Talis (vt breuiter concludam) eſt victus administrandus, qualem tertianæ exquiſitæ conferre conſtat. Immoderata tum repletio, tum inanitio noxia, ipſaque inedia, præſertim ſi picrocholos naturâ æger ſit. Furori, iræ, & aliis animæ pathematis ſanguinem calfacientibus minimè indulgendum. Noxij labores, aduerſæ iuges vigiliæ, ac maximè contraria Venus.

Secundus ſcopus nos monet, vt defluentem in locum affectum humorem

morem reuellamus & euacuemus, quod sæpe cholagogis, nonnunquam venæ sectione, aliquando acri & acuto clysmate fit. Nam si morbus sit vehemens, & totius corporis habitus biliosus, alterantibus & purgantibus medicamentis erit vtendum. Quod si affectus sit exiguus, & corpus minimè biliosum, clysteris acris & acuti vsu solo contenti esse debemus.

Nec oportet aliquem existimare Pauli sententiam nostro & Galeni decreto contrariam esse, qui in erysipelate faciem distorquente venæ sectionem commendat, quam Gal. spernere est visus. Paulus enim de phlegmonoso erysipelate loquutus est. At Gal. de exquisito, cui purgatio venæ sectione est salubrior, ob rationes ab eo traditas. Iniiciatur itaque sequens clyster antequam alia præsidia vsurpentur, præsertim si astricta sit aluus.

ca. 21. 4. li. & Cels. l. 5. ca. 26.

℞. Maluæ, viol. altheæ cum rad. fol. lactucæ, cucurbitæ an. M. j. quatuor sem. frig. ma. contusorum

sing. ʒ. ij. prunorum dulcium, passularum exacinatarum sing. pa. xij. florũ buglos. viol. nympheæ sing. p. j. fiat decoct. Et in colaturæ quart. v. dissolue cassiæ à siliqua nupertimè euulsæ ℥. j. Diaprun. simpl. ℥. ß. olei viol. ℥. iij. mellis viol. sacchari rub. sing. quart. ß. fiat clyster, supponatur.

Si adeò morosus sit æger, vt clysterem respuat, præscribenda erit sequens medicata potio.

℞. Foliorum vtriusque buglossi, vtriusque cichorij, extremitatum lupuli, salictarij, fumariæ sing. M. ß. pulpæ tamarindorum recentium ʒ. vj. passularum exacinatarum & prunorum dulcium sing. pa. viij. florum buglos. viol. sing. p. j. ß. fiat decoctio in aqua hordei perfectè cocti. cape de colatura ℥. iiij. in quibus dissolue catholici ℥. ß. diaprun. solut. ʒ. ij. syr. ros. solut. ℥. j. ß. misce, fiat potio.

Si siti magna prematur, sequenti præsidio vtetur.

℞. Conseruæ florũ cichorij, cons. viol.

viol. ſing.℥.j.confer. acetoſæ ʒ. vj. conſer.rad.bugloſſ.℥.ß. pulu. elect. triaſantali ℈. iiij. pulueris diarhodon abbatis ʒ. j. ſacchari albiſſimi q. s. fiat conditum auro coopertum, vtatur cum áqua fontis tempore ſitis.

Nonnunquam Eryſipelas phlegmonosũ eſſe iudicamus, ad cuius depulſionem, poſt iniectum clyſterem paulo ſuperiùs præſcriptũ, vel deuoratum eccoproticum medicamentum ex medulla ſiliquæ Ægyptiacæ, acetoſis dactylis, fructuum decocto paratum, ſecanda erit oppoſitæ partis vena, ſeruata ſemper rectitudine, mittendáque ſanguinis minor copia quàm in phlegmone vera.

Tertius ſcopus apocrouſticorũ, & eorum quæ phlegmonæ congrua ſunt vſu perficitur. Frigidioribus autem in principio, & non admodũ adſtringentibus, magna enim adſtrictio Eryſipelata lædit; vt quæ calorem, ipſorum, cutem denſando concludat, obſeruatis ſemper his regulis

regulis quæ ca. de phlegmones curatione traditæ sunt. Præsidium verò huic negotio vtile in sequentem modum parabitur.

℞. succi plantag. succi solani, vmbilici veneris, semperuiui, vuæ omphacis ad aliorum succorũ attenuationem sing. ℥. iij. misce, linatur affecta pars, admoueãtur actu frigida. Frigidæ perfusionem Auicennas laudat. Vel sic.

℞. aquæ fontanæ ℔. j. aceti fortissimi ℥. iij. agitentur simul fortiter. Vel sic.

℞. succi palustris lenticulæ, succi lactucæ, succi endiuiæ, solani, psylij, alterci an. ℥. iiij. vtere vt dictum est.

Reliqua medicamenta apocroustica quæ phlegmones initio vsurpantur, profligãdo Erysipelati sunt opportuna; sed hæc frigidiora & humidiora & sine adstrictione, alia minus frigida, sed sicciora esse debent. Et quemadmodum à sanguine probo profectæ inflammationi euacuatio magis est necessaria, ita

Erysi

Eryſipelati alteratio commodior. Celſus ceruſam aut cimoliam terram ſolani ſucco, aquaue pluuiali exceptam probat. Multi fœlicibus ſucceſſibus cerato albo Galeni vtũtur. Sæpe Eryſipelas ex intempeſtiuo repellentium medicamentorum vſu in ſcirrhum degenerat. Infrigidationis terminus eſſe debet coloris mutatio. Quoties enim infrigidantium remediorum opera pars liuorem contrahit, ea priùs leniter ſcarificata & aqua calida ſpõgia lota, ad digerentia migrare oportebit, imponédúmque ex hordeacea & fabacea farina cataplaſma calidum, vel ceratum aliquod digerendi vim obtinens. Vtile exiſtimatur id quod ex cerato roſaceo calcis & ſulphuris momento fit. Aëtius braſſicam cum polenta illitam, aut hirundinum nidum tritum, cribratum & melle mixtum, ad faciei præſertim Eryſipelata, ſcribit.

lib. 5. cap. 26.

cap. 60. lib. 14.

Pro variis Eryſipelatis temporibus, variis modis ſunt præſcribenda

da medicamenta, apocrouſtica nõnunquam digerentibus inæqualiter, ſæpe æqualiter miſceri debent, interdum ſola digerentia ſunt vſurpanda. Vlcerato Eryſipelati ſequens præſidium præſcribi debet.

♃. plumbi vſti aqua fontana diligenter loti ℈. iiij. collyrij albi Rhaſis ʒ.j. ß. caphuræ ʒ. ß. pompholigis ℈.ij. olei roſati omphacini ℥.iiij. ceræ albę parum. fiat vnguentum molle.

Ad quartum ſcopum accedentes, ſymptomata quæ huic morbo copulari ſolent, lenire fas eſt. Quæ interdum, docente Galeno, tam moleſta ſunt, vt potiùs cauſæ morbum adaugentis rationem quàm verorum ſymptomatum obtineant. In inflammationibus maximè reformidandus eſt dolor, docente Galeno, quem ſi anodynis lenire nequeamus ad narcotica tranſeundum erit, tametſi illa ſua vehementi frigiditate ſunt noxia, illorum nihilominus vſus non eſt contemnendus: nam præſtat malam illam

2. ad Glauc.

Guido Cau. c. de eu. phlegm.

illam qualitatẽ membro cõmunicare, quàm perpeti vt homo doloribus confectus miserè intereat, vt pręcedenti libro ostensum fuit. Erit itaque in sequentem modum parandum medicamentum.

℞. vnguenti populei ℥.iiij. sem. alterci diligenter contusi ʒ. j. croci ℈. ß. olei de sem. cucurbitæ, lactucæ aut seminis papau. albi ℥. ij. misce.

Aliis Erysipelatis speciebus mista quoad fieri potest curatio est adhibenda, atque ei quod magis superat resistendum,




De Herpete.

CAP. V.

Ἑρπης & à symptomate, & à serpente bestia nomen adeptus, per summam cutem serpit, quamuis hoc aliquibus aliis affectibus sit commune: modò hanc eius partem, modò proximã occupat, quod semper priore laborante

rante perſanata propinqua eius labem excipiat:nō ſecus quàm ignis qui proxima quæque depaſcitur, vbi ea quæ priùs accenſa erant deficiente iam idonea materia, extinguuntur. Magnum cum Eryſipelate præſertim vlcerato commercium habet, ſola humoris tenuitate ab illo diſcrepans. Qui ſimpliciter herpes dicitur generis nomen obtinet, duas ſub ſe ſpecies complectitur, quarum altera herpes κεγχρίας, altera eſthiomenos dicitur, ſola humoris tenuitate, vt infrà docebimus, à Cancro differens.

Gal. 2. ad Gl.



De Herpetes cauſis & indiciis.

CAP. VI.

HErpetū cauſæ prægreſſæ sūt ſimiles iis quæ Eryſipelata cōmittere ſolent. Nā herpes ab Eryſipelate ſola tantùm humoris tenuitate differt. Eſt enim admodum tenuis humor, qui herpetem

tem generis nomen obtinentem gignit, adeò certè vt non solùm omnes internas partes carnosam substantiam adeptas transeat, sed etiam cutim ipsam ad summam vsque cuticulam; solámque propterea quod in ea remoratur erodit atque excedit, nam si sudoris vice transiret, minimè vlcus excitaret. Herpes miliaris propter eam quam cum milio similitudinem habet, sic dictus, à bili & pituita scaturiens pustulas exiguas milio similes facit, quæ mox in vlcus non abeunt, sed interposito spatio.

Herpes esthiomenus à feruida bile sincera & à flammeo calore crassiorem substantiam nacta, fit. Non solùm cutim, sed subiectam carnẽ exulcerat, formicam ambulatiuam Auicen. nominis similitudine deceptus vocauit, herpeti quod myrmeciis verrucis sessilibus proprium est ascribens. Sub herpete Hippocrates tertio Epidemiῶn comprehendisse visus est affectum pueris familiarem; quem Exanthema

Græci,

Græci, morbillum Latini vocant, de quo capite superioris libri fuit disputatum.

Ab vlcerato Erysipelate Herpes differt, quod Erysipelas conspicua fluxione subitò emergat: Herpes sensim multoque tempore. Herpetis pustulæ aridæ sunt, è quibus ruptis nec pus, nec sanies exit: Erysipelatis magnæ, exulceratæ & humidæ saniem effundentes, Herpes cum pruritu, Erysipelas cum dolore & ardore, herpes diutinus est morbus & febris expers, Erysipelas præceps, cuius febris assecla est, & breui temporis curriculo curatur.



De Herpetis curatione.

CAP. VII.

HErpetis simpliciter dicti curatio non alia ratione ab Erysipelatis curatione differt, nisi quod Erysipelas præsertim circa initia infrigidantibus & humectantibus remediis eget: Herpes infrigidantibus

dantibus & ſiccantibus. Nam docente Hippocrate, cùm humiditas vlcera ſordidiora efficiat,ſiccis pręſidiis ſunt profliganda. Nec ſunt topica præſidia, vt diximus, vſurpanda, niſi prius toti corpori ſit conſultum. At herpetis excedentis curatio quatuor perficietur ſcopis.

Quorum primus in ea victus ratione conſiſtit,quæ Eryſipelati,vel tertiana febre laborantibus eſt opportuna, de qua cap. 4.egimus.Secundus conſiderandam defluentis humoris tum copiam, tum craſſitudinis, tenuitatis modum obſeruandum ſuadet. Nam ſi protinus vlceratam cutem cicatrice obducere ſtudeamus, quamuis hæc perſanata appareat, quæ tamen propinqua eſt & continua exulceratur, neque ſerpere deſinit malum donec noxius humor ſit euacuatus. Vt de illa Romana muliere in malleolo herpetem habente tradit Galenus.Quapropter ante horũ medicamentorũ applicationẽ corpus euacuandum erit,mox quæ influentem 14. Meth.

fluentem humorem reprimant regerantque vtemur. Sequenti itaque medicata potione quæ venæ sectione est tutior, corpus euacuabimus.

℞. catholici ℥.ß. rhabarbari optimi in aqua endiuiæ infusi & expressi ʒ. j.ß. syr. rosſ. solutiui ℥. j. ß. decocti folior. vtriusque buglosſ. fumariæ & vtriusque intybi ℥. iiij. fiat potio danda horis antelucanis.

Quod si laborantis corpus validius fuerit, cuius aluus non facilè præscripto medicamento subduci possit, sequens propinabitur.

℞. elect. de succo rosar. ℥. ß. dissolue in seri caprini ℥. iiij. vel scammonij puluerisati ℈. ß. seri caprini ℥. iij. Poterit ex interuallis in sequentem modum corpus à noxio humore expurgari.

℞. catholici ℥. ij. tripheræ persicæ ℥. j. ß. elect. de succo rosſ. ℥. ß. rhabarbari optimi puluerisati & aqua endiuiæ parum macerati ʒ. iij. syr. rosſ. solutiui q. s. fiat in modum opiatæ, de qua singulis diebus

capiat

capiat circiter ℥. j. per ſe vel diſſolutam in ℥. iiij. decocti foliorum buglosſæ & intybi.

Medicamenta aſtringentia tertium ſcopum perficiunt, præſertim circa initia quæ in actiuis qualitatibus Eryſipelati conferentibus ſimilia eſſe debent, in paſſiuis plane contraria. Quæ Eryſipelati conferunt frigida & humida eſſe oportet, vt lactucæ, intyborum, portulacæ, ſemperuiui ſuccus. Quæ herpeti ſunt idonea frigida & ſicca, vt polygonij, plantaginis, ſolani, vitis capreolorum, teneritatum rubi ſuccus, horum medicaminum vires ſupplebit ſequens cataplaſma.

℞. putaminum malorum granatorum ℥. iiij. rhu coriariorum ℥. ij. farinæ hordei ℥. iij. decoquantur ſimul in vino auſtero, terantur optimè, fiat cataplaſma. Vel huius loco.

℞. foliorum plantag. ſolani an. M. j. lentium contuſarum p. j. decoquantur probè in hydromelite, terantur, fiat cataplaſma parti admouen

cap.20. 4.lib. mouendum. Vel iuxta Pauli præceptum capienda erit polenta melli mixta. Huic etiam operi vtile est glaucium passo dilutum. Est autem glaucium memithæ succus resiccatus, herbæ cuiusdam similis papaueri corniculato, non succus chelidonij, vt perperam multi existimarunt. Vtilis quoque acacia aceto, mulso, vel succo plantaginis mixta.

Quartus scopus, medicamine nonnunquam mediocriter, nonnũquam strenuè exiccante perficitur. Tamdiu enim vtendum est apocrousticis, quamdiu humorem in affectum locum defluere censebimus. Cùm verò iam totus in ipsum humor decubuit, euacuandus est detergentibus & digerentibus mitioribus, & non asperis iuxta Hippocràtis præceptum, si herpes ab humoris non admodum maligni defluxione, acribus & acutis, si à peruicaci & mordaci proueniat.

Ad malignos & veteres herpetes mysi, chalcitide, sandaraca, calce, pastillis

paſtillis Andronis, Polyidæ, muſæ Bithini vel Fauſtini in ſapa dilutis vtendum erit. Mitioribus & recentioribus verò herpetibus ſequens præſidium ex vſu eſt.

℞. Lanæ veteris illotæ & combuſtæ donec in pollinem tenuiſſimum redigi poſſit ʒ. ij. corticis pini vſti ʒ.j.ß.plumbi vſti & diligenter loti ʒ.iij.adipis caprini quart.ß. olei myrtillorum ℥. iiij. ceræ parum, fiat vnguentum. Vel ſequens.

℞. Lithargyri auri ℥. j. ß. antimonij optimè loti, coralli rubri & lapidis hæmatitis an.ʒ.iij. æris vſti & loti ʒ. j. ß. pompholigis præparatæ ʒ.ij. ſucci plantaginis & ſolani an.quart.ß.olei roſ.omphacini ℥. iiij. agitentur in ſole, ducantur probè in mortario & piſtillo plumbeis.fiat vnguentum.

Huic rei vtiliſſima eſt bractea plumbi, quæ priùs longo tempore in aqua aluminoſa maduerit, aut fuerit lithargyro ſaturata. Ablui etiam poterit vlceratus locus ſequenti decocto.

℞.Foliorum burſæ paſtoris,centinodiæ,plantaginis,ſolani,ſummitatum rubi & lentiſci ſing.M.j. roſarum rub.ſiccarum,baccarũ,& foliorum myrti ſing.p.j. acaciæ, hypociſtidos, pſydiæ balauſtiorum ſing.℥.j. nucum cupreſſi, calicum glandium, gallarum viridium ſing. pa.x. myrrhæ, thuris, eius corticis ſing. ʒ.v. fiat decoctio, abluatur vlcus. Quando ad acrium medicaminum vſum neceſſitas nos impellit, inungenda erit herpetis ſuperior pars oxycrato, aut vnguento ex bolo,ne ob horum medicamentorum acrimoniam fiat in morboſam partem humorum confluxus. Quod ſi his omnibus morbus non cedat,confugiendum erit ad actuale cauterium, tanquam ad ſacram anchoram. Poterit etiam aqua aluminoſa frequenter ablui vlcerata pars.

Herpe



Herpetis miliaris curatio.

CAP. VIII.

CVm herpetis miliaris à bile diluta ex humoris pituitosi perfusione progenita scaturiat, huic victum infrigidantem & exiccantem præscribemus, dabimúsque operam, vt mixtus morbum excitans humor mixtis subducentibus aluum medicamentis euacuetur. Euacuabitur commodè præsidio sequenti.

♃. Glycirrh. recentis & rasæ ℥.j. seminis carthami contusi ℥. ß. passularum exacinatarum pa. viij. agarici albi fæminini ʒ. j. seminis melonum, cucurbitæ, contusi an. ʒ. j. sem. anisi ʒ. ß. florum buglossi viol. an. p. j. fiat decoct. de colatura cape ℥. iiij. in quibus dissolue diaphœnici ʒ. ij. catholici ℥. ß. syr. ros. laxat. ℥. j. misce, fiat potio.

Clysmate emolliente & attrahente sollicitanda nonnunquam

erit aluus, vel diureticis medicamentis leuiter mouendæ erunt vrinæ. Post humoris noxij euacuationem vsurpanda erunt repellentia. Si nihil vitiosi succi amplius in ægrotantem partem influat, modicè digerente medicamento vtemur, quale est emplastrum de arnoglosso, vel de duobus granatis. Vel sequenti.

℞. Lanæ œsipatæ in pelui vel cacabo sic combustæ, vt in tenuissimum pollinem redigi possit, misce cum aqua calicum rosarum, & ita paretur vt attramento, siue incausto (vt aiunt) simile sit medicamentum. Vel sequenti.

℞. Æruginis rasilis, sulphuris viui an. ℥. j. aquæ ligni quod comburitur, vel aquæ sermentorum cum cremantur vi ignis expressæ q. s. ad incorporanda, misce, linatur pars affecta. A multis commendantur capita piscium salitorum combusta & in tenuissimum pollinem redacta, vinoque parũ diluto mixta. Vtile erit & sequens remedium.

℞. Gal

℞. Gallarum viridium ℥.ß. rad. ariſtolochiæ rotundæ ʒ. ij.ß. myrrhæ, thuris,aloës ſing.ʒ. ij. aluminis ſiſſi ʒ. j. ß. puluerentur ſubtiliſſimè, & in vino auſtero excipiantur, facti circuli ſiue paſtilli cum aqua mellis diſſoluti illinantur.



De Phlyctenis.

CAP. IX.

Φλυκτίναι veſicæ ſunt à feruore & ebullitione ſic nominatæ, quæ ab æſtuantibus & acerrimis humoribus ſcaturiunt, his quæ ab igne aut feruenti aqua generationem accipiunt ſimiles. Arabum turba ſahaphati appellat. Fiunt nonnunquam in corporis extima cute,nonnunquam in ceratoide oculi membrana, cum ſublimis & elata intra ſe acrem humorem collegerit tunc ipſam excoriat,& oculum purulentum reddit. A ψυδρακίῳ differt,quod à frigidiori

ri humore ſcaturiat; phlyctena à calidiori & toto corpore naſcatur: ψυδράκιον verò proprius ſit capitis affectus, ſæpe in facie & puerorum capite apparens. Cutis infectionem Chirurgorum plerique vocant.



De Phlyctenarum cauſis.

CAP. X.

QVæ ſeroſum, tenuem acrémque humorem ſalſæ pituitæ, aut humori melancholico mixtum ad cutim commune totius corporis emunctorium propellunt, vel hunc generant, cauſæ prægreſſæ dicuntur. Æſtus igitur immodicus, vehemenſque frigiditas conſtringens ac protrudens hos humores ad cutim, cauſæ ſunt procatarcticæ. Corporeæ verò ſeroſa ac pallida bilis, ſæpe, vt iam dictum eſt, pituitæ ſalſæ, ſæpe humori melancholico mixta: pruritum maximumque ardorem in cute promouet.

De



De Phlyctenarum curatione.

CAP. XI.

PHlyctenarum curatio tribus ſcopis perfici poteſt. Quorum primus victus congruam rationem præſcribit: ſecundus, humoris noxij purgationem: tertius topicorũ præſidiorum vſum inſtituit. Ab eduliorum dulcium, ſalſorum, amarorum vſu abſtinendum. Solent enim dulcia facilè bileſcere, ſicuti amara & ſalſa acres humores procreare. Indulgendum frigidis, & corpus humectantibus, & his quæ morbis ex bilioſis humoribus contractis conferunt.

Porrò ad ſecundum ſcopum properantes, Epithymi in aqua lactis macerati & expreſſi ℥.j.ſorbendam dabimus, vel ex myrobalanis citrinis & acidis in aqua fumariæ infuſis & expreſſis potionem parabimus,cui ſcammonij g̃. v. addemus, potiſſimùm ſi laborantis aluus ſit aſtricta.

Topicorum præſidiorum vſum tertius ſcopus perficit, quæ à nobis in ſequentem modum poterunt parari.

℞. Muccaginis ſem. pſylij ℥.viij. ſucci portulacæ, ſucci ſolani an. ℥. iij. miſce. vngantur partes affectæ, præſertim ſi æſtus in affectis partibus ſentiatur, vel hominis ieiuni ſaliua illinantur. Confert & oleum de Iunipero, quo pecudum ſcabies curatur. Aliud præſidium præcedentibus non minus efficax.

℞. Succi ſcabioſæ, ſucci radicis lapati acuti ſing. ℥.iij. olei roſ. ℔.ß. axungiæ porci veteris cum ſucco limonum diſſolutæ ℥.viij. bulliant ſimul ad ſuccorum vſque conſumptionem. Adde poſtea cineris cucurbitæ & ſulphuris viui ſing. ℥.j. lithargyri auri ℥.j.ß. terebinth. ʒ.vj. hydrargyri in prædicta axungia ante puluerum mixtionem extincti ℥.ij. agitentur in mortario marmoreo & piſtillo buxeo.

Aliud.

℞. Olei nympheæ & roſ. ſing. ℥.iij.

ſucci

ſucci cyclaminis, ſucci chelidonij maioris ſing. ℥.ij. axungiæ porci ℔. ß. Decoquătur ſimul vſque ad ſuccorum conſumptioné, poſtea miſce chalcitidis & fæcis vini toſtæ ſing. ℥.j. ß. ceruſæ aqua roſarum lotæ ʒ. ij. ſulphuris viui ℥.ß. agitentur probè ſimul in mortario marmoreo.



De Impetigine.

Cap. XII.

Lichen, quem ſaphatum Auicennas, nos verò impetiginem veram nuncupare poſſumus, eſt cutis aſperitas dura & ſicca cum ingenti prurigine, puſtulis ſiccis & ſatis magnis acriter cutim corrodens, latéque per ipſam ſe extendens: & quemadmodum pſora frequenter in lepram, & lepra in elephantem; ita hic ex feris papulis progenitus in pſoram vertitur.

Lichenem nouum morbum Plinius putauit Tiberij Claudij Cæſaris Principatu Romæ fuiſſe vi-

fuũn, qui Græco nomine Lichen, Latinè verò, cùm à mento ferè orietur, ioculari primùm lasciuia, mox & vsurpato vocabulo mentagra sit vocatus, occupans in multis primò mentum, postea totum vultum, oculis tamen immunibus, descendens verò in colla, pectus & manus fœdo cutis furfure. Mentagra composita dictio affectum & locum, vt χειράγρα, ποδάγρα, significat.

Lib.7. Lichen non sic appellatur quod linctum humana saliua curetur, quamuis Paulo teste continua saliuæ defricatio huic maximè conferat, sed quod lambendo proserpat veluti etiam lichen herba quam hepaticam aliqui vocant, quod lichenas serpentis morbi genus imposita sistat & curet, nudis petris adhærens musci modo. Extergentis, refrigerantis, & resiccantis est facultatis. In Plinium Leonicenus Medicus, ad miraculum vsque doctus, non temerè insurgit, apertéque ostendit Hippocratis seculo, qui ante Claudium vixit, hunc

Dioſco. ca.48. li.4. lib. de morbo Gall.

mor

morbum Græcis fuiſſe cognitum.

Sunt & in equorum genibus & ſuper vngulas, docente Dioſcoride, indurati calli lichenes vocati, qui triti & cum vino poti,non ſolùm comitialibus mederi traduntur, ſed per aurem cum oleo infuſi dentium dolorem lenire, & ex vino aut mulſo poti calculos expellere. Ad quem libet animalis morſum etiam ab aliquibus vſurpantur. *lib.2. ca.41.*



De Lichenum cauſis & curatione.

Cap. XIII.

EX acri tenuique ſanie craſſioribus aliis mixta,impetigines ſiue lichenes contrahuntur, ex ſiccis puſtulis excitari ſolent ex contagio etiam. Solebant enim Romani ciues ſeſe oſculari, quemadmodum nunc Venetiis fit, ob eam rem tanta fœditate ſerpſit turpiſſimum malum, vt nullus reperiretur qui huic mederi ſciret,

Oritur aliquando, cùm viſcus princeps à vitioſo humore labefactatum noxium humorem ad cutim tranſmittit. Fit etiam à deprauata victus ratione, à frequenti ſcilicet amarorum, ſalſorum & acrium, linguamque ferientium eduliorum vſu. Sæpe ab ambientis nimio calore qui humores in cute vrit, nonnunquam à frigiditate immodica aëris cutis meatus conſtipantis, & recrementis exitum denegantis, vnde aliquando hyeme oriri ſolet.

Inter veris morbos annumeratur. Nam ſolet natura vere ex alto corpore ad cutim excremẽta tranſmittere. Et ſicuti morbus varius eſt, ita varia curatio; nam aliquando is mitis eſt, aliquando ferus, ita curatio aliquando mitis eſt, aliquando valida. Proponatur primò mitis curatio, vt ea quæ fit ex ieiunæ ſaliuæ frictione, vel ex lapati acuti radice aceto acri macerata & leui. Seruata priùs victus ratione ad curationem herpetis

inſtitu

instituta, sectaque vena, si corpus plenum sit, purgatoque per medicamenta, mixto humore, sequentibus etiam medicamentis vtendum suademus.

℞. Thuris, ammoniaci thymiamatis sing. ℥. j. succi perdicij & brassicæ sing. ℥. j. ß. olei de vitellis ouorum & Iuniperi sing. ℥. iiij. ceræ citrinæ parum, fiat vnguentum. Vngantur partes affectæ. Linire affectum locum liquore ex oleæ ligno dum comburitur erit ex vsu. Prodest & veratri albi succus, quo pertinacem pecudum scabiem pastores curare solent. Non minus vtilis est ex viticis & capparum foliis acerrimo aceto decerptus succus, aut ex his probè contusis cataplasma.

Aliud.

℞. farinæ cicerum alborum, farinæ lupinorum & lentium sing. ℥. ij. aceti acris ℥. iij. olei Iuniperi & de tartaro sing. ℥. iiij. bulliat cum prædictis oleis acetū ad ipsius consumptionem, fiat cataplasma. Ad perti

pertinaces diuturnosque lichenas salubris erit sequentium medicamentorum vsus.

℞.alcyonij vsti sulphuris ignem non experti sing. ℥. j.ß.rad.pyretri, nitri sing. ʒ. iij. asphodelorum ℥. ß.terantur & in tenuissimum pollinem redacta cum aceti & succi limonum pari quantitate misceantur, fiant pastilli in vmbra resiccati,& cùm vtendi tempus accedet, teratur vnus atque alter, supra cotem aceto subige & vtere.Ad feras impetigines,

℞. calcitidis vstæ,sulphuris viui & muscerdæ sing. ʒ. ij. farinæ erui & fabarum sing.℥.j.succi malorum punicorum ℥.ij.olei Iuniperi ℥. iiij. ceræ parum,fiat vnguentum.

Aliud.

℞.farinæ lolij ℥.j.ß.sem.staphisag. ʒ.iij. spumæ argenti ʒ.x. cerussæ ʒ.ij.ß. plumbi vsti & antimonij aqua plantag. lotorum sing. ʒ. ij. axungiæ suillæ veteris ℥. j. ß. succi scabiosæ & limonum an ℥. j. hydrargyri in axungia extinct. ʒ. vj. olei

olei de vitellis ouorum & de tartaro sing. ℥. iij. fiat linimentum.

Quod si præscriptis medicamentis non cedat affectus, sed callosus efficiatur, sequendum erit Galeni consilium, à quo monemur vt excoriãtia cutim, lepras tollentia medicamenta, ἐκδόρια vocata affectæ parti admoueamus: qualia sunt ea à Pamphilo Romæ vsurpata ex acribus & acutis medicamentis, squãma æris, sc. arsenico, sandaraca, combusto ære, cantharidibus. Repurgatis tandem vlceribus medicaminibus ad id dicatis, colleticorum vsum non negligit.

lib. de ✝ trais. facil.



De Sudaminibus à Græcis ἱδρῶα vocatis.

Cap. XIV.

Ἱδρῶα sudamina in Aphor. vocauit Rhasis Alhasaphũ, papulas Plinius. Sunt autem sudamina pustulæ quædam genitalium partium summam cutim

deri

detinentes, mordentes & exaſperantes,& ſenſum (ac ſi acubus pũgeretur cutis) pruriginoſum efficiẽtes. Philoteus in Aphoriſmorum commentariis ſudores eſſe ait bilioſiores, qui cutim vellicant ac mordent, pruritumque excitant, qui cùm collum,ſcapulas, dorſum & pectus nonnunquam impetant, frequentiùs tamen circa pudendum & anum verſantur. Et quamuis eæ partes ſint ſiccæ, quia tamen continuò humiditas per illas delabitur, putredinem accerſit.



De Sudaminum cauſis.

Cap. XV.

SVdaminum cauſæ prægreſſæ ſunt æſtas calida & humida, potiſſimum quando nullus in ea flauerit ventus: quorũ 2.& 3.Epid.meminit Hipp. vel calidiorum & acrium eduliorum vſus frequens,labores ſolito maiores, in loco calido & humido non diffla-

difflabili habitatio, vestium, subuculæ præsertim, immunditia, sudoris spreta detersio, ex quo dum corpus diuexat magna suboritur molestia, æstate præsertim. Nam sordes multas inuehit, & de se tetrum odorem præbet. Pueris & iuuenibus familiaris morbus, & his qui gracilem biliosamque corporis cõstitutionem nacti sunt. Tenues biliosi humores cutim ipsam peruadentes, eam, retenti, scabram efficiẽtes, & pruriginosas pustulas excitantes, corporeæ causæ statuuntur. Mali huius tam perspicua sunt indicia, vt ad illius ampliorem notitiam maiore scrutinio minimè egeamus.



De Sudaminum curatione.

Cap. XVI.

Affectus huius curatio tribus scopis perficitur. Quorum primus nos monet ad diætæ frigidæ & humidæ per omnes res non

naturales à Medicis vocatas discurrentes, institutionem. Omnibus quæ humores eliquare, attenuare, corpus rarefacere, sudores ciere queant, abstinendum. Grauibus pǒderosisque vestibus corpus minimè onerandum, vestium mundarũ, & omnium quæ corpus contingũt crebra mutatio salubris, sudoris quoque leuis detersio molli & noua spongia facta erit ex vsu. Secundus cholagogi medicamenti administrationem in sequentem modum præscribit.

℞. Florum viol. bugl. & cichor. sing. p. j. pulpæ tamarind. elect. ℥. vj. iuiubarum, sebesten, prunorum acidorum sing. pa. xx. myrobalanorum citrearum & indarum sing. ℥. j. ß. sem. endiuiæ & acetosæ sing. ℥. ij. glycirrhizæ ℥. ß. fiat decoctio in aqua hordei perfectè cocti & in colaturæ ℥. iiij. infunde rhabar. optimi ℥. j. ß. facta expressione dissolue tripheræ persicæ ℥. ß. syr. ros. solutiui ℥. j. ß. misce, fiat potio. Validiori corpori adde diapruni solutiui

ui ʒ.ij. Vel capiat bis in hebdomade Epithymi in ℥.iiij.aquæ hordei, endiuiæ, vel borraginis, vel lupuli infusi leuiter decocti & expr. ʒ.ß. syr. rof.solutiui ℥.ij. fiat potio.

℞.conser.florum nympheæ,viol. sing. ℥.j.conser.rosarum & acetosæ sing. ʒ. vj. sem.melonum,cucurbitæ mundati & minutatim incisi sing. ʒ.j. pulu. elect. triasantali ℈. iiij. pulu. diamarg. frigidi ℈. ij. syr. de succo endiuiæ q. s. ad incorporandũ,fiat opiata, de qua alternis diebus capiet ad quãtitatem vnius castaneæ horis duabus ante prandium. Bibat postea cochlearia duo aquarum endiuiæ & cichorij.

Ad tertium scopum properantes,hunc affectum si mitis sit, naturæ solius ope,si paulò vehementior,sola aquæ rosaceæ aut plantaginis perfusione curari experientia est comprobatum, aut aquæ tepidæ & dulcis.

Si molestior extiterit, euacuandum erit corpus venæ sectione, si corpus sit plenum, vel potione sequenti. ℞.elect.

℞. Elect. de ſucco roſarum ʒ. iij. decocti prunorum, iuiubarum, ſebeſten ℥. iiij. ſyr.roſ.laxatiui, vel infuſionis florum perſicorum ℥. j. miſce, fiat potio. Vel ſic.

℞. Scammonij ℈. vj. lactis caprini ℥. iiij. miſce, fiat potio.

Purgato corpore, monendus erit ægrotans vt à coitu quàm maximè abſtineat. Nam cùm is humores ad exteriores partes moueat, calidum vaporem ad ſuperficiem corporis protrudit, ex quo olidum redditur corpus. Quapropter vſus balnei ſequentis non erit inutilis.

℞. Radicis ſerpentariæ maioris, bryoniæ & liliorum alborum ſing. ℔.j. maluarum, violarũ, acanthidis, ebiſci cum rad. parietariæ, ſiclæ acetoſæ, turionum lupuli, ſalictarij ſing. faſciculum vnum, lentium parum contuſarum, piſorum alborum contuſorum ſing. p. iij. furfuris bene à farina repurgati ℔. ij. florum fabarum, nenupharis ſing. p. ij. roſarum rub. p. j. ß. fiat

fiat decoctio in aqua pluuia pro balneo. In exitu balnei ſequenti vnguento inungendum erit corpus.

℞. Olei ſalicum, viol. roſar. & nenuph. ſing. ℔. ß. ceruſæ ℥.ß. caphuræ ʒ.ij. lithargyri auri ℥.ij. ſucci limonũ ℥.j. agitentur ſimul fortiſſimè in mortario marmoreo, fiat linimentum. vngantur partes affectæ, & rurſus manè balneum præſcriptum ingrediatur. Vel ſic, plumbi vſti, molybdenæ ſiue plumbaginis ſing. ℥.j. ceruſæ ℥.ß. maſtiches ʒ. iij. baccarum, foliorum myrti ſing. ʒ.ij. ol. roſ. omphacini & lentiſcini ſing. ℥. iiij. ceræ albæ parum, fiat vnguentum.



De Epinyctide.

Cap. XVII.

Epinyctis in puſtularum genere reponitur, incognita Romanis vox, ſed Latinis, vt Plinio & Celſo, familiaris, & fre

frequens. Græci à nocte huic nomen dedere, quod noctu enascatur, & interdiu ægrotantem molestet, sed noctu hominem magis dolore conficiat, idque acriter. Paulus ait Epinyctides vlcera esse sponte sua erumpentia, pustularum subrubrarum figuram obtinentia, quibus apertis cruenta defluit sanies hominem per noctem miserè distorquens. Celsus scripsit maiorem faba Epinyctidem non esse, & in eminentibus, hoc est, corporis extremis partibus excitari testatur. Auicennas sudamina, plantam noctis, cum Epinyctide confudisse est visus. In oculo epinyctidem nasci scriptum posteritati reliquit Plinius, vlcus esse existimans oculi aciem hebetans, ex cuius angulo perpetuò humor emanat. Gal. in methodo Epinyctida quod noctu sit enatum, dixit.

lib. 4. cap. 10.

lib. 5. ca. 28.

2. Met.

De



De Epinyctidum causis & indiciis.

CAP. XVIII.

NOctis frigus cutis poros obstruens, facta iam alimenti in corpus anadosi, causa est procatarctica: vel immodicus diurni aëris calor, immoderatique labores ad superficiem humores trahentes, qui ob nocturnam frigiditatem, corporisque quietem sub cute retinentur. Quod facilius accidit his quorum cutis suapte natura astricta est & densa: tunc commouetur nonnunquam talis pruritus, vt post multam frictionem dolores vehementes oriantur. Biliosus sanguis ab alimentis calidis genitus, & in superficiem corporis protrusus, vel salsa pituita; pruritum, vlcuscula & pustulas faciens causa est corporea.

Notæ à molestia, tumore fabis simili, vehementissimo ardore & dolore sunt petendæ. Quinquagesimum

ſimum iam prætergreſſus annum, memini me tali morbo ſemel fuiſſe correptum; ſed cum humoris bilioſi propter ætatē magna non eſſet pertinacia, mutata in frigidam tēperiē victus ratione & pacato animi mœrore, qui affectui cauſam præbuerat, citra aliud remedij genus ſine puſtularum vlcere aliquo, euacuato quippe per inſenſibilem tranſpiratum humore, euaſi.



De Epinyctidis curatione.

CAP. XIX.

CVratio ſic erit aggredienda. Primum monendus ægrotus, vt interdiu minimè calido, ſed tēperato, vel ad paruam frigiditatem inclinante aëre fruatur, ſed noctu tepido. Acrium, acidorum, ſalſorū, & linguam ferientium eſum vitabit, ac erit illi vino interdicendum, potiſſimum generoſo, cuius loco ptiſana vtetur, omnia animi pathemata quæ iram commouent,

& ſan

& sanguinem calfacere possunt, acutum tanquam scopulum fugiet. Minuendus erit cibus, ambulatio & moderatum exercitium erit ex vsu. Quod si succulentum & ætate florida sit corpus, euacuatis clysmate aut eccoprotico medicaméto communibus recrementis, tundenda erit iecoraria, ac tanta sanguinis copia mittenda, quantam laborantis vires & ætas perferre poterunt. Pro topicis præsidiis vsurpandus erit oleæ syluestris succus aut coriandri. Ex balneo non admodum calido vtilis desudatio.

℞. Maluarum, violarum, lenticulæ, aquæ vtriusque bugloss. foliorum solani, lactucæ, acanthidis cum radicibus sing. P.iiij. sem. altheæ ℥. iiij. sem. quar. frig. ma. parum contusorum sing. ℥. j. florũ nenuph. viol. & borrag. sing. p. ij. rosarum rub. p. j. fiat decoct. in aqua dulci pro balneo. Post cuius vsum super pustulas nitrum insperges, oleum, vinumque miscebis, & has tali medicamento inunges. Imponi etiam

poterit silphij liquor aqua solutus; nam citra rosionem, Paulo teste, deficcat. Remedium etiam quod ex cicutæ foliis melle in leuorem detritis inducitur vtile est. Id etiam quod ex viridi coriandro & oleæ syluestris foliis decocto fit, vel adiantum ex melle tritum. Vlceribus ex pustulis procreatis commodum erit sequens medicamentum.

lib. 5. cap. 10.

℞. Cerusæ ʒ.iij. lithargyri auri ℥.j.ß. rosarum rub. ʒ.j.ß. succi endiuiæ, donec mellis crassitudinem acquirant.



De Angina.

CAP. XX.

ANgina, κύναγχη, aliàs σύναγχη Græcis à suffoçando dicta, (quòd intercepta respiratione, strangulatu promptissimum vitæ discrimē inferre soleat) Phlegmone est guttur aut fauces tentans: cuius quatuor sunt species seu differentiæ ex ipsis locis desumptæ. Prima

Prima est quando musculi interni laryngis inflammatione laborant,tunc neque in interna , & externa parte aliquis apparet tumor, & ea omnium est perniciosissima, quæ eodem die 2.3.aut 4.hominem strangulat,vt tradit Hipp.quod subitò & non sensim facit , quandoquidem sunt aliæ ab angina affectiones quæ non repentè , sed sensim strangulant, ex quarum numero est peripneumonia. *16. Apho. 3. li.*

Secunda non minore dolore afficit , in faucibus tumorem , ruborem excitans , præcedenti non minus periculosum , longius tamen spatium habet.

Tertia quando gutturis partes tum internæ,tum externæ sunt inflammatæ.

Quarta cum solæ fauces inflammationem patiuntur:ab ea secunda valetudo contingit,modò ad interna non recurrat erysipelas.

His addi potest quinta , quæ fit ex luxata ad interiora vertebra, in qua locus cauus apparet : ex casu

4 de lo. aff. &u Gal. ſæpe pueris euenit, & medicam opem reſpuit; hanc plerique lordoſim ſiue excauationem vocant. Immedicabilis cenſetur, quòd luxata vertebra extremam aſperæ arteriæ partem comprimens, in ſuam naturalem ſedem reponi non poteſt.



De Anginæ cauſis.

Cap. XXI.

Anginæ cauſæ externæ ſunt immodica cali. hu. fundens & eliquans, ventorum frigi. comprimens & fluxionem promouens, fungorum vſus creber, aſſiduus ceraſorum vſus, omne inſuper quod caput replere aptum eſt, & fluxiones ipſas proritare. Sanguis copioſus calidus & tenuis præter naturam ad commemoratas partes confluens, cauſa eſt interna, aut pituitoſus humor has replens. Capitis magna plenitas, phrenitis nonnunquam tranſlato ad has par-

tes

tes humore, vt in metastasi sine crisi permutationis contingit, huic malo ansam suppeditat.



De Anginæ indiciis.

Cap. XXII.

ORthopnea anginosos adoritur, transglutiendi mira adest difficultas, in facie & collo perspicuus apparet rubor, hos febris assidua sæpe comitatur, aperto ore æger hiat, aëremque haurit: cùm bibere tentat potus ad nares recurrit, vitiata & catulina vox, linguæ emissio ex laborioso motu.



De Anginæ cura.

Cap. XXIII.

CVm hic affectus sit ex maximè acutorum contubernio, victus ratio tenuissima esse debet, qualis est quæ fit ex hor-

dei cremore, hydromelite: ouorum lutea procedente morbo ſunt ex vſu. Fractis viribus ex pullo dandum iuſculum: violacei ſyrupi ad arcendam ſitim gutturque leniendum adminiſtratio vtilis. Somnus vt in aliis partium internarum inflammationibus maximè fugiendus, quod humorum ad patientem locum defluxum augeat; quod ſi ex ſanguine tenui aut birioſo oriatur affectus, iniecto in aluum priùs emolliente clyſmate, ſi ea ſit aſtricta, ſecanda erit cephalica partis affectæ conſultis priùs viribus, quæ ſi imbecillæ extiterint, affigenda erit regioni ceruicis cucurbitula aliquando cum ſcalpellatione, ſæpe ſine ea: mox à venæ ſectione recreato paululum alimēto corpore, vulnerandæ erunt ad continentis cauſæ euacuationem, quæ ſub lingua ſitæ ſunt venæ, vt præcepit Hip. proximam venam proximum ventrem euacuare docens; parcè & non confertim, pluribus interpoſitis vicibus, ne ex larga euacuatio-
ne

ne vires conuellantur detrahendus est sanguis, dandáque opera vt inflictū vulnus sit modicè diductum, quippe quod ex vulnere paruo vires multò melius persistere possunt.

Repellentia interiùs vsurpanda; exteriùs, ad superficiariam partem humorem trahentia & digerentia medicamenta, nam quæ circa initia vsurpantur, si valde repellant succos ad pulmones trudendo, grande suffocationis periculum afferunt, quapropter ea mitiora esse expedit, quæ in sequentem modum à nobis sunt excogitata.

℞. Summitatum myrti, plantaginis, solani & rubi sing. M. j. rosarum rub. baccarum myrti sing. p. j. antiræ ʒ.ij. florum viol. p. j. ß. fiat decoct. in aqua hordei optimè cocti, & in col. ℔. j. ß. dissolue succi malorum granatorum & rosarum depurati sing. ℥. ij. ß. misce, fiat gargarisma, parum calidè vtatur.

Aliud fortius.

℞. Summitatum oleæ syluestris, lentisci, rubi, myrti, cornu, piri

ſylueſtris, ſorbi, cupreſſi ſing. M.j. corticis malorum granatorum, hypociſtidos, acaciæ, nucum cupreſſi ſing. ℥.j. ſem. plantag. acetoſ. ſing. ℥.ß. roſ. rub. p.ij. fiat decoct. in duabus partibus aquæ pluuiæ, & vna plantaginis, cape de col. ℔. j. ß. diſſol. dianuci, ſi in principio, vel diamori ſi inflammatio in incremento extiterit ℥. iiij. fiat gargariſma.

Clyſmata ex acribus & acutis medicamentis ſalubria, quod ex remotis partibus humorem attrahant, cenſentur, ex quorum numero eſt ſequens.

℞. Rad. liliorum alborum, altheæ ſing. ℔. j. herbarum emollientium com. bethon. meliſſæ ſing. M.j. caricarum pinguium, prunorum dulcium ſing. pa. xx. medullæ carthami contuſæ ſing. ʒ. ij. florum centaurij minoris, chamomillæ, meliloti, ſambuci, & vtriuſque ſtœchados ſing. p. j. fiat decoct. & in col. quart. v. diſſ. hieræ picræ Gal. ℥.ß. cathol. ʒ. vj. olei de lilio ℥. iij.

mellis

mellis rorismarini, succi mercurial. sacch. rub. sing. quart. ℔. salis gemmei ʒ. j. fiat clyster, supponatur vbi erit opus.

Frequens & sensim facta ex violaceo syrupo aut de papauere transglutitio, præsertim in materia calida & tenui, & circa phlegmones initia, est ex vsu.

Regioni colli admouenda sunt quæ epispasticam & digerentem facultatem habent, vt oleum susinum, chamæm. cum œsypata lana, aut vnguentum resumptiuum, cum eadem, vel ex nido hirundinis in oleo elixo parabitur emplastrum.

Ad causæ antecedentis euacuationem simul & reuulsionem, commodè sequens cholagogum medicamentum administrabitur.

℞. Rhabarbari optimi ʒ. j. ß. infundatur in ℥. iiij. aquæ endiuiæ expressione facta. diss. diaprun. solut. vel elect. de succo rosar. ʒ. ij. syr. viol. vel ad fortiùs subducendam aluum rosar. solut. ℥. j. ß. fiat potio danda postridie à clysmate

te ſuppoſito. Vel ſic.

℞. Glycirrhiz. rec. & contuſæ ℥. j. paſſul. exacinatarum, iuiubarum, ſebeſten & caricarum ping. ſing. par. xx. ſem. melonum & cucurb. contuſi an. ʒ. ij. ſem. maluæ, bombacis mundati ſing. ʒ. j. florum viol. bugloſ. & nenuph, ſing. p. j. fiat decoctio in aqua hordei opt. cocti. Cape de col. ℥. iiij. in quibus infunde rhabarbi opt. ʒ. j. ß. ſpicæ g̃. vij. facta expreſſ. diſſolue oxilaxatiui ʒ. ij. ſyr. roſ. ſolut. ℥. j. ß. miſce, fiat potio.

℞. Conſeruæ viol. florum nymphææ ſing. ℥. j. conſer. florum borrag. ʒ. vj. pul. diapap. recenter confecti ℈. iiij. pul. diatra. frig. ℈. ij. ſyr. viol. q. s. fiat opiata. Cap. ad quantitatem vnius caſtaneæ ſingulis matutinis.

℞. Amygd. dulc. depilatarum ℥. ß. elect. diatrag. frig. ℥. iij. pul. diapeni. ſine ſpeciebus ℈. iiij. ſucci glycirrh. ʒ. iiij. conſer. viol. ʒ. x. cum ſyr. viol. fiat Eclegma, teneat ſæpe in ore ſenſim tranſglutiendo.

Mor

Morbo ad incrementum properante gargar. sequens erit ex vsu, qui recipit myrrhæ selectæ ʒ. ij. summitatum & baccarum myrti sing. ʒ. j. ß. rosar. rub. p. j. florum viol. nympheæ sing. p. ß. croci ʒ.j. passularum cum gigartis pa. xij. fiat decoct. in aqua hordei; & in collat. ℔. j. dissol. diamori ℥. iij. fiat gargar. Cùm verò ad summum vigorem ventum erit, vsurpandum erit præsidium sequens.

℞. Cineris hirundinis ʒ. iij.spicæ nardi, myrrhæ, croci sing. ʒ.j. caricarum pinguium & passularum sing. par. xv. florum viol. & nympheæ sing. p. j. fiat decoctio & in col. ℔. j. dissol. vini malorum granatorum ℥. iiij. fiat gargar. In ipsa declinatione sequentium vsus erit salubris.

℞. Rad. cyperi ℥. ß. glycirrh. contusæ ℥. j. fol. hyssop. & calamenti sing. M. j. morsus diaboli M. ß. passul. repurg. ab acinis, caricarum pinguium sing. pa. xx. hor-

dei integri p. j. fiat decoct. & in col. ℔. j. diſſ. ſapæ ℥. iij. mellis roſati col. ℥. j. ß. miſce, fiat gargariſmus.

Canum ſtercus oſſibus nutritorum, quemadmodum puerorum qui pane & lupinis biduo ſunt nutriti, probatur interiùs exhibitum, aut exteriùs admotum, & ſilphium ſiue aſſa fœtida collo appenſa. Quod ſi anginam faciens humor digeri non poſſit, ſuppurante medicamento tunc erit vtendum.

℞. Maluarum, altheæ cum toto ſing. M. j. ſem. lini, fœnugræci, altheæ ſing. ℥. j. paſſularum, iuiubarum, ſebeſten caricarum pinguium ſing. pa. xx. florum chamomil. p. j. fiat decoct. & in col. ℔. j. diſſ. mellis deſpumati ℥. iij. muccag. ſem. pſylij ℥. ij. fiat gargariſmus.

℞. Fæcum prædicti decocti, piſtentur in mortario marmoreo, per colum medicum transfundantur, adde butyri recentis ſine ſale ℥. iij.

axun

axungiæ gallinæ ℥.j.ß.olei amygd. dulc.fæcis olei de lilio sing. ℥.ij.ß. croci ʒ.ij.misce,fiat cataplasma,regioni colli applicetur, & vbi aperto ore vomicæ perspicua apparebunt indicia, tunc ferro acuto vel vngue aperiendus erit abscessus,& vtendum detergentibus vlcusque eluentibus medicamentis,vt œnomelite,demum apij succo.

Si ab humore pituitoso scaturiat, propinandæ erunt pillulæ cociæ; sed cùm has deglutire facilè non possit, dissoluentur in aqua melissæ, betonicæ vel maioranæ. Affigendæ partibus posterioribus & origini spinalis medullæ erunt cucurbitulæ. Parandi gargarismi ex minimè astringentibus & modicè calfacientibus. Procedente morbo muccago sem. lini, altheæ cum sapa conferet,sed corporis & faciei situs pronus sit oportet, ne resupino existente corpore pus in pulmones aut in ventriculum feratur. Ex sequentibus parabitur gargarismus.

℞.Rad.

℞. Rad. liliorum ebiſci & ireos ſing. ℥.j. myrrhæ ʒ. iij. caricarum ping. num. xij. dactylorum detractis nucleis num.vj. croci ʒ.j.ß.fiat decoct. & in col.℔. j. diſſ. ſapæ ℥. iij. mellis roſati colati ℥. ij. fiat gargariſmus.

℞.Porrorũ ℥.iij.rad.altheæ ℥.ij. caricarum ping. num.x. decoquantur,& diligenter piſtentur, adde pinguedinis ſuillæ ℥.iiij. croci ʒ.ij. olei de lilio ℥. iij. fiat cataplaſ. applicetur coll. Vel ſic.

℞. Axungiæ anatis, anſeris & gallinæ ſing.℥. iij. muccaginis fœnugræci, citoneorum ſing. ℥. ij. butyri recentis & ſine ſale ℥. ij. ß. farinæ hordei ℥. ij.olei de lilio,irini ſing. ℥.iij.ceræ q.s. fiat vnguentum. Si digeſtioni non pareat humor his ſuppurabitur medicamentis, & rupto abſceſſu in eum quem ſuperius oſtendimus modum ſequenti garg.vtatur.

℞. aquæ mellis ℈. j. vitellorum ouorum recentium num. iij. lactis vaccini ℥. iiij. fiat garg. ſi propter

mea

meatuum angustiam deglutiri non possit cibus, hora assumptionis affigantur cucurbitulæ origini spinalis medullæ, & tamdiu affixæ teneantur quamdiu cibum assumet.

Secundi Libri finis.



DE



DE AGNOSCENDIS CVRANDISQVE TVMORIBVS præter naturam.

Auctore

ANTONIO SAPORTA
Doctore Medico.

LIBER TERTIVS.

De Oedemate.

CAP. I.



TVmorum à bile progenitorum, & externas corporis partes molestantium causas, indicia & methodum curatiuam, qua potuimus breuitate superiori libro tradidi.

tradidimus. Nunc ordinis ratio efflagitat vt de his qui à pituita emerserunt agamus, qui οἰδήματα à Græcis, œdemata à Latinis vocantur.

Est œdema homonyma dictio; aliquando, docente in Aph. Hipp. omnem tumorem contra naturam à quouis humore natum significat, cuius sententiam secutus est cap. de melanthio Pedac. Dioscorides. Cótracta postea fuit à posterioribus Medicis eius nominis significatio ad eum tumorem nobis significandum, quem pituita procreauit, ὄγκον à Græcis vocatum. Et quemadmodum Græci omnes inflammationes Phlegmonas appellare solebant, ita omnes tumores præter naturam οἰδήματα. Hipp. lib. 5. Aphor. 65.

Est itaque œdema, vnduma ab Auicēna vocatum, de quo agimus, tumor laxus, indolens & prementi digito cedens, & caloris, vt placuit Auicennæ, expers. Quod duplex existit, legitimum scilicet, & illegitimum. Quod illegitimum est in Gal. cō. in 34. 4. Aph. Hipp. Aph. 30. l. II. progn.
varias

varias ſpecies ſcinditur.

Verùm ſimpliciter dictum œdema certa corporis parte definitum circumſcriptumque eſt, quod propriè morbus propriam curationem expoſcens dicitur. Et quamuis tumores in hydropicorum & tabidorum pedibus apparentes veris œdematis videantur ſimiles eſſe; ab his tamen maximè differunt, quod morbi non ſint, ſed morborum propria ſymptomata, propria curatione minimè egentia. Nam his ſatis erit, crura perfricare oxyrrhodino, aliàs oleo cum ſale, aut etiam oxyrrhodino ſal habente. Oedema verùm non in omnibus corporis locis fieri poteſt, ſed ſolùm in laxis. Thoracem & iecur raro impetit.

De



De Oedematis causis.

CAP. II.

QVæ fluxilem & tenuem pituitã gignere possunt, causæ œdematis sunt procatarcticæ: vt in frigida & humida regione habitatio, austrina temporis cõstitutio, assiduus frigidorum & humidorum eduliorum, vt olerum, leguminum, piscium, lacticiniorũm vsus, frequens crapula, intempestiuus aquæ frigidæ potus, longa quies. Nam ob otium in corporis partes fluit pituita, quæ cùm à languido calore concoqui non possit, mollem atque laxum tumorem gignit. In pedibus præcipuè & scroto. Hic enim affectus rheumaticus est, neque vt arbitratus est Cauliacensis Guido, semper fit per viam synatrismi siue coaceruationis, quod tumore molli interdiu tentati pedes qui noctu à lecti calore euanescit, ostendunt.

Corpo-

Corporeæ cauſæ habentur, hepatis frigida & humida intemperies pituitoſum ſanguinem procreans, ſenilis ætas, quæ quauis aliâ huic morbo magis obnoxia exiſtit. Menſium ob grauiditatem aut aliam ob cauſam in mulieribus ſuppreſſio, aquoſa tenuis & ἄποια pituita, quantitate potiùs quàm qualitate noxia, poris carnis ſpongiæ more impacta, huius mali cauſa eſt continens. Ex aliis non naturalis pituitæ ſpeciebus fiunt œdema phlegmonodes, œdema ſcirrhodes, œdema eryſipelatodes, ventoſus humor, ἐμφύσημα Græcis dictus; aquoſus, à nonnullis eleuatio; & plures alij, de quibus ſuis locis agemus.



De Oedematis indicis.

Cap. III.

A Frigida & humida corporis temperie, moribus & ea quæ præceſſit victus ratione petendæ ſunt

ſunt notæ. Oedematis tumor laxus eſt, frigidus, doloris & ruboris expers, mollis, prementibus quippe digitis tumor cedit, & pars ipſa foueæ modo excauatur, nullus vt in aneuriſmate pulſus ſentitur, & eo partis color albicantior apparet. Præterea œdema longè latius eſt & maius aneuriſmate (niſi quãdo ex ſanguine ab arteria egreſſo grummoſus effectus ſphacelum ſiue ſyderationem efficit,) carnoſas partes potius quàm alias, vt phlegmone, œdema magis infeſtat.



De Oedematis curatione.

CAP. IV.

HVius tumoris præter naturam curatio tribus ſcopis abſoluitur. Quorum primus opportunam victus rationem conſulit. Secundus fluentis humoris caſtigationem. Tertius topica præſidia docet.

Quod

Quod ad primum ſcopum attinet, calidum & ſiccum, & tenuium partium victum præſcribemus. Sit aër tenuis, clarus, ad ſiccum vergens, ſicca habitatio, à paludibus, ſtatariis & cœnoſis aquis procul diſtans. Panis coctus & fermentatus, vinum non oligophorum, ſed generoſum parcè dilutum eſt ex vſu. Cicerum & braſſicæ decoctũ, repudiata horum ſubſtantia, vtile. Veruecis caro aſſa; inutiles piſces, præterquàm ſaxatiles, qui vino ſunt incoquendi, piperis, cinamomi, vel caryophillorum puluere condiendi, frugaliùs ſolito edat, parciùs

Aphor. bibat, & iuxta Hipp. ſententiam

59. l. 7. inedia corpus demaceret. Somno breui indulgeat, intempeſtiuũque & diurnum tanquàm venenatum anguem vitet; Veneri parcat, labores cibos præcedant. A balneis & omnibus rebus humectantibus abſtineat, caſeum & fructus fugaces ne guſtet, & ſolutam aluum habere quàm maximè ſtudeat, ſuppoſita glande, vel clyſtere iniecto.

Comple

Completur secundus scopus antecedentis humoris ad expulsionẽ præparatione. Offerenda itaque consentanea erunt, quæ incidere & detergere delitescentem in corpore pituitam nata sunt, qualia esse sequentia comperies.

℞. Oxymelitis & mellis rosati sing. ℥. iij. decocti foliorum betonicæ, melissæ & maioranæ ℥. xij. pulu. cinamomi interioris & selecti ℈. iiij. misce, fiat zulapium clar. & arom. capiat in quatuor dosibus de mane. Vel sic.

℞. Syr. acidi simp. syr. de stœchad. sing. ℥. iij. aquarum maioranæ, beton. & melissæ sing. ℥ iiij. pul. elect. diamb. ℈. iiij. misce, fiat zulapium clar. & arom. pro trib. dosibus de mane.

℞. Syrupi de menta, syr. de acoro sing. ℥. iij. aquarum saluiæ, buglos. sing. ℔. ß. pulu. nucis moschatæ & macis sing. ℈. ij. fiat zulapium clar. & arom. pro 4. dosibus. Vel sic.

℞. Rad. galangæ crassioris, acori vulgaris

vulgaris sing. ʒ. vj. rad. petrosel. & apij sing. ℥. j. corticis citri sicci ℥.ß.foliorum beton. melissæ, chamepiteos, primulæ veris, maioranæ, saluiæ sing.M.j.herb.capil.com. vtriusque bug. vtriusque cichorij sing. M. ß. caricarum pinguium, passularum exacinatarum sing. pa. xx.sem.anisi,fenic. carui sing.ʒ.j.ß. medullæ carthami contusæ ℥. iij. florum genistæ,cicerum rubrorum sing.p.ij.florum buglos. stœch. roris mar. sing.p.j. fiat decoctio,& in col.℔.j.ß.dissl. sacch. solidi & mell. ros.col.sing.℥.iij.pulu. elect. arom. ros.de gal.& macis sing.℈.ij.misce, fiat apozema clar.& arom.capiat in 4.dosibus de mane.

Humoris iam concocti expulsionem phlegmagogis medicamentis tertius scopus ostendit; (nam venæ sectio nequaquam est tentanda, eo quod sanguine euacuato adaucta pituita magis refrigerari corpus experiremur;) quæ in sequentem modum parari poterunt.

℞.Dia

℞. Diaphœn. ℥. ij. indi maioris ʒ.j.ß.ſyr.roſ.ſolut. ℥. j. ß. aquarum beton.& maioranæ ſing.℥.ij.miſce, fiat potio, detur prima luce cum cuſtodia & artis regimine. Vel ſic.

℞. Elect.diacarth.℥. ß. aut elect. de pſylio tantundem. capiat vt iam dictum eſt. Vel ſic.

℞. Agarici tro.ʒ.j.medullæ ſem. carthami contuſæ ℥. ß. fol. ſennæ oriental.mund.ʒ. ij. florũ ſtœchad. roriſmar. ſing.p.j. fiat decoct. facta col.ad ℥.iiij.infunde rhabarbi optimi ʒ.j. ß. cinamomi ğ. vij. expreſſ. facta diſſ. elect. de citro ſolut.ʒ. ij. ſyr.roſ. ſolut. ℥. j. fiat potio: vel ſi magis catapotiis delectetur, deglutiet ſequentia.

℞. Maſſæ pill.de agarico, aggre. ma.ſing.℈.ij.malaxentur cum aqua beton.fiãt pillulæ vj.quas deglutiet hora ſecunda poſt mediam noctem cum cuſtodia, & regimine artis. Vel ſic.

℞. Maſſæ pill.cocciarum,& fœtidarum maiorum ſing.ʒ. ß. vel.℈. ij. ſi robuſtum ſit corpus malaxen-

M tur

tur cum aqua saluiæ, fiant pill. v. aut vj.

A multis commendatur vomitus, quod censeant ventriculum pituitæ esse promptuarium & ergastirion, modò pectore nec angusto, nec macilento sit ægrotus, neque naturam ad tabem pronam habeat, quem hydrælco tepido, vel penna oleo saturata in os immissa prouocabimus. Vel sic.

℞. Sem. atriplicis, nasturtij & raparum sing. ℥.ß. sem. erucæ. ʒ. ij. caricarum ping. num. xv. decoquantur in aqua raphani, facta col. ad ℥. x. dissol. syr. acidi simpl. ℥. ij. ß. misce, tepidum detur. Quæ enim vomitum ciere debent, tepida sint oportet, & larga quantitate sumantur. Dari etiam potest alicuius animalis cerebrum ciborum omnium postremum, pinguissimo iure conditum, quod ciendo vomitui vtile veteres scripserunt. Roboranda erit postea ventriculi facultas præsidiis sequentibus.

℞. Conser. stœchad. florum rorismar.

rismar. sing. ℥. j. corticis citri saccharo conditi,& zingiberis viridis sacc. pariter conditi sing.℥. ß. myrobalanorum emblicarum sac.conditarum, & generoso vino lotarum ʒ.iij. pulu. elect. rosf. nouel. ʒ. j. ß. pulu. elect. de cinamomo ʒ.j. cum syr. conser. corticis citri concorporentur,fiat in modum opiatæ,de qua capiat per horas duas ante prandium ad quantitatem castaneæ, bibendo postea parum vini clari aqua absynthij diluti. Vel sic.

℞.Confect. arom. maioris ℥.iiij. vtatur vt dictum est. Theriacæ sesquidrachma horis quatuor ante prandium exhiberi poterit, vel duabus horis ante pastum elect.sequens.

℞.pulu. elect.arom.rosf.d.gal.pul. diagalangæ sing.ʒ.ß.coral.rub.℈.ij. corticis citri sacch. conditi, conser.rosf.veteris sing.ʒ.ij.sacch. albissimi dissoluti in aquis menthæ & absynthij quãtum suff.fiat elect. in tabellis ponderantibus ʒ.ij. ß. Marini herinacei ventriculum ad ex-

citandam emortuam ventriculi appetentiam, & ad addendum huic visceri robur, Ætius commendat.
lib. 9. cap. 30. & 31.

℞. Coriandri præparati ℥. iij. panis albissimi igni lento & sine fumo assi ℥. j. corall. rub. vsti & aqua absynth. loti, rasuræ eboris sing. ʒ. ij. cinamomi ℈. iiij. corticis citri sicci ʒ. ij. anisi, fœniculi sing. ʒ. vj. sacch. ros. tabulati ad pondus omnium. fiat puluis tenuis, capiat cochlear vnum post suos pastus, nihil desuper comedendo & bibendo.

Quartus scopus nos admonet, vt pro variis œdematis temporibus varia à nobis præsidia statuantur. Quapropter in œdematum principio leniter repellentia & adstringentia medicamenta, & partem ipsam roborantia sunt ex vsu, hæc enim materiam euacuant. Nam fluens in aliquem corporis locum humor euacuari trifariam solet: vel tractione, quæ sanguinis missione, vel ad proximas partes deriuatione, aut cucur
Gal. in arte medicinali.

curbitularum appoſitione perficitur.

Secundo modo, impulſione, quæ fit admotis parti frigidis & adſtringentibus medicamentis. Hæc enim inflammationibus calidis, ſeruatis tamen à nobis ſuperiùs recenſitis legibus, conuenit.

Tertio modo, transmiſſione, quæ medicamentis à Guidone Cauliacenſi impropriè apocrouſticis vocatis abſoluitur, robur parti addentibus, & humoris appulſum ad partes affectas vetantibus, quæ hoc non ſua frigiditate, ſed adſtringente potiùs facultate præſtant; & tumoribus frigidis ſunt vtilia. Quocirca œdemati in principio exiſtenti ſequens præſidium erit ex vſu.

cap. de cura. [illegible] in 8. L.

℞. Aceti acerrimi ℥. iiij. aquæ ℔. ß. miſceantur probè ſimul, & tali liquore imbuatur ſpongia noua; quod ſi tali careas mittenda erit in aquam in qua colliquatum erit nitrum, vel aphronitrum, aut ſalis aliqua ſpecies. Hanc poſcam

tepidam tumori admouebis. Nam frigidà actu affectam partem offenderet frigiditate sua, & primo occursu materiam incrassaret. Nimiùm autem calida humorem potiùs attraheret quàm repellet. Corpori molliori minor, duriori maior quantitas aceti miscenda erit, temperato æqualis. Hanc etiam stillatitio lixiuio lauare poteris si vetus sit.

Auicennas non temerè prædicti medicamenti frigidi perfusionem damnat, quia œdemati tum sua frigiditate, tum humiditate officit, illudque digestioni non cedere affirmat, quod medicamenta frigida digestioni sint maximè aduersa. Vincienda denique erit fascia à partibus inferioribus incipiente, ad superiores progrediente has leniter adstringente. Possumus etiam sequenti præsidio vti.

℞. Boli armenici pul. acaciæ sing. ℥. j. rad. cyperi ℥. ß. croci orientalis ʒ. ij. aloës succocitrinæ, myr

myrrhæ electæ sing. ʒ. v. ſucci caulium rub. ℥. ij. aceti acerrimi q. s. olei roſ. ℥. iiij. ceræ parum, fiat vng.

Ab Auicenna monemur vt ante horum medicamentorum vſum, leuiter tumorem fricemus, præſertim ſi ſuapte natura homo pituitoſus ſit. Oedemati ad incrementum properanti ſequentia quàm maximè proſunt.

℞. Sulphuris ℥. ij. ſalis communis ℥. j. aceti acerrimi ℥. iij. olei chamæm. ℥. iiij. miſce, fiat adinſtar cataplaſmatis. Vel ſic.

℞. Foliorum acanthidis elixorum & diligenter tritorum ℔. ß. cineris ficus ℥. iij. axungiæ ſuillæ veteris ℥. iiij. aquæ pluuiæ, & aceti acerrimi ſing. ℥. ij. miſce, fiat in modum cataplaſmatis.

Oedema in ſummo vigore & inclinatione ſequentibus remediis profligari debet.

℞. Foliorum thamaricis, fol. roriſmarini & rutæ ſing. M. j. bulliant in duabus partibus aquæ pluuiæ,

uiæ, & vna vini generosi, terantur postea diligenter, & per colum medicum transfundantur. Quibus adde farinæ cicerum, furfuris frumenti sing. ℥. ij. stercoris vaccini & axungiæ anatis sing. ℥. iij. mellis optimi ℥. iiij. fiat cataplasma. Vel sic.

℞. Aluminis qu. suff. sulphuris ℥. j. styracis & lacrymæ thuris sing. ℥. ij. stercoris vaccini ℥. iij. spicæ nardi ʒ. iij. foliorum rutæ, calamintæ, absynthij siccorum sing. ℥. ß. glasti siue isatidis ℥. j. succi arthanitæ ℥. iiij. olei costistini & cheirini sing. ℥. iij. olei sambucini ℥. ij. ceræ citrinæ q. s. donec ad cerati consistentiam redacantur. fiat Magdaleon, de quo conformentur emplastra magnitudinis debitæ, adde aquæ rutæ parum. Vel sic.

℞. Sabinæ, maioranæ, rorismarini, origani, calamenti sing. M. j. lupinorum contusorum ℥. iij. calami odorati, schœnanti, spicæ celticæ sing. ʒ. vj. flor. chamæm.

mæm. anethi, meliloti & stœchad. sing.p. j. rosarum rub. p. ß. fiat decoct. in aqua pluuiæ, & pauco aceto,& spongia recenti vel panno glasto infecto foueatur tumor, admoueatur deinde sequens præsidium.

℞. Cineris fagi, ilicis, & cineris truncorum caulium rub. sing. ℥. ij. axungiæ suillæ veteris, & salitæ ℥. iiij. concorporentur cum pauco oleo cheirino. fiat linimentum.

℞. Emplastri oxycrocei ℥. iiij. formetur emplastrum (vnctis prius manibus oleo irino) magnitudinis debitæ. Aliquando humor œdema procreans tam peruicax est, vt digestioni non obediat. Tunc ad pus mouentium medicamentorum vsum migrandum erit, quæ in sequentem modum parari possunt.

℞. Rad. liliorum alborum, altheæ sing. ℥. iij. rad. bryoniæ, cucumeris asinini sing. ℥. ij. olei de lilio ℥. viij. vini generosi. ℔. ß.

bulliant simul ad vini consumptionem vsque, terantur diligenter in mortario marmoreo, & per cribrum medicum transfundantur, miscendo deinde farinæ sem. fœnugræci, sem. lini sing. ℥. iij. fermenti acris ℥. ij. axungiæ anatis, anseris sing. q. j. misce, fiat in modum cataplasmatis. Vel sic.

℞. Massæ emplastri diachylonis minoris ireati ℔. ß. malaxentur manibus inunctis oleo irino. fiat emplastrum, vt iam dictum est. Vel sic.

℞. Maluarum, acanthidis, maluauisci cum rad. sing. M. j. florum meliloti & anethi sing. p. j. sem. lini, fœnugræci contusi sing. ℥. j. ß. olei de croco cheirini sing. ℔. ß. succi ebuli, sambuci & lapati acuti sing. ℥. ij. decoquantur ad succorum consumptionem vsque, terantur & per colum medicum traiiciantur. misce butyri ℥. iiij. vng. dialth. ℔. ß. fiat ad instar vnguenti. Vel sic.

℞. Cæparum sub prunis coctarum


rum num. iij. cochlearum cum testis tritarum ℥. ij. olei rutacei, fæcis olei de lilio ſing. ℥. iij. miſce, fiat cataplaſma. Oedematis humore iam in pus verſo, cauterio aperiendus erit locus. Humoris ipſa maturatio ex primo libro ſcriptis notis innoteſcet. Adigendum erit rutilans ferrum decliuiori tumoris ſedi, aut ſectionem acuto ferro, vel pyrotico medicamento molieris. Vlcus verò derelictum, quod ſordidum eſt, præſidiis ſequentibus erit detergendum, ac curandum.

℞. Sebi vaccini ℥. iij. galbani, ammoniaci thymiamatis in pauco aceto diſſolutorum ſing. q. s. picis naualis ℥. ij. terebinth. ℥. iij. ß. myrrhæ electæ ℥. iij. olei veteris ℥. iiij. corticis thuris vel mannæ thuris ℥. j. ß. ceræ citrinæ parum. fiat vnguentum. Vel ſic.

℞. Maſſæ emplaſt. diachalciteos ℥. iiij. Vel ſic.

℞. Maſſæ emplaſtri fuſci ſiue nigri tantumdem, malaxentur ma-

nibus inunctis oleo rosato. fiat emplastrum. Quod si caro flaccida, mollis & putris appareat, vnguento apostolorum vel Ægyptiaco erit tollenda, vel puluere præcipitati erit colliquanda.




De Oedemate illegitimo, phlegmonode, erysipelatode, & scirrhode.

CAP. V.

SI quis exactam, vt primo libro ostensum fuit, affectuum simplicium notitiam habeat, & illi sit horum curatiua methodus perspecta, facilè omnes à coniugatis causis profectos & agnoscet, & curabit. Quare breuitati studentes ad aliorum tumorum descriptionem, & curationem nos conuertemus.

De



De Oedemate flatulento, vel de inflatione.

CAP. VI.

Flatulentus tumor non ab aëre, sed in nobis incluso spiritu emergens, illius in aliqua interiore parte collectionem significat. Hic tumor oculos, ipsorúmque palpebras molestans, à nonnullis propriè ἐμφύσημα dicitur. Vaporosus ille spiritus nonnunquam sub cute, sæpe in ossa ambientibus membranis, interdum in ventre, quandoque in intestinis, aliquando in spatio quod est inter peritoneũ & intestina, quandoque sub musculorum membranis & membranosis tendonibus colligitur. 2. *ad Glauc.*

Apostema ventosum eleuationem, aut inflationem Auicennas appellat, ostendens eleuationem ab inflammatione differre materia & situ, eo quod eleuatio fit à flatu pituitæ vapori permixto, per

vapo

vaporem nihil aliud nisi tenuem pituitæ humiditatem intelligens. Inflatio verò ex flatu alteri substãtiæ permixto. Situ, quia causa eleuationem faciens per membri substantiam est dispersa;& premẽti digito cedit, vt in cachexia, leucophlegmatia in inflatione est accumulata,& à membri substantia secreta, cui copulata est renitentia, vt in hydrope tympania, & ramice ventoso.



De flatulenti œdematis causis.

CAP. VII.

Externæ causę huius affectus sunt, ingesti cibi suapte natura flatulenti, cuius generis sunt legumina omnia, & ex cerealibus nonnulla, olera, fructus horarij & præcoces, magna frigiditas ventriculi concoctricem facultem labefactans, vsus creber atque intempestiuus aquæ potus, frequẽs radiculæ, raparum, & bulbosarum

radicum esus, crapula, & largus vini vsus non solùm flatus, sed fluxuationem procreãs. Caloris natiui imbecillitas in materia pituitosa ad excitandos flatus disposita, causa est corporea & antecedens. Potest enim huiusmodi calor ex humida & attenuata materia vaporem suscitare, sed non discutere.

Quod doctè Gal. similitudine quadam vsus variis locis docet, dicens; quemadmodum in externis rebus, & frigida aëris constitutione, flante borea, videmus aërem sereniorem reddi, & calidissimo per æstatem aëre nos ambiente purum cælumque sudum; ac tranquillum effici, in mediis verò aëris constitutionibus, turbulentum cælum nebulasque procreari: ita in animãtibus accidit. Neque enim calor maximè imbecillus, neque admodum validus, sed cũ inter has qualitates medium obtinet, flatum gignere potest. Nam impensè frigidus humidam materiam in flatum nequaquam resoluit, sed illam *2. ad Glauc.*

cogit,

cogit, quam maximè calor externus absorbet. Temperatus verò & humori proportione respondens calor, tantum vaporis suscitat quantum digerere potest, ob eam rem flatum non parit.

A debili igitur calore flatum, qui cruditates sequitur, fieri statuẽdum est, quem dissoluere non potest, eo quod partes in quibus est coaceruatus, infrigidantur, infrigidatæ hos seruant & optimè continent. Tria igitur ad flatus generationem concurrunt, caloris imbecillitas, humida materia, & partis pororum densitas. Flatus in parte contentus illam replens & extendens, continens est causa.



De tumoris flatulenti indiciis.

CAP. VIII.

Signa sunt tumor tactui renitens, cum quodam lucido splendore, & dum talitro aut baccillo percutitur, sonum tympano aut vtri similem repræsentans.

Sæpe

Sæpe percipitur flatus per totum corpus, modo in hanc, modò in aliam partem oberrans, tensumque dolorem pariens, qui si vaporosus & crassus existat, non facilè discutitur, & multa parit incommoda. Reformidandus est maximè quando huc aut illuc per corpus vagatur, dolores & lipopsychias comites habens: nā cum à venenato humore attolli videatur, sæpe ægrotantem in maximum vitæ discrimen vocat.



De tumoris flatulenti curatione.

CAP. IX.

TRibus scopis huius affectus curatio perficietur, qui à tribus causis excitari solet, nempe ab humido succo, caloris imbecillitate, & meatuum partis flatum continentis densitate. Primus igitur scopus nos hortatur, vt humidam & crassam materiam extenuemus calefaciēte & resiccante victus ratione, vt iam genitum flatum

tum discutiamus. Abstineat oportet ægrotus ab omnibus eduliis crudis, lentos, viscidos humores & flatus generantibus, & leguminibus, castaneis, fugacibus fructibus, radicula, rapis, napis, suilla & agnina carne, crudo melle, & aliis cibis dulcibus, vino dulci & turbido. Fruatur cremore cicerum, in quo incocta sit cæpa, petroselinum, mẽtha, calamẽthum, vel cuminum. Assas carnes euchymas prosequatur, elixas & pingues respuat. Sit panis ex æquis partibus selecti tritici & hordei paratus, mediocriter salitus, sed bene coctus & fermentatus: cui anisi & fœniculi quantitatem exiguam miscere non erit absurdũ. Deliget vinum album aut giluum: generosum, crassum & nigrum noxium; & vino aromatite nonnunquam indulgebit, vel phalerno, ab aliquibus maluatico vocato.

Concoquetur pituitosus humor flatui ansam suggerẽs, & euacuabitur his medicamẽtis, quæ c. de œdematum curatione fuere descripta.

Secun

Secundus scopus nos docet, vt caloris imbecillitati occurramus, illorum præsertim viscerum quibus credita est altrix facultas. Quod exhibitis interiùs & exteriùs admotis perficiemus. Et cum ventriculi & hepatis imbecillitas flatui generationem suppeditet, vtrumque viscus præcedente purgatione erit sequentibus medicamentis firmandum.

℞. Confect. arom. maior. ℥. ij. confer. florum rorismar. ʒ. vj. zingiberis viridis saccharo conditi ℥. ß. pulu. diagalang. ℈. iiij. syr de mentha q.s. ad incorporandum, fiat opiata, de qua quolibet mane capiat ad quantitatem vnius castaneæ duabus horis ante prandium, bibat postea cochlearia duo (vt ocyùs in viscera digeratur medicamentum) vini vermiculi parum diluti cum aqua menthæ.

℞. Massæ pill. de aromatis aut de hiera simp. ʒ. j. malaxentur cum aqua menthæ, capiat pillulas duas per sesquihoram ante cœnam, semel

mel aut bis in hebdomade. Syr. de absynthio cochlearia duo sorbere prima luce non erit incommodum, modò priùs, vt Gal. docet, expurgatus & planè detersus sit à pituita ventriculus. Non minus conferet similis syr. de mentha administratio.

℞. sem. anisi, fœniculi an. ℥. j. sem. cumini ℥. ß. cubebarum zingiberis sing. ʒ.ij. cinamomi interioris & electi ʒ.j.ß.galangæ minutæ ℈. iiij. cariophyllorum ℈. ij. sacch. albissimi ad pondus omniū. fiat puluis, de quo post suos pastus capiet cochlear vnum, nihil desuper comedendo & bibendo. Magna etiam cucurbitula medio ventri absque scalpellatione applicata, totum vmbilicum complectens hominem à molestia citò liberat.

℞. anisi, carui & fœnic. sacch. cond.sing.℥.iij.elect. rosatæ nouellæ frustatim incisi ℥.j. glycirrhizæ rasæ ℥.ß.fiat drageta, vtatur vt dictum est. Exterior ventriculi pars

emen

emendante vitia ventriculi cerato, Gal. deſcriptione erit roboranda, vel oleo de ſpica,nardino, de abſynthio, de mentha, maſtichino, rutaceo, vel ſequenti epithemate & vnguento.

℞.Rad.iridis florentiæ ℥.ij.cort. citri ſicci ℥. j. foliorum balſamitæ, abſynthij, menthæ ſiccorum ſing. ℥.j.ß.ſem.aniſi, cumini,rutæ ſing. ʒ. iij. florum chamæm. meliloti, ſambuci,& ſtœchados ſing.p.j. fiat decoctio in duabus partibus aquæ, & vna vini albi opt. de qua ſpongia vel filtro foueatur regio affecta cal. inungatur poſt fotum ſequenti vnguento.

℞. Ladani puriſſimi ℥. ß. nucis moſch. cariophyllorum & macis ſing. ʒ. j. ſtyracis calamitæ ʒ. j. ß. moſchi pro diuitibus ℈. j. olei coſtini & rutacei ſing. ℥. iiij. ceræ citrinæ q.s.fiat vnguentum.adde vini generoſi aut aquæ vitæ parum vnctionis tempore: poterit ex prædictis medicamentis parari in rubra ſindone ſacculus interpunctus

ſcuti

scuti figuram referens, qui suo adhæsu ventriculum roborabit.

Tertium scopum topicis præsidiis assequeris, quæ mixtam facultatem habeant oportet, digerentem scilicet & modicè adstringentem,& dolorem nequaquam adaugentem. Quæ fusissimè à Gal. sunt
14. Met. tradita,ea autem calida & tenuium partium sunt; quapropter noua spongia lixiuio aut sapone imbuta parti erit applicãda. Sed vrgente dolore vtendum erit aliquo chalastico & relaxante oleo quod dolorẽ leniat, quale est oleum susinum, chamæm. amygd.dulcium, vel œsipata lana in sapa, oleo & aceto infusa;minuenda tamen erit aceti quantitas,olei & vini augenda dolore ægrum distorquente.

Quod si tumor in summo vigore, vel declinatione fuerit, medi-
14. Met. camento à Galeno tradito, à Paulo & Aëtio recepto erit vtendum, quod sic parari volunt. Capienda sunt strigmenta gymnasiorum sic feruefacta & percolata,vt pura efficiantur,

ficiantur, quæ viuæ calci optimè puluerataæ miſcebis (quamuis Paulus reſtinctam eſſe velit.) ex his parandum erit emplaſtrum.

Quò ſit vt hoc loco manifeſtus ſit Guidonis Cauliacenſis lapſus, qui capite de curatione apoſtematis ventoſi; ſaponi & calci præcipit miſcendum eſſe lutum tenax (quod argillá appellant) cuius medicaméti inuentoré fuiſſe Gal. falsò aſſerit. Conſtat enim tale lutum emplaſticam conſiſtentiam habens, repellens emphracticum & ſtegnoticum eſſe, flatuum digeſtionem maximè impediens. Sunt autem ſtrigmenta trium generum, balneorum ſcilicet, palæſtræ, parietum & ſtatuarum. Balneorum, ex ſudore, oleo & ſordibus in balneo ab hominibus defrictis conſtant. Paleſtræ, ex iam dictis accedente puluere: parietum & ſtatuarum ſunt ſordes ex oleo magna ſui parte conſtantes, ex materia cui inhęrẽt aliquid aſſumẽtes, velut æruginé ex æreis ſtatuis. Erãt in gymnaſiis ſtatuæ quædam & vaſa

ſa

sa ærea oleum ipsum quo se luctaturi oblinerent continentia. Hæc enim tubercula discutiunt & calci mixta ad parotidas discutiendas vtilia esse Archigenes scripsit. Ex oleo, vasorum ærugine & ex parietum materiæ qualitate constant. Poterit etiam hic flatulentus tumor in sequentem modum discuti.

℞. terebinthinæ, visci quercini sing. ℥. iij. resinæ pini ℔. j. adipis leonis, illius loco taurini veteris ℔. ß. olei cui incoctum sit piper pyrethrum, vua taminea siue staphisagria ℥. v. aquæ vitæ aut vini generosi ℥.x. decoquantur vsque ad vini consumptionem, quibus per colatis & expressis misce thuris in tenuissimum pollinem redacti q. s. lumbricorum terrestrium in clybano non admodum vrente resiccatorum ℥.ß. hermodactylorum ʒ.vj. ceræ q. s. fiat malagma siue magdaleon, vsui seruetur. Vel sic.

℞. Emplastri diachalciteos ℥. ij. emplast. de meliloto q. s. rad. cycla. ℥.ij. pyrethri puluerisati ℥.j.ß.

mala


malaxentur manibus vnctis oleo irino. fiat emplastrum magnitudinis decentis. Vel sic.

℞. Milij ℔.j.ß.salis fossilis leuiter assi ℔. j. furfuris à farina optimè spoliati p.j.fol. arthemisiæ,maioranæ sing. M. j. florum chamæm. meliloti, rorismar. stœchad.vtriusque sing. p. j. ß. sem. fœnugræci, carui,cumini sing. ℥. ß. torreantur omnia in sartagine, fiant sacculi quadrati iuxta membri magnitudinem,& vino generoso perfusi tepidi parti admoueantur, vtatur postea sequenti vnguento.

℞. Origani, cala.siccorum sing. ℥.ß. rad. gentianæ ʒ. vj. rad. rubiæ maioris ʒ. iij. foliorum agrimoniæ siccorum.ʒ.ij.ß.scœnanthi, mastiches sing. ʒ.j.ß. croci, spicæ nardi sing.℈.iiij.olei anethini, nardini & de castoreo sing. ʒ. iiij. aquæ vitæ ℥.ß. ceræ q.s. fiat vnguentum, vngatur locus affectus cal.

Si ex vehementi partis æstu & mobili dolore, lipopsychia flatum à pernicioso atque venenato hu-

more excitari cogites, vincienda erit superior atque inferior arcto vinculo pars, vt in illius medio retentus turbidus ille flatus sectione nouacula aut rutilante ferro facta liberè exeat, replendum tandem erit vulnus aloë, bolo armeniæ, oleo rosaceo & aceto, sic mixtis vt substantiam glutinosam adipiscantur. Demum agglutinandum erit medicaminibus ad id dicatis, priùs tamen à plethora, sectione venę: cacochymia, purgatorio medicamento, liberandum erit corpus. Danda erit theriaca, aut cardiacum aliquod medicamentum à nobis primo libro descriptum, ne extis principibus quibus insidiatur pestilens ille vapor, officiat.



De Tumore aquoso.

Cap. X.

AQuosus tumor mollis, & prementi digito cedens, doloris omnino expers, frigidas & decliues

cliues partes impetere ſolet. Aquoſi tumores, quorum materia ſoboles eſt pituitæ, Græcis ὄγκοι ὑδαλώδεις dicuntur.



De Tumoris aquoſi cauſis.

Cap. XI.

Alimentorum prauitas ad aquoſitatẽ inclinans, immodicus frigidæ vel vini (quod per accidens morbos frigidos excitat) potus, ex immoderata repletione cruditas, porcellorum victimarum interanearum partium, & illarum extremarum frequens vſus, lactis, piſcium, iuſculorum & lacticiniorum omnium aſſiduus atque intempeſtiuus vſus, cauſæ procatarcticæ habentur. A diſtemperie frigida labefactata alteratrix facultas cauſa eſt corporea, maior enim frigiditas requiritur ad aquoſæ ſubſtantiæ generationem quàm flatulentæ. Et cùm calor quantumuis exiguus aliquam humidæ ſubſtan-

tiæ partem in vaporem conuertit, fit vt aquosa pituita flatu omnino priuari non possit, quemadmodum flatulenta seroso humore.

A prædominanti facimus denominationem, tacentes quod exiguum est. Nam si vtriusque substantiæ par esset portio, tumor mixtum & non sincerum nomen retineret. Serosum abundãs recrementum in corporis parte aliqua collectum illam replens & distendens, causa est continens. Si enim pituita refrigerato iecore in vniuerso redundet corpore vt bilis icterum, ita hæc leuco phlegmatiam siue sarcitem efficit, in qua hydropis specie videtur corpus innumeris œdematis esse obsessum in determinata corporis sede aggregata œdema parit, vt iam fuit demonstratum, si serosa in corpore recrementa abundent aquam intercutem ascitem vocatum procreare solent, si in aliquam partem delapsa, vt genu, articulos, illam repleant atque distendant, aquoso tumori,

de

de quo agimus, anſam præbent. Quem iure optimo illegitimum œdema vocare poſſumus.




De Tumoris aquoſi ſignis.

CAP. XII.

SI quis notas œdema legitimum oſtendentes in memoriam reuocet, facile quæ huius affectus ſunt nuntiæ percipiet, cum vtriuſque morbi ſigna ferè eadem conſpiciamus. Hac tamen ratione differre videntur, quod aquoſus tumor magis laxus ſit quã œdema legitimum, in quo maior apparet renitentia, percuſſus inſuper aquoſus tumor non tympani ſonum, ſed potiùs vtris aqua aut liquore alio ſemipleni edit.

Porrò aquoſi tumores frequentiùs in pedibus magnas capacitates habentibus, ſcroto, capite & iuncturis quàm in aliis corporis ſedibus accidunt. Tum quia ſua grauitate aquoſus humor in illas dela-

bitur, tum quod natura frigidæ à caloris natiui fonte sint maximè semotæ.



De Tumoris aquosi curatione.

Cap. XIII.

Cvm isti tumores per rheumatismum fiant, fluxio à nobis, vt 1. libro cap. de Phlegmone scripsimus, est inhibenda, quod autem iam fluxum est euacuandum. Medentis igitur consilium duplex sit oportet. Primum ad præcautionem, postremum ad curationem dirigetur. Vt autem hæc exequaris, quatuor intentiones ob oculos propositas habeas oportet.

Quarum prima te victus rationis huic morbo necessariæ admonet. Secunda, vt defatigatam concoctricem facultatem instaures, hortatur. Tertia in humoris serosi per aluum & vrinas euacuatione versatur. Quarta, vt topicis remediis humorem parti impactum

eua

euacues, te docet.

Primum exequeris repetita ea victus ratione, quæ œdemati & flatulento tumori eſt commoda, modò vberiùs calfaciat & exiccet. Secunda præcedentibus diſſimilis haud eſſe debet. Tertia ſequentibus præſidiis vtendum ſuadet.

℞. Rad. liliorum alb. & altheæ ſing.℥.iiij. maluarum, viol. branchæ vrſinæ, parietariæ, ſiclæ, mercurial. an. M. ß. calament. puleg. origani ſing. M.j.ß. rutæ, cumini, aniſi & feniculi ſing.ʒ. ij. caricarũ pinguium num.xx. florum centaurij minoris, ſtœchados, roriſmarini an. p.j. furfuris macri p. j. fiat decoct. & in col. quar.v. diſſol. hieræ picræ Gal. ℥. ß. olei chamæm. amygd. amar. ſing.℥.j.ß. mellis roſ. col. ſacch. rub. ſing.℥.j. vitellorum ouorum recentium num.ij. fiat clyſter qui ſupponatur ante omnia.

℞. Glycirrhizæ recentis & raſæ ℥.j. menthæ, beton. meliſſæ, mercurial. ſing. M.j. herb. capil. philipendulæ, primpinellæ, an. M. j. grano-

rum halicacabi pa.x.ſem. aniſi, fæniculi,milij ſolis ſing.ʒ.j.fol.ſennæ & medullæ ſem. carthami contuſæ ſing.℥.iij.florum geniſtæ , cicerum nigrorum, florum ſtœchados & roriſmar.ſing. p. j. fiat decoctio & in col.℔.j.ß.diſſol.mellis roſ.colati & ſacch. albiſſimi ſing.℥. iij. ß. pulu. nucis moſchatæ & cinamomi interioris & electi ſing.ʒ. j. fiat apozema clarificatum & aromatizatum, capiat in 4. doſibus de mane.

℞. Elect.diacarth. ℥. ß. ſyr. roſ. ſolut.℥. j. aquarum aſparagi & betonicæ ſing. ℥. ij. Miſce, fiat potio danda poſt præcedentis apozematis vſum cum regimine artis. Catapotia ſuperius deſcripta ſunt vtilia. Vtilis etiam theriaca Andromachi non recens , ſed vetus , vel aurea Alexandrina , puluis pliris arcoticon,diamoſchi dulcis vtile & mithridatium. Ciere lotium ſequentium medicaminum opera poterimus.

℞. Agrimoniæ,chamæpytheos, chamedryos,pyloſellæ,pimpinellæ herb.

herb.capil.com. ſaxifrag. ſing. M.j. rad.diureticarum com.ſing.ʒ.j.glycirrhizæ recentis & raſæ ʒ. x. ſem. petroſ.apij,alkekengi,aniſi,fœniculi ſing.ʒ.ij.rad. pæoniæ & rad. aſari ſing.℥.ß. florum geniſtæ & cicerum nigrorum ſing.p.ij.fiat decoct. cape de col.℔. j. ß. in qua diſſ. ſyr. capill.veneris,ſyr.de hyſſ.ſing.℥.iij. ß.cinamomi interioris & electi,nucis moſchatæ ſing.℈.ij. fiat apozema clarum & arom. capiat in 4. vicibus prima luce, vel huius loco vtatur ſequenti.

℞. Pul.elect.triaſantali,rhabarb. & ſeminib. duplic. ʒ. j .ß. ſeminis apij, fœniculi & aſparagi pulu. ſing.ʒ.j.ß.conſer. capil. florum geniſtæ & rad.apij.ſing. ℥. j. cinamomi pul.℈.iiij. ſyr. de duab. radicib. q. s. ad incorporandum. fiat opiata de qua ſingulis matutinis capiet ad quantitatem vnius caſtaneæ horis duabus ante prandium. vini albi montani & exilis potus non erit reſpuendus.Addendũ erit ſequentibus medicamẽtis robur ventriculo.

℞. Panem vnum nuperrimè è clibano extractum & adhuc calentem, per medium diuisum generoso vino madefactum sequenti puluere insperges.

℞. Galangæ minutæ, piperis albi sing. ʒ. ij. sem. aneti, cumini sing. ʒ. iij. cariophyll. nucis moschatæ, cardamomi, cyperi & calami odorati sing. ʒ. ij. ß. mastiches ℈. iiij. misce, fiat puluis, applicetur ventriculo. Parandus erit hac arte alter qui priore infrigiditato admouebitur.

℞. Zingiberis non cariosi, galangæ minutæ sing. ʒ. j. macis ʒ. j. ß. cinamomi electi ℥. ß. cardamomi & cariophyllorum sing. ʒ. j. sacch. albissimi ad pondus omnium, fiat puluis de quo in suis ferculis capiet ʒ. j.

Quartam intentionem perficiemus adhibitis medicaminibus exsiccantibus & digerentibus, vt est oxyrhodinum sali mixtum, vel spongia recens lixiuio saturata, cui aliquid salis, aluminis, aphronitri,

aut

aut ſulphuris miſcere debemus:vel admouendum erit emplaſtrum ex apoſtolico Chirurgico paratum, vel ſequens.

℞. Bdellij ſcytici, ammoniaci thymiamatis in aceto forti diſſ. ſing.℥.j.ß.ſem.vrticæ, ſulphuris viui,ſem. ſinapi, ariſtolochiæ rotundæ,ſalis nitri ſing.℥. ß. pyretri ʒ.ij. olei veteris, picis naualis & ceræ citrinæ ſing. q. s. fiat Magdaleon, de quo conformetur emplaſtrum magnitudinis neceſſarię.Si his medicamentis non curetur tumor ferro aperiendus erit, & vlcerum ſordidorum modo curandum erit à tumore factum vlcus.



De Strumis.

Cap. XIV.

STrumæ quas multi ſcrophulas appellant, Græcis χοιράδες dicuntur à chæradibus petris per marinas aquas tranſparentibus: vel à porcis, in quo-

rum gutture frequentes reperiuntur; vel à porcorum multiplici partu nomen desumpserunt. Indurati sunt adenes, in ceruice, alis & inguinibus reperiuntur; rariùs in mulierum mammis & mesenterio: membrana includuntur, vt steatomata, atheromata, & melicerides, de quibus quinto huius operis librò differemus.

Plinius inter χοιράδας & δοθιῆνες nullum discrimen ponens fœdissimè lapsus est: constat enim hæc inter se longo interuallo differre; nam strumæ à crassa & quasi resiccata membrana inclusa pituita originem trahunt, δοθιῆνες à sanguine crasso, quos paruas phlegmonas antiqui vocabant. Præterea ceruicem, inguina chœrades molestant, sed furunculi toto corpore in carnosis partibus fiunt: in chœradis durities magis quàm tumor, in furunculo cum tumore abscessus est.

De



De Strumarum causis.

Cap. XV.



Truma peſſimus, turpis ac ſordidus(vt aliquibus placuit) morbus à caſu, percuſſione, vel incauta victus ratione excitatur. Quò fit, vt pueri qui magni ſunt comedones, & rarum corpus habent, huic diro morbo ſint obnoxij, non minus qui humidis & craſſos ſuccos gignentibus cibis aluntur, & gelidæ potu gaudent.

Ad hunc etiam morbum ſunt valde propenſi, qui carnoſo & magno ſunt capite, compreſſis & latis malis, collo craſſo & breui, & qui in aëre turbido ac caliginoſo verſantur, regioneſque cœnoſis & ſtatariis aquis finitimas incolunt, & pomeridiano ſomno atque comeſſationibus indulgent: & intempeſtiuus in phlegmone apocrouſticorum medicamentorum vſus, lenta & craſſa

& crassa pituita causa est corporea & antecedens.

Accidit nonnunquam, quamuis rarò, non ex pituita glutinosa, sed carne ipsa resiccata duritiem contrahente, quòd Medicarum definitionum autor scripsisse visus est, dicens: Struma est caro sicca, quæ difficilè soluitur. Humor prædictus in parte aliqua corporis coaceruatus, & frequenter membrana (quam plerique chystin vocant) inclusus causa est continens. Struma sua duritie, & renitentia ad scirrhum maximè accedit, vt 4. libro vlteriùs demonstrabitur.



De Strumarum indiciis.

Cap. XVI.



Signa à corporis habitu, ab ea quæ præcessit victus ratione sunt petenda, nec non à tumoris figura, duritie & cutis separatione, nam quæ mobiles sunt, & veluti à carne secretæ, humorem

morem membrana circumſeptum eſſe ſignificant. Recentes & rara corpora moleſtantes digeri ſæpe videmus, inueteratas autem nunquam, aut ægrè, futuram harum ſuppurationem portendunt dolor, vehemens calor, in ſinuoſum tandem vlcus aut cancrum conuertuntur.

Quò plures apparent, & per membra prædicta oberrant, maiorem in internis partibus noxam ſubeſſe teſtantur. Aliæ ſunt pendulæ, aliæ ita carni inſertæ fixæ, vt digeri nequeant, neque ſine magno periculo & moleſtia diuelli.



De Strumarum curatione.

CAP. XVII.



STrumarum curatio ab ea quæ ſcirrho debetur, non eſt admodum varia. Naſcitur enim ſcirrhus albus, cuius in com. ſimp. med. meminit Gal. à reſiccata pituita. Harum itaque *ca. 16. 5. lib.*

que curationem ſic aggrediemur inſtitutis priùs 4. ſcopis : quorum primus præcipit, vt probam & morbi cauſæ aduerſam victus rationem præſcribamus , qualis eſt ea quæ calfacientem & reſiccantem facultatem, attenuantem & incidentem habet , & multis aliis tumoribus à frigido ſicco ortis eſt communis.

Quocirca ab alimonia frigida & humida abſtinebit ægrotus , cui vtilior exiſtit inedia repletione. Alimentis exſiccantibus fruatur, hydromel aut medicatas aquas aluminoſas, aut ſulphurei ſaporis phãtaſiã repræſentantes bibat, quarum vſus ab Arnaldoilla Vnouano maximè commendatur, & non ſolùm ſtrumis , ſed herniæ gutturali ſunt ſalubres.

Secundus in humoris noxij apparatu conſiſtit ac in lotij prouocatione. Concoquetur igitur in ſequentem modum humor.

℞. Syr. de 5. rad. mell. roſ. col. & ſyr. de ſtœchad ſing. ℥. ij. aquarum fœnic.

fœnic. enulæ campanæ & hyſſopi ſing.℥. iiij. zingiberis ℈.iiij. miſce, fiat zulapium clar. & aro. pro 4. doſibus. Vel ſic.

℞. Ramentorum ligni gaiacini ℥. vj. corticis eiuſdem pul. ℥. ß. bulliant in x.℔. aquæ pluuiæ, donec redeant ad medias, in decoctum percolatum mittantur ſequentia.

℞. Rad.fœnic.petroſelini, apij, ireos,enulę cāpanę ſing.℥.j.corticis citri ſicci, galangæ craſſioris ſing. ʒ.vj.marrhubij viridis,meliſſæ, betonicæ,ſummitatum thymi, herb. capil.com.criſtæ marinæ ſing. M.j. caricarum pinguium pa. xx. ſem. aniſi, fœnic.petroſ.apij,ſeſeli maſſil.& dauci ſing.ʒ.ij. paſſularum ab acinis repurgatarum num.xxx.medullæ carthami contuſæ ℥. ij.turbit gummoſi in melle roſ. col. macerati ℥. ß. agarici optimi ʒ.iij. zingiberis, ſalis gemmei ſing.℈.j. florum centaurij minoris,ſtœchados, roriſmarini & ſaluiæ ſing. p. j. fiat decoctio,& in col.℔.j.ß.diſſ.mellis optimè

optimè despumati & sacchari rub. sing. ℥. iiij. fiat apozema clar. & aro. cum pulu. pliris cum moscho & diagalangæ sing. ʒ. j. pro 4. aut 5. dosibus.

Tertius scopus nobis insinuat præscribendum esse purgatorium medicamen in sequentem modum.

℞. Elect. diacarth. & de citro solut. sing. ʒ. ij. Vel sic.

℞. Turbit resinosi ʒ. j. zingiberis ʒ. ß. sacchari albiss. ʒ. ij. fiat puluis tenuissimus, detur cum ℥. iiij. iuris galli nigri veteris. Vel sic.

℞. massæ pill. de hiera, pill. de agarico & hermodact. maiorum sing. ℈. j. malaxētur cum melle ros. colato. fiant pil. sex, quibus adde scammonij. gr. ij.

℞. Turbit selecti ʒ. j. ß. agarici ʒ. iij. scammonij ℈. ß. aloës succocitrinæ ad pondus omnium, malaxentur cum succo marrhubij viridis. fiat pasta pil. ex ʒ. j. fiant pillulæ v. quas capiat hora 2. post mediam noctē, cœna parca aut nulla præcedente, à qua si abstineat omnino,

erit

erit vtilissimum. de pil. residuo capiat sing. x. diebus 4. hora prædicta.

Quamuis in pituitosis morbis vomitus, ventriculum huius humoris cloacam expurgans, ab omnibus commendetur; quia tamen humorem à capite ad colli partes fluere facit, inutilem præsertim in principio & corpore non bene purgato, censemus. A gargarismatis etiam tunc erit abstinendum.

Euacuatio quæ fit secta vena in struma sine dolore, rubore, & corpus plenum non diuexante, quia detracto sanguine corpus magis refrigerat, damnatur, quæ concedi debet in corpore plethorico, struma rubra admodum tumida & dolente ex cephalica, si collum, ex iecoraria, si alas vel inguina discruciat.

Euacuato ex interuallis corpore, potionis vrinam cientis vsus à Guidone Cauliacensi commendatus erit ex vsu, quod noxium humorem in inferiores partes reuul- *cap. de gland.*

sione

ſione quadam protrudat, quæ in eum qui ſequitur modum parabitur.

℞. Rad. 5. diureticarum in oxymelite per horas xij. maceratarum ſing. ℥. j. rad. glycirrhizæ recentis ʒ.x. rad. ſpatulæ fœtidæ, rad. raphani & ariſtolochiæ rotundæ ſing. ʒ.vj. ſcrophulariæ, philipendulæ, pimpinellæ, piloſellæ, tanaceti, caulium rub. rubiæ maioris ſing. M.j. ſem. vrticæ granorum iuniperi ſing. ʒ.iij. cicerum nigrorum, florum geniſtæ ſing. p.j. fiat decoctio, facta col. ad ℔. j. ß. diſſolue mellis deſpumati ℥. viij. clarificetur. cap. ieiunus ℥. iiij. tribus horis ante cibum. Galenus in curatiua methodo veterem theriacam athanaſiam, ambroſiam commendat 14. Meth.

Quartus ſcopus ad ſequentia medicamenta nos vocat.

℞. Ficuum pa. xx. maluarum, viol. altheæ cum toto an. M. j. florum chamom. meliloti, ſambuci ſing. ʒ.ij. decoquantur, piſtentur, & per

& per cribrum medicum transfundantur, adde postea farinę sem. lini, fœnugræci sing. ℥. ij. olei amygd. amar. olei de lilio sing. ℥. iiij. pinguedinis porci ℥. iij. fiat cataplasma. Vel sic.

℞. massæ emplastri diachilonis minoris ireati ℥. iiij. malaxetur inunctis manibus oleo de lilio, fiat emplastrum. His medicamentis agendum est quando strumæ incipiunt, & paruæ apparent, ne medicamento calido maior fiat attractio. Sequentibus verò quando maiores conspiciuntur, & iam processerunt.

℞. Adipis suilli veteris ℥. iiij. resinæ pini ℥. iij. æruginis rasilis ℥. j. farinæ lolij ℥. j. ß. picis naualis, & olei cheirini sing. q. s. ad malaxandum, fiat magdaleon, de quo necessaria emplastra formentur. Vel sic.

℞. Stercoris bubuli aceto incocti ℔. j. calcis viuæ ℥. iij. strigmentorum balneoruum ℥. iiij. olei rutacei vel castorei q. s. fiat adinstar cata-

plasma

plaſmatis. Vel ſic.

℞. Rad. maluauiſci, ebuli & ireos, dracunculi & gladioli ſing. ℥. iij. ſub prunis cocta piſtentur diligenter, & per colum medicum transfundantur, addendo poſtea ſulphuris viui ℥. j. ß. caſtorei ℥. j. ſalis gemmei ʒ. x. olei de lilio aut huius fæcis ℥. iiij. fiat cataplaſma. Vel ſic.

℞. Diachilonis magni cum gummis, & maſſæ emplaſtri chirurgici ſing. ℥. iij. amurcæ olei de lilio q. s. ad malaxandum. fiat mag.

℞. Olei veteris ℔. j. galbani, ladani qu. vnum lithargyri ʒ. x. æruginis raſilis ʒ. viij. picis aridæ ℔. ß. redigatur in pollinem tenuiſſimum lithargyrum, & cum oleo coquatur, & vbi inſpiſſatum erit, ſuperponatur pix cum raſili ærugine, & in fine ponatur ladanum cum galbano, reducantur ad cerati conſiſtentiam. Vel ſic.

℞. Sulphuris viui, ſem. ſinapi, vrticæ, rutæ ſing. ℥. iiij. lithargyri auri ℥. iij. muccag. ſem. fœnu-

græci,

græci, altheæ, lini sing. ℥. j. ß. axungiæ porci veteris, anatis & anseris sing. ℥. iiij. bulliat lithargyrum cum oleo, rudicula buxea semper agitando, postea mixtis muccaginibus iterum decoquantur, & in descensu ab igne misce rad. iridis ℥. ij. fiat magdaleon, quod experientia demonstrante est optimum. In aures etiam mittemus cum bombace sequens præsidium.

℞. Fellis testudinis ℥. j. diss. in oleo de lilio guttas aliquot calidas, vel ol. amygd. amar. vel de croco tantundem. Potest etiam vnguentum sequens præscribi.

℞. succorum rutæ agrestis, agrimoniæ sing. ℥. iiij. sem. vrticæ ℥. ij. ammoniaci thymiamatis, bdellij in forti aceto dissoluti sing. ℥. iij. lapidis pumicis, aristolochiæ rotundæ, & sulphuris viui sing. ℥. ß. Euphorbij ʒ. j. ß. axungiæ taxi, vulpis sing. ℥. iiij. olei de castoreo, de lateribus sing. ℥. iij. ceræ q.s. fiat vng. adde aquæ vitæ ℥. j. ß.

j. ß. ante huius vnguenti vſum fricentur ſtrumæ, donec cutis rubere incipiat.

Multa ſunt medicamenta à veteribus tradita, quæ à cæca proprietate ſtrumas diſcutere nata ſunt: qualia naſturtij ſemen, vngula aſini combuſta, muſtelæ crematæ cinis melli mixtus, radix plantaginis collo appenſa, terebinthina cum butyro, ſerpentis ſenecta, viticis cinis, & multa alia.

Quod ſi horum medicamentorũ opera diſcuti nequeant, tunc ad chirurgiam confugiendum erit, aut ad inuictiſſimum ſimul & Chriſtianiſſimum Galliarum Regem, qui numine afflatus diuino, ſuo contactu ſtrumas perſanat.

Strumæ quæ à frigido humore ſcaturiunt, & illum membrana concluſum habent, ægriùs multò his quæ à cal. & frigidi humoris miſcella fiunt, curantur. Cogimur ſæpe, vbi malacticis & digerentibus medicamentis non cedũt,

ad

ad ſuppurantes medicinas nos conuertere, candenti poſtea ferro aut medicamento cauſtico has aperire, detergere,& prædicto medicamento membranam totam abſumere, ne etiam illius parte exigua manente rediuiuus morbus ſit.Sed citra magnum ægroti periculum non facilè fieri exiſtimemus oportet, præſertim ſi abditæ & profundæ ſint; nam his ſuppuratis & ruptis, metuendum eſt ne in pulmones defluens pus ægrum præfocet, ſi recurrentibus neruis, carotidibus aut ſphagitidibus impactæ ſint. Harum ſectio ob grauiſſima quæ ex hac excitantur pathemata, eſt admodum reformidanda, nam illa Galeni parœmia in nos cudi poſſet: curato morbo vitam cũ morte commutauit æger. Quod ſi pituitæ atra bilis ſit permixta, ferocior maligniorque erit ſtruma,quæ tandem & eroſa & vlcerata, carcinomatis ſpeciem æmulabitur, & carcinodes tum vocabitur.

Anno ſuperiori memini ego no-

bilem quendam in pago Causamini à Carpentoracto & Auenione tribus milliaribus distante educatum, recuperandæ salutis gratia (vt multi solent) ad nos venisse, qui multis hisque inueteratis strumis obsessus vnam inter alias miræ magnitudinis, in dextera colli inferiore parte prope clauiculam habebat, cuius magnus tumor durus & renitens subobscurum colorem repræsentans, in superficie cancri simulachrum intuentibus præbebat. Vocatus fui in consilium à Guilelmo Lauterio Chirurgo doctissimo simul & exercitatissimo, cum Laurentio Iouberto Delphinate, doctore Medico & professore in hac Academia Regio. Et vbi de morbi constitutione, causis, grauissimis symptomatis (laborabat enim febri, & maximè molestante dyspnœa) deliberatum fuit, ad prognosticum conuersi affinibus & amicis futuram mortem prædiximus, quo mortuo & dissecto, in illa magna struma inuenta fuit caro alba

alba pituitosa, & ita dura, vt nouacula vix posset dissecari. In partibus verò internis circa pancreas & sinistram mesaræi partem magnus abscessus seroso cruore plenus, lienem & septum transuersum maximè comprimens.



De Ganglius & alius pituitosis tumoribus.

Cap. XVIII.

Ganglion, glandula, tumor qui à neotericis lupia dicitur, à pituitoso humore scaturiunt, sedibus, symptomatis & figura inter se differunt. Est enim ganglion à neotericis nodus vocatum nerui tumor, ex lenta crassâque pituita, quale neruorum nutrimentum, à vi externa, casu scil. ictu, laboribus excitatum: rarò enim sponte prouenit hic tumor, inæqualis extremis membris nascitur, rarò in cubito, capite & corpore reliquo, renitens est, & in latera

pressus diuertit, tunica includi Celsus scripsit cap.6. lib.7. quod multi negant.

Glandula, ἀδὴν Græcis dicitur, est corporis pars simplex, satis mollis, spongiosa & friabilis. Est autem glandularum genus duplex, vsus quoque geminus. Aliquæ enim sunt veluti diuisionum vasorum stabilimentum illa firmantes, sensum & motum nequaquam habentes. Aliæ ad vtilis succi generationem procreatæ, arteriarum, venarum, neruorum sensum suppeditantium sodalitium admittunt.


Quæ ad succi vtilis generationem sunt comparatæ, glandulosa potiùs corpora quàm glandulæ vocantur. Has nonnunquam inflammari contingit, vt primo libro docuimus, sæpe humore pituitoso imbutæ tumidæ euadunt. Quam certè ob raritatem facilè recipiunt, & receptam ob excretoriæ facultatis imbecillitatem, retinent, figuram oblongam cum rotunditate quadam habent, strumis (quæ sunt etiam

etiam ſeroſæ glandulæ) molliores, neque vt illæ numeroſæ in multis corporis ſedibus ſitæ, in emunctoriis magis emicant. Sunt hæc veluti principum partium cloacæ & emiſſoria.

Naſcitur & ille tumor, à Guidone Lupia vocatus, in ſiccis partibus oui tumorem aut æquans, aut ſuperans, qualem ego in Lodouico Saporta auo meo crudo & viridi ſene, ac Medico doctiſſimo, vidi, cui à teneris annis obortus ille magnus in dextera capitis parte tumor glaber & pellucens doloris expers nullum negotium faceſſebat.: qui cum ad extremam ſenectutem perueniſſet (occubuit enim nonaginta & octo annos natus correptus febri quartana) paulò ante mortem ſuppuratus non à medicamento, ſed à natura in illo maximè valida, tumor in melliceridem verſus & ſponte apertus, humorem melli ſimillimum euomuit, à quo tam planè fuit liberatus, vt nemo tali affectu probum ſenem

laboraſſe putaſſet.

Iohannes cognomento Schiromius, non ſine magna honoris præfatione à me nominandus (ob incredibilem in bonis literis & re Medica peritiam, noſtræ Academiæ Cancellarius & primus Profeſſor Regius digniſſimus) tumorem Lupiam vocatum inſignem in manus læuæ, & extrema radij parte verſus carpum habuit. Tumor hic à cauſa pituitoſa etiam trahit originem, quem cum ganglio plerique confuderunt. Hallucinantur qui Lupiam cum Lupo carcinomatis ſpecie eandem faciunt. Eſt enim vlcus malignum lupus ex phagedænæ ſobole coxas & crura infeſtans, & ſubiectas carnes luporum animalium more depaſcens.



De Ganglij & aliorum tumorum à pituita procreatorum curatione.

C A P. XIX.

PRæscripta hac victus ratione quæ præcedentibus tumoribus est congrua, & purgato frequenter phlegmagogis medicamentis corpore, ad topicorum præsidiorum vsum migrandum erit, quæ malactica magis, digerentia minus sint oportet. Gangliis sequens remedium erit ex vsu.

℞. Diachylonis minoris ireati ℥.iij. vel diachylonis magni tantundem. Vel vtere sequenti.

℞. Aloës & myrrhæ sing. ℥.j.ß. lithargyri auri ℥.ij. ladani puri ℥. j. amnoniaci thymiamatis, adipis vituli & vulpini sing. ℥. j. ß. olei de lilio ℥. iiij. ceræ citrinæ q. s. fiat Magdaleon, ex eo construatur emplastrum magnitudinis necessariæ. Vel sic.

℞. Adipis anserini, œsipi sing. ℥. ij. mastiches, terebinthinæ, galbani & opopanacis recentium sing. ℥. j. ß. fæcis olei de lilio ℥. iiij. ceræ citrinæ q.s. fiat Magdaleon. Vel sic.

℞. Calcis viuæ, adipis anserini sing. ℥. ij. terebinthinæ ℥. iij. simul bene mixta ganglion dissoluunt. Vel sic.

℞. Galbani, ammoniaci thymiamatis sing. ℥. ij. adipis ciconię, anseris sing. ℥. ij. ß. olei veteris ℥. iij. ceræ q.s. fiat ceratum.

Multi plumbi bracteam ganglium totum comprehendentem parti admouēt, eamque arctissimè constringunt alligantque, facultatis quippe digerentis est plumbum, non solùm aquosæ à frigido concretæ, sed aëreæ substantiæ particeps.

Similibus præsidiis glandula & lupia profligari possunt, à quibus si non vincantur, suppurantium vsus erit salubris. Poterunt autem insequentem præscribi modum.

℞. Rad. liliorū alborum, ibisci & ebulorum sing. ℥. iij. rad. filicis, para-

niæ & aſphodelorum ſing.℥.ij. caricarum pinguium pa.xxx.rad. caulium & ſcyllæ ſing. ℥.j. ß. florum meliloti & ſambuci ſing.p.j. decoquantur in iure pedum & inteſtinorum veruecis, addita aceti pauca quantitate: piſtentur poſtea diligenter, & per cribrum medicum transfundantur. Adde poſtea farinæ frumenti, lupinorum ſing. ℥. iij. axungiæ ſuillę veteris, anatis & anſeris ſing. ℥. iiij. fæcis olei de lilio ℔.ß. fiat cataplaſma.

Suppurato tandem tumori, cuius ſuppurationem ex notis primo libro traditis deprehendes, adigendum erit candens ferrum, aut apponendum pyroticum aliquod medicamẽtum, & pure euacuato, cùm vlcus ex ſordidorum ſit claſſe, vng. ab Aui. & Chirurgorũ ſchola apoſtolorum vocato, aut Ægyptiaco erit digerendum, & emplaſtro nigro, vel diapalma agglutinandum.

Reliqui tumores tam duri ſunt & membrana circumſepti, vt medicamentorum facultatem aſper-

nentur, ipsisque multo sint superiores. Tunc nouacula ineunda erit sectio oblonga, & myrti figuram referens. Et hac bene dilatanda cutis, vt totus tumor tum membrana extrahatur, nullàque illius portio, si fieri possit, remaneat, ne irrita sit curantis Chirurgi opera, astringẽtibus medicamentis erit supprimẽda hæmorrhagia, donec citra sanguinis euacuationẽ euelli possit. Quod si aliquam membranæ partem remansisse arbitreris, cathæretico medicamento præcipitati pulueris, vel arsenici exigua quantitate in valido præsertim corpore illam absumes. Butyro aut tetrapharmaco, aut pingui medicina escharæ casum procurabis, deterso postea ritè vlcere agglutinationem huius molieris. Struma carcinodes medicaminibus cancro vlcerato dicatis curanda erit, vt quarto huius operis libro ostendetur.

De



De Varis.

Cap. XX.

IN faciei cute tumor durus & exiguus nascitur, à pituitoso & crasso humore originem trahens, ἴονθος Græcis, Varus Latinis appellatus, faciem conspurcans, & maculis fœdans, non pruriginosus, neque ad scalpendum inuitans, à ficoso tumore in mento nascente varius, quod hic non ab humore crasso solùm, sed à tenui simul & sanioso nascatur, & cum facilè vlceretur, ficcioribus ipsis varis medicamentis eget. Varus duplex, callosus, & maximè durus vnus, alter minus.



De Varorum curatione.

Cap. XXI.

IN curandis varis post institutam victus rationem, cuius

superiùs meminimus, & corporis vniuersi purgationem, indicatione gemina vti oportet, vna quæ à duritie desumitur, altera à tumore; emollientibus durities, sed discutientibus tumor indiget. Qui mollior est, Critonis remediis in sequentem curabitur modum.

℞. Mellis optimi ℥.j.ß. aceti acerrimi tantumdem, mixtis diligenter varos inungito digito illinens & perfricans. Vel sic.

℞. Lithargyri auri ʒ.iij. terebinth. ℥. ß. olei communis parum, misce, & medicamentum vtrisque manibus contritum varis circumlinito, vel amaris amygdalis diligenter tritis, & aceto dissolutis faciem illinito, & vbi manè è lecto patiens surrexerit, monendus est vt lacte faciem lauet, aut aqua aluminosa. Callosos verò & duros sic profligare tentabis.

℞. Saponis gallici ℥. ß. ammoniaci thymiamatis ʒ. j. ß. thuris tantumdem, aqua dissoluantur, donec cerati crassitudinē assequantur,

varos

varos linito & aqua abluito transactis duabus horis. Vel sic.

℞. Foliorum hyssopi, pulegij sicc. sing. ℥. ß. salis fossitij, nitri rubri sing.ʒ.iij.aluminis scissilis,seminis ocimi sing.ʒ. ij. puluerentur subtilissimè,adipe anserino vel gallinaceo excipiantur,fiat linimentũ.



De Hydrocepalo, siue capitis aquoso tumore.

Cap. XXII.

AQuosus capitis tumor, quẽ ὑδροκέφαλον Græci vocant, morbus est segnis & piger, in tribus capitis locis illius causa colligitur, & tres sortitur differentias:nã aut inter cutem & pericranium, vel inter hoc & caluariã: aut inter caluariam,& durã meningẽ aquosus tumorẽ faciens humor colligitur. Auicenn. aquam extra cranium vocat fen. 3. tertij, tract. 4.c.11. Nuperrimè natis pueris hic affectus est familiaris & proprius, qui

iudicium ferente, quem nulla præsidia à morte vindicare potuerunt.

Fit etiam ex vnius vasis, aut multorum ruptura ab aliqua contundente re parta, & sanguine qui ex ruptis vasis manat, in peregrinam substantiam mutato; sæpe etiam ob magnam vasorum raritatem tãquam per diapedesim is resudat, & inter cutem & membranam caluariã tegentẽ recipitur: tunc tumor apparẽs tactu mollis, indolens, turgidus, concolor, puluino similis (vt Paulus ait) exigua capitis parte prementibus digitis subsidens, facilè cedit, & rursus assurgit, & si inter pericranium & caluariã sit concretus humor, durior est tumor, & lentè cedit, vt qui etiam pluribus locis sublabatur, dolorque magis vrget. Si inter cerebri membranam & cranium contentus sit succus, tumor quidem erit, sed qui prementi non cedat, neque tactu sit mollis: dolor acrior est, frons ipsa foras producitur, & oculis inconniuentibus

nentibus cernunt, & crebriùs illacrymant, quibus ob iam desperatam salutem manus non est admouenda, quamuis plerique terebra os eximere tentarint.



De Hydrocephali curatione.

CAP. XXIV.

AB alimentis multo humore perfusis vaporulentisque, ipsumque caput tentantibus, abstinebit æger, in aëre sicco claro versabitur. Nutrici euchyma ad siccitatem vergens victus ratio instituetur. Veneri interdicendum, ne viroso lacte nutritus infans maiorem noxam subeat; vini loco aquam hordei bibat, & à balineo abstineat, præsertim si ex notis deprehendas tumorem caloris esse participem. Exiguo tumori iuxta Auicennæ præceptum admouenda erunt digerentia medicamenta, in sequentem instituta modum,

♃. Mas

℞. Massæ emplastri de meliloto ℥. ij. massæ emplast. diachilon. minoris ℥.j.pulueris iridis florētiæ ℥.ß.florum sambuci ʒ.ij. malaxentur inunctis manibus oleo keirino. fiat emplastrum, cui terebinthinæ parum addet.

In maioris tumoris curatione ad chirurgiam confugiendum erit, ipsiúsque acutior pars rutilāte ferro,aut nouacula secanda, vt quidquid humoris noxij coaceruatum est, possit euacuari. Partem insertis ligaturis commodè deligabimus, & tridui spatio œneleo perfundemus. Labia tandem post humidi humoris excretionem agglutinabuntur præsidiis huic negotio dicatis, si subiectum os propter cariem carnem non recipiat, ferro illud leniter rademus.

De



De Hydrope.


CAP. XXV.

CVm hydrops ſit in genere tumorum præter naturam, non erit à ratione alienum, vt de ipſo & ipſius differentiis aliquid proferamus, doceamúſque cauſas hunc dirum morbum excitantes, & notas aperiamus, quibus apertis methodũ curatiuam trademus. ὕδρωψ ab ὕδερος Græcis, aqua ſubter cutẽ fuſa Latinis dictus, tres habet differentias, tametſi Hipp. 4. de rat. vict. in morb. acut. duas ſolùm conſtituat, tympanitem & aſcitem eiuſdem naturæ, proferens & ſarcitem ſiue leucophlegmatiam alteram.

Primam ſpeciem hypoſarcidion, anaſarcam, ſarcitem aut leucophlegmatiam: ſecundam tympaniã: tertiam aſcitem ſeu vtriculariam Gal. aſſeclæ ſtatuũt. Et inter omnes ſpecies iure optimo anaſarca propriè hydrops

hydrops appellatur, eo quod toto corpore solidæ partes in aquæ naturam resoluuntur, cùm in cæteris speciebus in aquam & flatum conuersuscibus inter intestina & tunicã peritoneũ vocatam, diffundatur.

Omnibus vna est communis causa, nempe hepatis insignis error, vel in sanguinis generatione diminutio. Nam quemadmodum febri molestari corpus nequaquam potest, nisi cor viscus princeps afficiatur: ita neque oriri hydrops, nisi ex idiopathia aut consortij lege, iecur facultatis naturalis domicilium grauiter laboret.



De Anasarca.

CAP. XXVI.

HYdrops sarcites vocatus, ad carnem tanquam ad præcipuam partem refertur, quoniam refrigeratum iecur non potest sanguinem probum gignere, sed pituitosum, frigidum & liquidum,

dum,qui per venas in ſingulas corporis partes diſtributus, habitum corporis frigidum & pituitoſum reddit, ſequiturque ipſa frigida & pituitoſa nutricatio,iam ſimilis, & nouus ſuccedens ſuccus, corporis partes in tumorem attollit: apparétque corpus, ac ſi eſſet multis œdematis obſeſſum:quod ſi in aliquam partem digitum impingas, foſſam remanere experieris.Fit autem hoc quod alimentum agglutinari non poſſit, neque vinci.Nam cùm tres ſint nutritoriæ facultatis operationes, quibus 4. facultates ancillantur,fit vt læſa priore, reliquæ ab hac prodeuntes lædantur, vt in atrophia, non tamen læsâ ſecundâ (vt in hydrope primam) lædi, protinus veritati conſentaneum eſt; neque tertiâ, duas priores, vt cum vitiligine, lepra, pſora,& elephantiaſi corpus afficitur, videre licet.



De Anasarcæ causis.

Cap. XXVII.

Anasarcæ causæ procatarcticæ plures statuuntur, ab his quæ cachexiam hydropis prodromum, & alias species procreant sola vehementia dissimiles: ex quarum classe sunt vehemens aëris caliditas, calorem natiuum hepatis deiiciens, vehemens frigiditas, immoderata exercitatio, quies assidua, balneum immodicè infrigidans vel calfaciens, longus & grauis somnus, corporis calorem dissipantes iuges vigiliæ, mœror maximus, cibi insuper pituitosum humorem gignētes, vini meracioris assiduus & intēpestiuus potus, ac frigidæ & vitiosæ vsus continuus, excrementorum suppressio, coitus immoderatus; & omnia quæ natiuum hepatis calorē absumere possunt, & illius robur plurimum deiicere, externæ causæ habentur.

Fru

Fructuum & lactucarum intempestiuus vſus, præſertim dum æſtu aut exercitatione corpus incaluit.

Corporeæ cauſæ hydropiſis & antecedentes ſunt hepatis intemperies impensè frigida, vel calida, præſertim laborante primogenia affectione hepate, vt ea quæ fit à morbo acuto, & lethalis eſt. Inſignis huius viſceris obſtructio, phlegmone, ſcirrhus, fit etiam conſentientibus hepati nutritioni dicatis partibus, vt ventriculo, ſplene, meſaræo, renibus, gracilioribus inteſtinis, ex quibus cum ſua munia non exercent, hepar vehementer refrigeratur, quod etiam per ſympathiam pori cholidochi, pulmonum, ſepti tranſuerſi communicato ex his hepati malo excitari frequenter videmus: necnon ex ſuppreſſis, vel immodicè fluentibus menſibus, mariſcis, ſuppreſſa vrina, vel immoderato ſanguinis ex naribus fluore, ipſoque muliebri fluxu. Calor enim natiuus per ſanguinem conſiſtentiam habet,

Hipp. 2. prog. Aphor. 1.

habet, quo euacuato refrigerari iecur illius officinam oportet, retentis etiam naturalibus purgationibus, veluti in viridium lignorum copia ignis; natiuus hepatis calor præfocatus albam & tenuem ſanguinis probi loco pituitam generans, quæ anaſarcæ cauſa eſt continens, huic anſam ſuppeditat, deducit enim carnem in ſui naturam.

Quapropter explodenda eſt Eraſiſtrati ſententia, omnes hydropes ex ſolo hepatis ſcirrho fieri exiſtimantis. Pueri hoc malo ſæpe corripiuntur, quo fœminæ ob aſſuetas purgationes minus quàm viri tentantur.



De Anaſarcæ indiciis.

Cap. XXVIII.

Signa hunc affectum commóſtrantia duplicia ſtatuūtur; communia alia omnibus hydropis ſpeciebus, propria alia

alia. Communia ſunt pedum tumor, veſperi maximè, qui promptiùs brachiis, & manibus tument, tanquam partes à caloris fonte magis diſtantes, frigidiores, & magnas cauitates habentes, quibus impactus frigidus humor benè agglutinari nequit. Brachia & manus partes ſunt exercitatiores, ob hoc calidiores & excrementa magis digerentes. Spirandi inſuper difficultas, corporis grauitas, tumor & vitiatus color, ex virore, albicante ægro, cibi faſtidium, potus largioris appetentia, vrinæ albæ & paucæ, pulſus paruus & mollis, frequens & inæqualis: ſenſim & non ἀθρόως omnis hydrops excitatur.

Propria ſunt moles totius corporis, caro ſpongiæ inſtar madida & laxa, emortuo ſimile corpus, digito preſſæ extremæ corporis partes foueam retinent. In pedibus propter humoris grauitatem tumor maior, quàm in reliquo

corpo

corpore, diutinos morbos & amphimerinas febres ſequi ſolet, febris lenta & aſſidua corpus conficit. Sola magnitudine à cachexia differt.

Anaſarcæ vlcera curationem non admittunt, vt ab Hipp. Aph. 8. lib. 6. oſtenſum fuit. Hanc, cùm ſiccis remediis ad cicatricem vlcera perducantur, fieri præpedit redundans humiditas. In aſcite etiam curari non poſſunt non ſolùm ob humidæ ſubſtantiæ copiam, ſed quod corporis non exactè nutriti, facultates ſint imbecillæ: vel ſi qua ſit humiditas, ea eſt acrior quàm naturæ ſit neceſſaria.



De Anaſarcæ curatione.

CAP. XXIX.

QVemadmodum omnes hydropis differentiæ communes aliquas notas habent, quæ à nobis ſuperiùs fuere recenſitæ: ita communem habent cura-

tionis modum, nempe euacuationem catharcticis & hydragogis, ascites, tympanias, nonnunquam venæ sectione anasarca depelli debet.

Sed antequam euacuationem aggrediamur, diligenter contemplanda est causa quæ hanc peperit, quippe quod pro causarum diuersitate varianda sit curatio. Qui à causa calida, vt à febre, vel hepatis calida intemperie scaturit hydrops, ægriùs multò quàm qui à frigida, profligatur.

Quod si argutulus quispiam dicat, oportere effectum suæ causæ respondere. Atqui febris hydropem excitans morbus est calidus & siccus, hydrops frigidus & humidus, quî igitur fieri potest vt ex febri oriatur hydrops? Cui satisfactum volumus, hoc per accidens, & non per se fieri posse. Calidum enim præter naturam, docēte Auerrhoë Mauritano, naturale extinguit, fitque hepar natiua caliditate frigidum, quæ res ab Arist. 4. Meteorologi

logicarum impreſſionum de putredine loquente fuit optimè oſtenſa.

Rurſus inſurget proferens contraria contrariis curari, vt diſertè in Aph. de conuulſione loquens Hip. oſtendit. Febris igitur tantum abeſt vt hydropem debeat excitare, vt hanc potiùs ſoluat, aut hydrops febri contrarius affectus, febri ſit remedio. Porrò vnum alterum, quamuis intemperie ſit contrarium, tollere non poteſt. Carnoſus nempe hydrops plurimum huius pituitoſi in totius corporis habitu humoris habet, qui obſtructis meatibus putreſcit, febrem igitur adauget. Ventoſus quoque diſcuti non poteſt. Calor enim præter naturam cauſam non tollit, ſed potiùs flatus adauget, aquoſus ab hepatis intemperie oritur, febris intemperiem maiorem efficit. Ergo hydropem nullo pacto tollit.

Ad leucophlegmatiæ itaque curationem tres nobis proponentur ſcopi, quorum primus victus probam rationem, & aliis hydropis

ſpeciebus communem inſtituit. Verſabitur igitur æger in aëre ſicco, perſpirabili, tenui, & loco ad boream potiùs quàm auſtrum inclinante, præſertim ſi febris adſit, vliginoſam & ſtatariis aquis proximam habitationem acutum tanquam ſcopulum deuitabit. Sit panis clibanites ex ſemidalite, & pauco hordeo paratus, bene fermentatus & coctus, cui ſalis, ſeminis aniſi, fæniculi, petroſelini momentum miſcebis. Ex ſecale & aliis leguminibus conſtructus planè eſt inutilis: ſiligineo quamuis probo ægrotantem ſaturari cauebis. Ex oleribus vitanda quæ frigida & humida ſunt, vt lactuca, malua, portulaca, borrago: quæ extenuandi, euacuandi, calefaciendi facultate ſunt prædita proſequenda, vt ſit in cibo medicina. Quapropter apium, daucum, fæniculi turiones, aſparagorum cacumina, erucam, pulegium, cæpas, porra, allia cæpis minus ſiticuloſa, ex vſu eſſe non ambiges. Ex piſcibus inutiles omnes,

præ

præſertim qui in cœnoſis, & cloacarum colluuie conſpurcatis aquis verſantur, quique molli & putredini obnoxia carne conſtant, quos Philotimus malacoſarcos vocauit. Saxatiles ſquammis intectos, in libero altoque mari degentes, friabilem carnem habentes, vino vel pauco aceto incoctos, piperis, cinamomi aut nucis myriſticæ momento inſperſos conferre non dubitabis, quorum eſus parcus erit. Ex carnibus agnina, ſuilla, bubula, hircina, leporina, aquatilium auium & omnium ſaginatarum vitanda. Sed pullorum, hœdi, vituli, ſiluestrium animaliũ potiùs quàm domeſticarum, merularum, turdorum, perdicum montanarum, turturum, ficedularum concedenda; terreſtris erinacei reſiccata cæca proprietate carnoſo hydrope infeſtatos iuuat.

Sit in ciborum præparatione delectus, nam aſſa elixis ſunt multò hoc malo detentis vtiliora, offis & iuſculis nequaquam eſt indulgen-

 dum.

dum. Viperæ caro vtilis, niſi ſiticuloſa eſſet. Ex fructibus damnantur qui humidi maximè ſunt, qui ad tertiam vſque coctionem in hac ſpecie maximè labefactatam flatus ſeruant, qualia ſunt poma; reſpuendæ ſunt caſtaneæ, iuglandes, & reliqui vaporulenti ac coctionis operoſæ, vuæ paſſæ, amygdalæ, auellanæ torrefactæ probantur, aſtringentium, vt pyrorum, meſpilorum, malorum cotoneorũ vſus reſpuendus, necnon caſei & lactis ouilli & bubuli. A leguminibus abſtineto, & maximè in tympanite, præterquàm nigrorum cicerum decocto, in quo petroſelini radices deferbuerint.

Aquæ potus niue potiſſimùm infrigidatæ noxius, cuius loco deligendum erit vinum non dulce turbidum, ſed vermiculum aut album, non montanum & oligophorum, ſed generoſum & annoſum, aqua aſparagi aut apij mediocriter dilutum. Si à potu omnino abſtinere poſſet, maxima ex ea re oriretur

retur vtilitas, quod ſi nequeat, & inexhauſta ſiti (vt ſolent) premeretur, parcè & non cum cibo bibendum erit, ſed tranſactis duabus tribuſue horis, aut iam plenè in ventriculo concocto cibo. Labores cibum præcedant, & per maritima loca ſit illorum inceſſus. Vehementes frictiones conducunt quibus corpus ab obſtructionibus vindicatur, & illius tumor digeſto aliqua ex parte humore minuitur. Sicionio coſtino aliquoue tenuium partium oleo perfricandum corpus erit. Somnus ſit moderatus, debitum naturæ tempus excedens, vt inſalubris eſt, ita iuges vigiliæ perniciofæ; à cibo ſtatim ſomno corpus non tradat, ſed interpoſitis aliquot horis. Pomeridianum tanquam venenatum anguem deuitet, ex quo pleroſque in cachexiam decidiſſe experientia eſt confirmatum. Animi ſymptomata, iram præcipuè coërceat, & his quæ ipſum exhilarare poſſunt, fruatur.

Secundus ſcopus in cauſæ ab-

ſciſſione totus incumbit. Priùs tamen accuratè expendendum eſt, ſiátne anaſarca laborante primogenia affectione hepate, an ex menſium vel mariſcarum ſuppreſſione, aut ex veteri curata varice hæc oboriatur. Tunc enim, vt ſolitæ ſuſcitentur purgationes, tundenda erit paulo ante menſium eruptionis tempus poplitis aut malleoli interna vena, aut euacuato eo qui ſua quantitate hepatis calorem opprimebat ſanguine, hoc meliorem & corpori vtiliorem hæmatoſinfaciat. Adſtantibuſque mittendi ſanguinis ſcopis, non copiosè, neque ſemel, ſed ex longis interuallis ſanguinem detrahemus, malleolorum venas tundemus, vel vocatam mariſcam aperiemus. Erit omnino à ſectione venæ abſtinendum, ſi frigida hepatis intemperies morbo anſam ſuppeditet. Tunc pituitoſum humorem in corporis habitum conſperſum ſequentibus medicamentis & concoquemus, & educemus, & clyſterē ſupponemus.

℞. Rad.

℞. Rad. liliorum alborum ℥. ij. maluarum viol. altheæ cum toto, ſiclæ ſing. M. ß. ſummitatum rutæ, origani, calamenti, pulegij, vtriuſque abrotani, maioranæ, ſaluiæ ſing. M. j. ſem. aniſi, fœnic. cumini, dauci, & rutæ ſing. ʒ. ij. caricarum pinguium num. xxx. medullæ carthami contuſæ ℥. j. agarici ℥. ß. florum chamom. meliloti, ſambuci & ſtœchados ſing. p. j. fiat decoct. & in col. ℔. j. diſſ. caſſiæ cum melle ʒ. vj. hieræ picræ ℥. ß. olei rutacei, de lilio, mellis roriſmarini & ſacch. rubri an. q. s. ſucci mercurialis ℥. j. miſce, fiat clyſter.

℞. Syr. roſati ex 9. roſarum infuſionibus ℥. ij. catholici ℥. ß. decocti cicerum nigrorum ℥. iiij. miſce, fiat potio, quæ detur poſtridie ab iniectione clyſmatis.

℞. Rad. filicis maſculæ, rad. v. aperitiuarum com. in vino albo per xij. horas maceratarũ ſing. ℥. j. rad. aſari & corticis citri ſicci ſing. ℥. ß. glycirrh. recentis & raſæ ʒ. x. braſſicæ marinæ, agrimoniæ, pedis

P 5 colum

columbini, herb.cap.com. chamæpy. chamædryos, vtriusque cichorij cum rad. fumariæ, vtriusque hepaticæ & mercurialis sing. M. j. sem. anisi, asparagi, fæniculi & dauci sing. ʒ. j. caricarum pinguium num. xx. foliorum sennæ, polypodij quercini recentis, medullæ carthami contusæ sing. ℥. ij. agarici in ligatura positi ℥. ß. florum genistæ, cicerum rubrorum sing. p. ij. florum buglosſ. p. j. fiat decoctio, cui adde sem. petro.apij & cuscutæ sing. ʒ. ij. capiat in 4. dosibus de mane.

℞. Apozematis præscripti ℥. iiij. in quibus infunde rhabarb. optimi ʒ. j. ß. cinamomi g̃. viij. facta leni expressione diſſ. diaphœnici aut elect. de citro sol. ʒ. ij. syr. ros. sol. ℥. j. ß. misce, fiat potio.

Triphera persica quamuis myrobalanorum ratione naturales partes roboret, quia obstructiones promouet & adauget, non est propinanda; neque aloë, quando macilentum est & biliosum corpus

pus cum calida hepatis diſtemperie, ob eam rem pill. aloën recipientium vſus ſuſpectus habetur, niſi ſit probè lota. Præterea medicamina liquidam conſiſtentiam nacta his quæ duram ſortita ſunt, quia promptiùs & faciliùs ſe in corporis partes inſinuant, magis ſunt huic morbo conſentanea.

℞. Conſer. rad. apij, florum geniſtæ ſing. ℥. j. conſer. capill. & florum cichorij ſing. ʒ. vj. corticis citri ſacch. conditi ʒ. iij. pul. troch. diarhodon ʒ. j. pul. trochiſcorum de rhabarb. ℈. iiij. ſyrupi Byzant. qu. ſuff. ad incorporandum. fiat opiata, de qua ſingulis matutinis capiat ad quantitatem nucis comeſtibilis horis duabus ante prandium, bibendo poſtea cochlearia duo vini albi, aquæ aſparagi & rubiæ maioris diluti. Vel ſic.

℞. Conſer. eringij & ſcolopendrij ſiue ceterach ſing. ℥. j. conſeruæ roriſmarini, & florum cicho-

rij sing. ʒ. vj. hepatis lupi assi & pulverati ℥. ß. cineris cicadarum ʒ. ij. pulu. elect. triasantali ℈. iiij. pulu. rosatæ nouellæ ℈. ij. syr. de duabus radicib. sine aceto qu. suff. ad incorporandum. fiat opiata, vtatur vt dictum est. In hepatis calida distemperie quia præcedentia nimium calent, sequentia vsurpabis.

℞. Foliorum siclæ, mercurialis, atriplicis, parietariæ sing. M. j. sem. fœnugræci ℥. j. sem. anisi, fœniculi sing. ʒ. j. ß. furfuris bene macri p. j. florum rorismarini, chamom. centaurij minoris sing. p. j. ß. fiat decoctio, & in colatur. quart. v. diss. succi betæ, mellis ros. col. sing. ℥. ij. catholici ʒ. vj. olei anethini ℥. iij. salis communis parum. fiat clyster, supponatur ante omnia, & tertio quoque die capiat.

℞. Elect. de succo ros. ʒ. iij. catholici ℥. ß. aquarum capil. ven. & graminis sing. ℥. ij. fiat potio, detur sequenti die.

℞. Sy

℞. Syrupi endiuiæ comp. ſyr. Byzantini ſing. ℥.ij.ß. ſyr.cap. ℥. j. aquarum graminis, agrimoniæ & abſynthij ſing. ℥. iiij. pulu. diarhod. ℈.iiij. miſce, fiat zulep.clar. & ar.capiat in 4. doſibus de mane.

℞. Rhab. optimi in ℥.iiij.aquæ endiuiæ & modico vini albi infuſi & expreſſi ʒ.j.ß.ſpicæ nardi eodem modo præparatæ gr.vj.diaphœnici ʒ.ij. agarici in melle roſato colato infuſi & expreſſi ʒ.j. ſyr.roſ. ſolut. vel ex infuſionib. florum perſicorum ℥.j.ß. fiat potio.

℞. Conſeru.capill.ven. & ſcolopend.ſing.℥.j.conſeru.flor. cichorij ʒ.x. pulu. triaſant.rhabar. duplicato ʒ.j.ß.pulu.diarhodon.ʒ.j.raſuræ cornu cerui,& eboris ſing. ℈.ij.ſyr. de ſucco endiuiæ q. s. fiat opiata, de qua capiat ſingulis diebus ad quantitatem vnius caſtaneæ horis duabus ante prandium. adde pulpæ paſſularum bene ping. & albarum ſing.ʒ.vj.

℞. Olei citoniorum, roſar. ſing. ℥.iij.olei de abſynthio ℥.j.ß.coralli rubri

rubri & maſtiches ſing. ℥.j.ß. ſantali albi & rub. ſing. ℈.iiij. florum nympheæ ℈.ij. ſem. endiuiæ ℥.ij. ceræ q.s. fiat vnguentum, vngatur regio hepatis cal. manè & ſerò, addendo vnctionis tempore aceti vini albi parum.

Si calida hepatis intemperies præcedat, & corporis totius tumor appareat, non ſolùm præcedentibus medicamentis extinguenda erit intemperies, ſed pituita in venoſo genere contenta erit extrahēda, quod ſequentium remediorum vſu opportunè faciemus.

℞. Rad. iridis recentis, petro. apij, aſparagi ſing. ℥.j. fumariæ, mercurialis, roſtri porcini, agrimoniæ, betonicæ, ſing. M. j. paſſularum albarum exacinatarum pa. xx. fol. ſennæ ℥.iij. glycirrhiz. recèntis cõtuſæ ℥.j. rad. aſari ʒ. ſem. petro, apij ſing. ʒ. ij. florum borrag. geniſtæ & thamariſci ſing. p. j. cicerum nigrorum p. j.ß. fiat deco. cap. de cola. ℔.j. ß. diſſ. ſyr. roſ. ſolut. ℥. v. ſyr. capill. ℥. iij. pulu. diarhod. ʒ. ij. fiat ſyr. clar. & arom.

arom.capiat in quinque dosibus de mane,in vltima dosi infunde rhab. ℈. iiij. spicæ ʒ. vj.exprimantur.

℞. Confect. dialac. diacurcumæ sing.ʒ.ij.trochisc.diarhod. ʒ. j. ß. pulpæ passularum albarum, cōser. capill. eringiorum sing.℥.j. carnis cuculi resiccatæ, cineris intestinorum lupi & gallinarum vino albo generoso lotorum sing. ʒ. ij.trochiscorum de capa.& pul.diarhod. sing.ʒ.j.ß.syr. de v.radicibus q.s.fiat opiata,vtatur vt dictum est, bibat postea cochlearia duo aquarum cichorij & capil. Frequens clysmatum vsus maximè vtilis erit, paretur vnus in sequentem modū.

℞.Thymeleæ & chamæleæ,brassicæ marinæ sing.M.ß. mercurialis, siclæ,parietariæ,betonicæ sing.M.j. florum genistæ, centaurij minoris & hyperici sing. p. j. sem. anisi,petro.& apij sing. ʒ.ij. fol.sennæ ℥. j. ß. medullæ carthami contusæ ʒ.vj. fiat decoctio,cape de col. ℥. x. dissol. benedictæ ℥. ß. mellis rosf.col. ℥. j.ß.fiat clyster. Vel sic.

℞. Cucu

℞. Cucumeris asinini, rad. ciclaminis & asari recent. sing. ℥. iiij. contundantur, decoquantur in sero caprino, vel vrina pueri. expressione & col. facta cape ℔. ß. in qua diss. fermenti acris ʒ. j. ß. fiat clyster. Hæc remedia sunt asciti etiam congrua.

Vomitus & sudoris prouocatio anasarcæ necessaria, non tamen id balneis chalasticis & corpus relaxantibus tentandum, sed assiduis frictionibus aridis manibus factis: ob hoc nonnulli consulunt vt corpus vniuersum in cal. arena sepeliatur, vel soli aprico recto optimè capite exponatur.


Tertius scopus ad topicorum præsidiorum vsum nos vocat. Tumidas itaque partes frequenter illinire sequenti vnguento commodum erit.

℞. Farinæ sem. lini, fabarum sing. ℥. iij. sem. altheæ, melanthij, dauci sing. ʒ. iij. sulphuris viui ℥. j. ß. euphorbij ʒ. j. vnguēti Agrippæ ℔. j. succi iridis depurati ℥. ij.

axun

axungiæ suillæ ℥. iiij. pulu. iridis florent. ℥. j. ß. florum sambuci ℥. ß. olei de lilio, keirini sing. ℥. v. ceræ citrinæ q. s. construatur vng. quo ad prunas liquefacto, in sole, aut ante ignem vngantur tumentes partes, sibi à frigore caueat.

℞. Stercoris bubuli resiccati ℔. ß. stercoris columbini ℥. ij. farinæ hordei & lupinorũ sing. ℥. iiij. caricarum elixarum, & in mortario maceratarũ ℥. ij. sem. staphisagriæ ℥. j. ß. aristol. rotundæ, vtriusque abrotani sing. ℥. j. mastiches ʒ. x. sulphuris ℥. ij. axungiæ anseris, anatis sing. ℥. iij. olei rutacei, irini sing. ℥. iiij. oxymelitis ℥. ij. fiat cataplasma, ventris regioni applicetur. Iecur roborantia in omnibus speciebus semper erunt vsurpanda.




De Ascite.

CAP. XXX.

Ascites hydrops ab ἀσκῷ, hoc est, vtre nomen sortitus, vtricularius

cularius à Medicis dictus est, quod motus venter semipleni vtris aut fluctuantis aquæ sonum edat, tumor est magnus à seroso inter omentum & peritoneum humore concluso excitatus, animantem maximè excrucias, grauissima symptomata, vt paulo inferiùs demonstrabitur, inferens. Curatu, vbi iam altas radices egit, contumacissimus existit.



De Ascitis causis.

Cap. XXXI.

Hvius causæ prægressæ sunt quæ serosum sanguinem gignere, & iecoris facultatem plurimum labefactare solent, vt humidorum fructuum copia, olerum, piscium, meracioris vini intempestiuus atque assiduus vsus, frumentacei & azymi panes, pinguia iuscula, offæ pingui caseo subfarcinatæ, humidarum carnium vsus frequens.

Cor

Corporeæ ſunt, intemperies ventriculi frigida, hepatis calida & arida, nonnunquam inſignis lienis obſtructio, vel ſcirrhus aut meſaræi durities, menſium, hęmorrhoidum ſuppreſſio, aut horum fluxus immoderatus.

Proximæ & continentes cauſæ ſunt, ſeroſi humores in abdominis interna parte coaceruati, ſæpe in hepatis ſuperficie hydatodes veſicæ tali humore plenæ apparent, quibus ruptis omentum aqua repletur.

Hepar itaque debile in hoc morbo exiſtens, pro bono atque laudato ſanguine aquam citrinam, quæ lotio ſimilis exiſtit, generat; qua renes obruuntur & debiles euadunt, atque ſuo munere minimè funguntur: nam à tali ſeroſo humore illud non repurgant, & remanet aquoſa illa ſubſtantia in hepate, quam natura vt vitæ ſit meliùs conſultum, expellit ad inanes ventris ſedes, fitque hydropis ſpecies aſcites dicta. Hic enim humor

Hip. 557. Aphor.

mor per cæcos veluti meatus transfusus, sua tenui substantia quod inter omentum & peritoneum est, sensim ita replet & distendit, vt distentis epigastrij musculis, tumor magnus ventrem obsideat prominente nonnunquam vmbilico, intumescente ab illius præsentia cole & scroto tali aqua pleno.

Videntur in tali hydropis specie superiores corporis partes emaciari: at inferiores tumidiores effici, perinde ac si quis lienoso affectu laboraret, in quo saginari lienem experimur, & reliquas partes demacerari; aiúntque hos supernè hecticos euadere, infernè verò hydropicos: ætate prouectos magis quàm pueros ascites adoritur. Ab inclementissima febre excitatus curationem non admittit.

Multorum aliorum membrorum cum hepate consortium habentiū affectus hydropem inuehit, quem profligare non poteris nisi priùs procul

procul pulſo illorum affectu cauſæ rationem habente. Qui ab ſcirrhoſo hepatis tumore iam confirmato emergit, curationem reſpuit; nam tamdiu affectum perſeuerare oportet quandiu ipſius cauſa præſens eſt & ſubſiſtit. Sed Gal. confirmatum hepatis ſcirrhum neque curauit, neque alium qui curauerit vnquam vidit. Ergo ab eo ſuſcitatus hydrops ope medica depelli non poteſt. *2 ad Glauc.*

Et quamuis hæc calamitas omni ætati ſit communis, in hanc, vel illam ſpeciem alia aliis eſt pronior, pueri in leucophlegmatiam, iuuenes verò ad ætatem vſque conſtantem in aſciten ſunt propenſiores. Omnibus autem generibus ſenes ſunt expoſiti, ob natiui caloris inopiam, cùm frigida ſit ſenectus: Sed ad humoris copiam contrahẽdam apti non ſunt, tympaniæ igitur magis ſunt idonei. Mitior eſt leucophlegmatias, Aretæo ſcribente, quod multas & proſperas tollendi occaſiones habeat. Suæ ſenten

sententiæ suffragantem habet Auicennam: sed Aëtium, vt suo loco demonstrabitur, refractarium.

Ascitis indicia sunt, perspicuus ventris tumor, agitatus in alterutrum latus venter, strepitum commoti vtris semipleni repræsentans, corporis partium, præsertim superiorum macies & colliquatio, ægra à tumore presso diaphragmate respiratio, vrinæ paucæ, crassæ & rubræ, præsertim si mali fons à solo iecore originem trahat. Sitis multò maior quàm in aliis speciebus, inanis tussis, & quæ ingrauescente morbo pulmonum asperam arteriam occupat. Pulsus parui & frequentes, febricula non admodum hecticæ dissimilis. Aquosus hydrops à flatus præsẽtia haud immunis, minoris caloris ascite est particeps. Tanta est inter hos affectus causæ concordia, vt rarò altera sine alterius præsentia subsistat, & vnius in alterum transitus sit facilis.

De



De Ascitis curatione.

Cap. XXXII.

VIctus rationem parum calid. & resiccantem instituemus, nisi à distemperie ca. aut acuta febre illius sit origo, in memoriam quæ capite 28. à nobis de victus ratione sunt tradita, reuocantes. In hac specie potui magis quàm in reliquis interdicendum, ne adaucto seroso humore ægrotantem morbus magis defatiget. Vidi ego vnum atque alterum à potu omnino sibi temperantem, ab aquoso hydrope planè vindicatum. Qui à potu abstinere nequeunt, non vltrà dandus est quàm qui vitam sustineat, & molestam sitim leniat. Dandum vinum album, tenue, aqua dilutum, in qua priùs vrinam prouocantia deferbuerint. Exercendum ante

cibum corpus, quod si ob corporis, aut pedum pondus & tumorem incedere nequeat, equo aut lectica vehatur, tum vt serosus succus digeratur, tum vt sopitus ac languens calor excitetur.

Et antequam ad morbi huius causæ abscissionem accedamus, contemplandum non oscitanter erit, an fiat laborante primogenia affectione hepate, vt distemperatura cal. an frigida, quæ suo contrario expugnanda erit: an ab obstructione, quæ anastomicis præsidiis erit auferenda. ;Quod si consortij lege excitetur, causæ primum erit consulendum. Et cùm aquosus humor morbum parit & auget, hic primo loco auferendus est. Post cuius ablationem, hepatis imbecillitati erit prospiciendum, & symptomatis occurrendum.

Communis omnium curatio, hydragogis aquas aut pituitã educẽtibus, diureticis & externis remediis, humo

humorem ſiccantibus & digerentibus, perficitur. In ea itaque diſtemperie ſequentibus vtendum erit.

℞. Cathol. ℨ. vj. diaphœn. vel elect. de citro ſol. ℨ. ij. aquarum cichorij, graminis ſing. ℥. ij. fiat potio, detur ante omnia. Vel ſic.

℞. Paſſularum exacinatarum nu. xx. ſem. aniſi, fæniculi ſing. ℨ. j. ß. glycirrh. recentis & raſæ ℥. j. folliculorum ſennæ ℥. ß. florum bugloſſ. p. j. fiat decoct. in iure galli veteris, facta expreſſione & colatura ad ℥. iiij. diſſ. ſyr. roſ. ſol. ℥. ij. miſce, fiat potio.

℞. Syr. endiuiæ comp. ſyr. cap. ven. ſing. ℥. iij. aquarum graminis, cichorij & aſparagi ſing. ℥. iiij. fiat zulapium clar. capiat in 4. doſibus de mane. capiat poſtea tabellam vnam elect. diarhod. Vel ſic.

℞. Rad. grami. ruſci, aſparagi in vino albo aqua graminis diluto tempera. ſing. ℥. j. glycirrhi. recentis ℨ. x. vtriuſque cichorij cum radicibus, vtriuſque bugl. herb.

Q capil

capil. com. agrimoniæ,pimpinellæ, pilosellæ,soldanellæ, fumariæ sing. M.j. sem. anisi, fæniculi,petro.apij, cuscutæ sing. ʒ. j. sem. melonum, cucur. contusi sing. ϑ. iiij. florum genistæ, buglos. cicerum rub. sing. p.j. fiat decoct. & in colaturæ ℔.j. diss. syr. Byzantini, end. comp. & capill. sing. ℥. ij. pul. triasantali ϑ. iiij. fiat apozema cla. & aro. capiat in 4. dosibus de mane. Tertio quoque die supponatur clysma sequens.

℞.Muralij,sicIæ,mercurialis,pedis columbini, ebulorum cum radicibus,centaurij minoris sing.M.j. à nonnullis herbis, quales sunt malua, althea, viol. lactuca, quia nimio sunt humore perfusæ, abstinere oportet. sem. anisi, carui, fæniculi sing. ʒ.ij.flor.bugl. rorismar. & chamom.sing. p. j. fiat decoct.& in col. ℔. j. diss. succi mercurialis, mellis rosati col. sacch. rub. sing. ℥. ij. Olea,quia largo humore scatent, & intestina nimium humectant, non sunt vsurpanda, his

demptis

demptis adde quæ digerentẽ facultatem habent. salis co. ʒ.j. vitellos ouorũ recentes num. ij. fiat clyster. vtatur vt dictum est, quo supposito sequentem medicatam potionem postridie exhibebimus.

℞. Rhabar.in ℥.iiij. seri caprini cum g̃.vj. spicæ nardi infusi ʒ.j. ß. agarici eadem arte præparati ʒ.j. facta expressione dissol. elect. diacarth.ʒ.ij. syr.rosat. solutiui ℥.j. ß. misce, fiat potio. Medicatæ potiones cùm ob liquidam substantiam ocyùs permeent, & corpus minus calfaciant, catapotiis sunt præferendæ.

℞. Conser. capil. rad. apij sing. ℥.j.conser.scolop. & florum cichorij sing. ʒ. vj. corticis citri sacch. conditi ʒ.iij. pul. diarhod. ℈. iiij. pul.triasant.ʒ.j. sem.endiuiæ,melonum mundati & contusi sing.ʒ.j.ß. syr.de v. radicib.q. s.fiat opiata, de qua capiat ad quantitatem vnius castaneæ, horis duabus ante prandium.

℞.Santali albi & rubri sing.ʒ.ij.

rosarum rub. ʒ. j. fol. & baccarum myrti sing. ℈. ij. trochiscorum de caphura ʒ. ß. sem. endiuiæ petro. apij & anethi sing. ℈. iiij. spicæ nardi, schœnãti sing. ʒ. j. olei viol. ℥. iij. olei de absynthio ℥. ij. ceræ albæ q. s. fiat vnguentum, vngatur bis vel ter in hebdomade hepatis regio ca. addendo aceti vini albi parum vnctionis tempore.

Asciti à causa frigida excitato sequentibus auxiliis medeberis. Supponatur in primis præscriptus clyster, dissoluendo vrinæ pueri ℥. ij. deinde

℞. Elect. de psylio ʒ. ij. Cathol. ℥. ß. syr. ros. solut. ℥. j. ß. aquarum capil. & graminis sing. ℥. ij. fiat potio, quæ detur cum custodia, vt ars præcipit.

℞. Rad. v. diuret. co. in oxymel. simp. maceratarum sing. ℥. j. corticis citri sicci ℥. ß. rad. asari ʒ. iij. corticis medij sambuci ʒ. v. rad. cappa. corticis mediani fraxini, thamariscis sing. ʒ. vj. glycirrh. recent. ℥. j. soldanellæ, vtriusque cichorij, agrimoniæ,

moniæ, ſaxifrag. ſing. M. j. ſummitatum abſynthij pontici, mercurialis ſing. M. j. ß. ſem. petro. apij, cuſcutæ, aniſi, fænic. ſeſeli Maſſilienſis ſing. ʒ. ij. ſem. aſparagi ʒ. iij. caricarum pinguium nu. xx. folliculorũ ſennæ orientalis, medullæ carthami contuſæ ſing. ℥. ij. agarici in ligatura poſiti ℥. ß. florum thamariſcis, geniſtæ, cicerum nigrorum ſing. p. ij. fiat decoct. & in col. ℔. j. ß. diſſ. ſucci ireos optimè depurati ℥. j. ſacch. albiſſimi q. s. fiat apozema clar. & arom. cum pulu. troch. de cappar. & diarho. ſing. ℈. ij. Capiat in v. doſibus de mane. Si ægroti vires ſint validæ, decocto miſceri poterit thymeleæ in aceto per horas xij. maceratæ M. ß.

℞. Rhab. opt. ʒ. j. ß. ſpicæ nardi ğ. viij. infundantur in ℥. iiij. apozematis præſcripti, expreſſione facta diſſ. elect. indi maio. ʒ. ij. ſyrupi roſ. ſolut. ℥. j. ß. Miſce, fiat potio.

℞. Conſeruæ florum geniſtæ, rad. apij ſing. ℥. j. conſer. capil. & ſcolop. ſing. ʒ. vj. conſeruæ florum

cichorij ℥. ß. confect. dialaccæ & diacurcumæ sing.ʒ. ij. pulu. diarh. ℈. ij. troch. de rhabarb. & de eupa. sing.ʒ.j. syr. Byzantini q.s. ad incorporandum, fiat in modum opiatæ, de qua singulis matutinis horis duabus ante prandium capiet ad quantitatem vnius castaneæ, bibendo postea cochlearia duo vini albi aut gilui, aqua absynthij & asparagi diluti. Adde hepatis lupi secundùm artem præparati ʒ. iij. carnis erinacei terrestris resiccatæ ʒ. ij.

Non desunt qui pillulas de Mesereo plurimum commendent: quarum vsum ob huius medicamenti vehementissimam & internas partes lædentem vim, suspectum habeo, ex quibus nullos leuatos, sed plures interiisse vidi.

Probatur plurimum à Rhasi Mauritano exercitato in artis operibus medico, Syrupus acidus simplex ad sitis extinctionem, cum aqua cassutæ. Serum lactis in quo macerata sit absynthij coma, fumaria, halicacabi grana, schœnantum

& spi

& ſpica, confert. Vrinas etiam cientia ſunt ex vſu, vt turiones aſparagorum regiorum, radix graminis erigeri, & betonicæ folia. Ventris regioni admouendum erit præſidium quod ex ſequentibus conſtituitur.

℞. Vnguenti Aragon.℔. ß. ſucci ciclamini,ſucci pedis columbini,& vrinæ pueri ſing.℥.j.ß. ſucci apij & petro.ſing.℥.ij.ſem.rutæ,ſeſeli Maſſilienſis, & cumini ſing.ʒ.iij. farinæ lupinorum ℥. ß. terebinthinæ, & ceræ citrinæ ſing.℥. ij. olei rutacei ℥. iiij. fiat vng. vngantur partes ventris inferioris. Adde penetrationis velocioris cauſa vini albi parum.

Aliud.

℞. Vnguenti de Arthanita ℔.j. ß. olei irini ℥.iiij.miſce.

Aliud.

℞. Stercoris capræ, vaccæ ſing. ℔. ß. ſulphuris apyri ℥. ij. ſeminis cumini ℥.j.florum ſambuci p.j. ſucci thymeleæ ℥. ij. ß. cochlearum tritarum ℥. v. vini albi & vrinæ

pueri sing. q. s. donec ad cataplasmatis consistentiam reducantur, admoueatur ventris regioni. A multis laudatur emplastrum de baccis lauri. Si horum remediorum vsu affectus ipse non conquiescat, prolato de futura morte prognostico, aggredienda erit ea curatio, quam per paracentesim, id est, pertusionem fieri scripsit Aëtius, quæ curationis ratio mihi parum tuta semper visa est, affecto præsertim hepate. Nam quæso, quid proderit huius serosi recrementi euacuatio, si imbecillum iecur nouum humorem quotidie gignat, quo repleri non desinat venter? Insuper cur Aëtius talem sectionem commendans, locum qui diuidi debet non docuit?

Quod si quispiam respondeat, locum tanquam rem per se notam fuisse ab Aëtio prætermissum. Multi hoc remedij genus probantes, dicunt nouacula secandam esse ventris sinistram partem ad omenti regionem vsque, si hydrops præcipuo

hepa

hepatis vitio fiat, vt versus sinistram ventris partem tracta epigastrij pars euacuato per canulam humore dimissa,& in suam sedem reuersa inflictum vulnus obturet, ne euacuata confertim aqua vires omnino deiiciantur. Si splen huic malo ansam præbuerit, secandam dexteram partem statuunt.

Sed quonam pacto hoc fieri possit nõ satis intelligo. Quomodo distento maximè ventre, illius pars manibus ita poterit apprehendi, vt rursus in factum vulnus recurrat, ipsumque obturet, quod hians potiùs tibi apparebit & serosum recrementum semper euomens? non secus quàm si locum tensum aliqua ex parte seces, sectas partes à se magis distare experieris.

Aliqui acuto ferro eam vmbilici à seroso humore extuberantis partẽ, in qua linea alba sita est, vsque ad internum abdominis spatium pungunt: sensim serosum recrementum (vires priùs consulentes) euacuant, linea tandem tutun-

da vulnus claudunt, ne euacuatione larga vires conuellantur, vt mihi à quodam nobili Auerno vocato in oppido Sancti Flori contigit. Is cùm integrum ſeſquiannum aſcite ab hepatis ſcirrho profecto laboraſſet, & multos, eoſdémque doctos Medicos in conſilium vocaſſet, quorum conſilio & remediis pertinax morbus expugnari non potuerat, accerſiri familiarem & præſtanti doctrina Medicum mecum iuſſit, vt noſtrûm vnuſquiſque adipiſcendæ ſalutis auido homini auxiliares manus porrigeret. Noſtram operam illi (quæ conſentanea erant) petenti denegare non potuimus. Vltimum remedium, declarato priùs caſtæ vxori, & parentibus eo in quo hominem videbamus verſari periculo, aggreſſi ſumus. Quippe quod, iuxta Celſi ſententiam, melius ſit anceps experiri præſidium quàm nullum. Iam priùs recenſitæ parti à nobis monitus Chirurgus acutum ferrum adegit. Sectionem ſequuta eſt ſeroſi & lo-

tio

tio ſimilis humoris ampla euacuatio, quæ pluribus vicibus repetita, ventris tumorem imminuit cum magis libera reſpiratione. Sed defatiſcentibus tandem viribus, vitam cum morte commutauit.


Vidimus & nos in pago Maugueil vocato ab hac vrbe duobus milliaribus diſtante, iuuenem ruſticam xxij. annos natam aſcite laborantem, cui poſt multorum ex arte præſcriptorum medicamentorum vſum, ita prominuit humore plenus vmbilicus, vt eo ſuppurato & ſponte aperto abſceſſu, ac euacuata quæ ventrem replebat materia, priſtinæ ſaluti fuerit reſtituta: quod illius hepar nondum inſignem contraxiſſet noxam. Multi totam ventris cutem ad muſculorum aponeuroſes ſcarificant ſciſſuris paruis, vt per ventrem ſerum reſudet. Alij reuulſionis & euacuationis ergo pyroticum medicamentum pedum ſuris admouent, vt deciſa eſchara butyro,

aut putrefaciente aliquo medicamento vulnus hians serosum recrementum euomat,& sensim euacuatione facta ventris tumor minuatur.

Hanc hydropis speciem aliis faciliùs, & tympaniam ægriùs curari testati sunt Aëtius & Auerrhoës. Classici practici tympaniam, & hyposarcam faciliùs ascite profligari multis rationibus contendunt. Magna ex parte fit ascites laborante per idiopathiam hepate. Sed morbi per idiopathiam facti, difficiliùs his qui per sympathiam fiunt, profligantur. Insuper ad serosi succi generationem maior concurrit frigiditas quàm flatus, vel pituitæ. Præterea seroso humore flatus faciliùs discutitur. In hyposarca pituitosus humor in habitum corporis transsumptus, eo qui certa corporis parte est conclusus, facilius multò euacuatur. Ergo hyposarca curationi ascite magis paret.

Adde

Adde quod causa continens ascitis corpus magis grauat quàm tympanitis, aut hyposarcæ. Vomitus prouocatio in ascite, & hyposarca est salubris. Omnes hydropes inueterati, & qui habitum corporis corruperunt, sunt admodum periculosi.



De ventoso Hydrope.

CAP. XXXIII.

TYmpanias à copioso flatu, & pauco seroso humore scaturiens, vbi perseuerat in ascitem degenerans, tumor est ventris insignis, percussus tympani sonum repræsentans.



De Tympaniæ causis & indiciis.

CAP. XXXIV.

HVius causæ sunt edulia, quæ cruda, aut cocta (vt Galeno placet) flatus gignunt, quæ

si valens sit calor discutit, atque digerit ructibus, aut per anum cum crepitu excernit. Quod si in colo intestino colliguntur, colicam excitant: si in ventris spatio, tympaniam. Sæpe alimenta flatulenta non sunt, sed laudatam substantiam habent. Sed quia iecoris calor imbecillus est, totum ferè chylum in vaporem conuertit. Vt enim nimia frigiditas (quod in externis apparet, vt capite de œdemate flatulento fuit demonstratum) nihil resoluit: ita neque immoderatus calor halitus gignere potest; quia partes in quibus est collectus, infrigidantur, & infrigidatæ flatus seruant, & optimè continent.



De Tympaniæ curatione.

CAP. XXXV.

VIctus ratio talis esse debet, qualis Asciti est præscripta. Remedia eadem sunt congrua

grua, nisi quod flatus magis discutere debent, & cùm ferè ventriculi vitio accidat, is roborandus erit remediis ad id dicatis. Si huius morbi causa sit ea: moderatè frigidis, si frigida ca. vtendum erit. Qui à maximè ca. intemperie natiuum hepatis calorem resoluente scaturit, medicaminibus non cedit, sed his est superior. Priùs itaque supponendus erit sequens clyster.

℞. Foliorum saluiæ, sampsuchi, betonicæ, melissæ siccorum sing. M. j. sem. anisi, carui, sileris montani & cumini sing. ℥. ß. sem. fænugræci ℥. j. caricarum pinguium num. xx. florum stœchad, rorismarini, centaurij minoris, sambuci, chamom. sing. p. j. fiat decoctio. cape de col. ℔. i. diss. benedictæ ℥. ß. indi maioris ʒ. iij. olei rutacei ℥. iij. mellis rorismarini, succi pedis columbini sing. ℥. j. ß. salis co. parum. fiat clyster, supponatur. Parabitur procedēte morbo clyster ex oleo nucum, rutaceo, & vino maluatico.

℞. Glycirrhiz. recentis & rasæ

℥. j. foliorum menthæ, ſampſuchi ſiccorum ſing.℥.j.ß.ſem.aniſi,fæniculi & cumini ſing.ʒ.j.calami odorati ʒ.ij. corticis citri ſicci ℥.ß.florum ſtœchados, roriſmar. ſing.p.j. fiat decoct. & in col. ℔. j. ß. diſſ. ſyr. de mentha, mell. roſ.col.ſing. ℥.iij.ſacch. albiſſimi ℥.ij.pul.arom. roſ. d. gab.& diagalangæ ſing.℈.ij. fiat apozema cla. & arom. capiat in quatuor doſibus de mane. Vel ſic.

℞. Syr.de ſtœchad.mell. roſ.col. ſing.℥.ij.ß.ſyr.de abſynth.℥.j.aquarum maioranæ, meliſſæ & arthemiſiæ ſing.℥.iiij.pul. cinamomi interioris & electi ℈. iiij. fiat zulapium clar. & arom. capiat in quatuor matutinis.

℞. Diaphœnici ʒ. iiij. aquarum menthæ & abſynthij ſing. ℥.ij. ſyr. roſ.ſolut.℥.j.fiat potio. Vel ſic.

℞. Agarici recenter trochiſcati, & maſſæ pill. de benedicta ſing. ℈. ij. malaxentur cum ſyrupo de mentha.fiant pillulæ 7.quas deglutiet hora tertia matutina. Vel ſic.

℞.Elect-

♃. Elect.de citro solut. ℥.ß. capiat prima luce. Pillulæ ante pastū in sequentem modū institui debēt.

♃. Massæ pill.de aromatis, vel de hiera simp. ʒ.j.ß. aloë lota cum aqua endiuiæ in ca. distemperie, in frigi. cum aqua absynthij. fiant pillulę vj.capiat duas bis in hebdomade per sesquihorā ante cœnam.

♃. Confect.arom.ros. maior. ℥. iij. capiet singulis matutinis ad quantitatem vnius nucis comestibilis duabus horis ante prandium. Vel sic.

℞. Pul.ros. nouellæ ℈.iiij. pulu. diagalangæ & aromatici ros. des. gabr.sing. ʒ.j.pulu.elect. diacumini ℈. ij. conser. florum rorismar. ℥. j. zingiberis viridis saccharo conditi ʒ.iij. cort.citri sacch. etiam cōditi ℥.ß.conseruæ florum stœchad. saluiæ sing. ʒ. vj. conser.florum cichorij & rad.bugloss.sing.℥.j.syr.de cortice citri q. s. ad concorporandum.fiat opiata.

℞.Anisi,fæniculi sing.℥.j.ß.sem. cumini ℥. ß. panis siliginei assi, &

in

in tenuissimum pollinem redacti ℥.j. intestinorum gallinarum ex arte præparatorum, & internarum tunicarum ventrium earundem vino generoso lotarum sing. ʒ. ij. (Galenus cap. de ventriculo mergi, harum tunicarum administrationem tanquam inutile medicamentũ dãnat. Sed quare non video. Nam si gallinarum intestina & lupi hepar cõferre astruat: quare eæ tunicæ erunt inutiles? Experientia insuper rerum magistra has ventriculo addere robur ostendit. A nobis igitur iure optimo, & citra erratum aliquod, & aliquam ægri noxam, administrari poterunt.) Cinamomi & pulu. diagalangæ sing. ℈. iiij. sacch. albissimi ad pondus omnium. fiat puluis, capiat duo cochlearia post suos pastus, abstinendo longo tempore à cibo & potu.

℞. Anisi, fæniculi, & carui simplici coopertura sacch. intectorum sing. ℥.ij. elect. rosatæ nouellæ frustatim incisi ℥. j. cinamomi in tenues

nues fibras dissecti ʒ.ij. misce, fiat drageta, capiat duo cochlearia post suos pastus.

Exteriùs applicanda erunt quæ ventriculum roborant, & ventris flatus discutiunt, in sequentem modum parata.

℞. Cerati Gal. vitia ventriculi corrigentis ℥.iiij. olei de mentha ℥. ij.ß. misce, vngatur regio ventriculi. addere possumus olei de nuce moschata ℥.j. Vel sic.

℞. Foliorum menthæ siccorum ʒ. ij. nucis moschatæ, cariophylorum & macis sing. ʒ. j. ß. mastiches, ladani puri & styracis, cala. sing. ℈. iiij. olei de absynthio, de thimo sing. ℥. iij. ceræ q. s. fiat vnguentum. Ex his addita ceræ vberiori copia, potest parari pro conformando emplastro magdaleon. Vel paretur sacculus sic.

℞. Foliorum balsamitæ, melissæ, menthæ, & sampsuchi siccorum sing. ʒ.iij. ros. rub. ℈.ij. nucis moschatæ, cariophylorum sing. ʒ.j. ß.

galan

galangæ minutæ ʒ. j. granorum tinctorum ʒ. ß. moschi (pro diuitibus) ℈. j. florum chamom. stœch. sing. ℈.iiij. pul.& in sindone rubra vel panno lineo tenui fiat sacculus interpunctus ad formam ▽.regioni ventriculi applicetur.

℞. Oleorum de absynthio, nardini, rutacei sing.℥.iiij. vngatur vẽtris inferioris regio. Sacellationes ex milio, furfure, sale torrefactis & vino generoso conspersæ probantur plurimum, quibus semina carminatiua sic à practicis vocata miscenda erunt. Vel sic.

℞.Massæ emplastri ceronei ℥.iiij. sulphuris ℥.j.ß. succi ebuli & ireos sing.℥.j. malaxentur cum pauca terebinthina, fiat magdaleon, formetur emplastrum magnitudinis requisitæ. Cucurbitulæ leues toti ventri crebrò sunt affigendæ. Balnea medicamentosa, nitrosa, sulphurea, corporis habitum resiccantia.

De



De Ramicibus.

Cap. XXXVI.

Hernia ab hærendo pertinaciter (vt aliquibus placet) dicta à Græcis κήλη,& à Latinis Ramex vocata , tumor est obscœnas aut illi propinquas partes occupans,quæ varia loci & materiæ ex qua scaturit ratione, varia est sortita nomina.



De Herniæ causis.

Cap. XXXVII.

Ramicis causæ procatarcticæ sunt , immoderatus labor, frequens coitus,contentiosa & assidua vociferatio, exsufflatio, immoderata repletio , & quæ corpus humectant , aut aquoso humore scrotum replent. Quibus addere possumus continuam & laboriosam tussim , vel oneris magni eleuationem.

Corpo

Corporeæ ſunt, inteſtinum in viris & mulieribus in inguen lapſũ, βυβωνοκήλη Græcis dicitur, vel in ſcrotum ſolum, quæ ramicis ſpecies hominibus eſt propria, ἐντεροκήλη, ſi omentum decidat, ἐπιπλοκήλη, ſi ſeroſus humor, ὑδροκήλη, ſi teſtes tegentibus membranis naſcatur caro, σαρκοκήλη, ſi cum omento decidat cæcum inteſtinum, compoſitum nomen adipiſcitur. Hinc fit vt ἐντεροκήλη dextram ſcroti partem potiùs moleſtet quàm ſiniſtram. Si flatus in ſcroto coaceruatus illud diſtendat, πνευματοκήλη vocatur, qui cum hydrope interdum, nonnunquam ſine illo hominem impetit. Tumor collum obſidens, à gelidæ potu eliquatis niuibus contractus βρογχοκήλη, ſiue hernia gutturalis vocatur. Laxata vmbilici ligatura, ὀμφαλοκήλη. Exaltatis & turgidis venis teſtes alentibus ad varicum inſtar glomeratis, κιρσοκήλη, id eſt, varicoſus ramex excitatur. Fit bubonocele, enterocele & epiplocele, quando dilatato aut rupto peritoneo,

neo,

neo,in inguen aut ſcrotum,omentum ſolum, aut inteſtinum, aut vtrumque delabitur. Ydrocele,quãdo aqua inter mẽbranas erythroidem & darton, teſtes veſtientes colligitur. Sarcocele,cùm intra teſtium tunicas increſcit. Cirſocele, quando teſtium venæ ſanguine craſſo replentur. Carnoſus ramex ſemper ex corporea & abdita cauſa, & non externa naſcitur. Præſertim quando fluxio in teſticulum fertur cum illius incremento.



De Ramicis indiciis.

Cap. XXXVIII.

RAmex ſcroti & inguinum eſt doloris expers conſpicuus in ſcroto & inguine tumor,qui compreſſus recurrit, at lentè, rurſus celeriter redit, & decumbente homine manibus ad internas partes ita protruditur, vt mali expertem illum iudicemus. Recto exiſtente rurſus recidit, vt perſpi

perſpicuus tumor appareat. Compreſſum inteſtinum ſonum borborigmi ſimilem emittit, preſſum omentum nullum prorſus, neque reſupino homine recurrit.

Reliquarum herniarum notæ ex propriis cauſis ſunt perſpicuæ. Non deſunt qui inter relaxationem & rupturam latum conſtituant diſcrimen. Si quiſpiam recto corpore ad inferiores partes anhelitum protrudat, & mox inteſtinum delabi percipiat, ruptura, ſi non protinus deſcendat, relaxatione diſtorquetur. Si maximè tuſſiente ægroto, ſtatim in ſcroto tumor appareat, ruptus eſt. Peritonei ruptura ſenſim adaucta tumoris incrementi eſt cauſa. Relaxatio fit foramine dilatato, per quod vaſa & cremaſteres ad teſtes deſcendunt.

Ruptura circa initia in pueris præſertim (quorum ſubſtantia mollis & humida eſt, vt maris alga) facilè curatur. Sed quæ iam altas radices egit, & ſiccum corpus detinet, nunquam.

Omnium

Omnium ramicum periculosissimus est enterocele, præcipuè quando in scrotum deuolutum monoculum intestinum duris fæcibus plenum existit: tunc cùm excerni non possint, has vomitu (vt in ileo) reiici oportet. Atque in prædicto intestino oborta inflammatione gangrænam gignente, mortis imminet periculũ, vt à me in multis est obseruatum: clysmatum iniectione augetur. Carnosus ramex medicamenta spernit, tametsi minus sit molestus epiplocele, curari minimè potest, vt diximus.



De Ramicum curatione.

CAP. XXXIX.

AB humidis corpusque laxantibus balneis erit abstinendum, fructibus humidis, herbis crudis, leguminibus, fabis præsertim, potu largo, immoderata repletione, labore, venere crebra; tibicinum, & illorum qui

magnis exſufflationibus modulantur, opus negligendum, fugienda omnia quæ ſeroſos humores & flatus gignere ſunt apta. *Mollibus clyſmatis laxanda aluus (ſi fuerit adſtricta) catharcticóue medicamẽto adſtrictionis veſtigia relinquẽte. Quapropter damnatur Ægyptiacæ ſiliquæ medulla, acetoſus dactylus, diaprunum ſimplex aut ſolutiuum. Commẽdatur catholicon, triphera perſica myrabolanos recipiens, & thæum quod aſtrictionis ſit particeps. Clyſmatum frequens vſus ſuſpectus habetur, balanorum tutior. Flatus diſſipantia, ventriculum & inteſtina roborantia, poſt factam euacuationem ſunt ex vſu, quæ cap. de Aſcitis curatione ſunt à nobis tradita.

Et quod ad præſidiorum vſum attinet, manibus noſtris eleuatis cruribus inteſtinum prominens in ſuam ſedem propellemus, partem tumore tentatam, ſi id facilè præſtare nequeamus, hanc ſequenti remedio fouebimus.

℞. Mal

♃.Maluarum,viol.branch. vrsinæ,maluauiſci cum rad. ſing. M. j. ſem.lini fænugræci,altheæ ſing.℥.j. ſummitatum abſynthij nu.vj. florum chamom. meliloti, ſambuci ſing. p. j. fiat decoctio in duabus partibus aquæ & vna vini rubri, foueatur pars affecta tepidè. Vbi in ſuam ſedem quod decidit, reductum erit, præſidiorum ſequentium vſus non erit contemnendus.

♃. Vtriuſque conſolidæ,hippuris,ſummitatũ myrti, lentiſci,rubi, herniariæ ſing. M. j. baccarum & foliorũ myrti roſ.rub.ſing.℥.ß. florum chamom.ſambuci ſing. p. j.ß. fiat decoct.in duabus partibus aquę fabrorum & vna aceti diſſol.aluminis ℥.ij. foueatur ſpongia noua,vel filtro pars affecta. Vel ſic.

℞.Rad.biſtoræ,ſymphiti ſing.℥. ij. nucum cupreſſi, copularũ glandium, gallarũ viridium an.pa. xxx. ſummitatum cupreſſi, pentaphyli, polygonij,burſæ paſtoris ſing. M.j. ß. cumini,naſturtij torrefacti,plan-

tag. ſing. ℥.j. florum roſ.rubrarum ʒ.iij. fiat decoctio in aqua plantag. & pluuiæ. fiat fotus calidus, cuius calorem vix ferre poſſit ægrotus. Adde ſalis foſſitij ℥. ij.admoueatur deinde emplaſtrum ſequens.

℞. Maſſæ emplaſtri pro matrice & contra rupturam ſing. ℥.iij. rad. narciſſi & biſtortæ ſing. ℥. j. boli armeniæ, farinæ volatilis molendini, corticis thuris ſing.℥.ß. blattæ byzantiæ & ſarcocollæ ſing. ʒ. x. malaxentur manibus inunctis oleo citoniorum.fiat magdaleon,de quo conformetur emplaſtrum ad formam ▽. addendo parum terebinthinæ,vt melius hæreat. Vel ſic.

℞. Maſſ.emplaſt.de maſtiche ℥. iiij.ichtyocollæ ℥.j. ß.lithargyri ʒ. vj.pulueris magnetis ℥.ß.malaxentur manibus inunctis oleo myrtino. fiat magdaleon, vtere vt dictũ.

℞.Conſer.roſ.antiquæ,conſolidæ maioris ſing.℥.j. myrobalanorũ emblicarum aqua plantag.lotarum num.vnam,corticis citri ſacch.conditi ʒ.iij. corall. rub. vſti, & aqua

roſa

rosarum loti,& rasuræ eboris sing. ʒ.ij.iaceæ albæ ʒ.iij.cum syr.de ros. rub.siccis.fiat opiata,de qua singulis matutinis capiet ad quantitatem vnius nucis comestibilis duabus horis ante prandium, bibat postea cochlearia duo vini rubri astringentis aqua calybeata diluti.Adde limaturæ calybis ʒ. iij. Emplastro admoto & fotu facto, arcta ligatura erit vincienda pars, vt iam in suum naturalem locum reductum intestinum non amplius decidat. Hanc autem ligaturam brachale vulgus appellat.

Laborantem oportet in lecto nõ admodum molli quadraginta dierũ spatio decumbere,vt laxata, aut soluta continuitate laborans pars astringatur,aut coagmentum recipiat.Hoc verò fiat oportet sine clamoribus corporeisque motibus.

Ab hoc incommodo faciliùs pueri(vt superiùs fuit traditum) vindicantur adultis. Aquosus ramex ὑδροκήλη vocatus, calefaciẽte & resiccante priùs victus ratione insti-

tuta, ſequenribus præſidiis curatur, præſertim ſi morbus ſit, & non aſcitis ſymptoma. Nam tunc fruſtra topica remedia adhibentur, ſpreto morbo. Euacuandus itaque primo loco erit ſeroſus humor dato hydragogo medicamento, cuius ſuperius facta eſt mentio.

℞.cineris fagi,ilicis & truncorum caulium ſing.℔.ij.cum debita aquæ quantitate fiat lixiuium, de quo cape ℔. vj. in his decoque ſeminis aniſi,cumini,petroſelini ſing. ℥. ij. florũ ſtœchados,roriſmar.centaurij minoris ſing.p.j.aluminis ℥.j.ß. foueatur ſpongia noua affectus locus crebrò,admoueatur deinde ſequens cataplaſma.


♃. Farinæ fabarum ℥.iij.ſtercoris capræ ℥. iiij. limacum cum ſuis teſtis contuſorum ℥. v. ſulphuris ignem non experti,myrrhæ ſing.℥. j.ß.ſyrei vel ſapæ, aut lotij iuuenis bilioſi q.s.ad excipiendum. fiat cataplaſma. Plerique ſcroto ad veſicas excitandas, & ſeroſi ſucci euacuationem medicamentum ex canthari

tharidibus & acri fermento confe-ctum apponunt.

Ventosæ herniæ sequentibus remediis prospicimus, quamuis præcedentia conferant.

℞. Seseli massiliensis, sem. cumini, dauci, rutæ, petro. apij sing. ℥. ij. stercoris vaccæ ℥. iiij. florum meliloti, sambuci, chamom. & stœchad. sing. p. j. mellis q. s. ad cataplasmatis consistentiam reducantur.

Varicosæ, carnosæ herniæ & rupturæ, quia ægrè & sine periculo non curantur, remedia sunt à Guidone Cauliacensi petenda, docente rupturam ad chirurgiam esse reuocandam, tentatis priùs multis ab ipso præscriptis medicamentis.



De Priapismo & Satyriasi.

CAP. XL.

PRiapismus morbus est veretro peculiaris, quo illud citra voluntatem & coëundi cupiditatem turget, & totum in trinam

dimensionem extenditur: quamuis Gal. glandem non augeri scribat. In hoc priapismus à satyriasi differre videtur, quod in priapismo nulla est veneris appetentia, quamuis mentula sit rigida. In satyriasi vltra tensionem & rigiditatem, atque coëundi desiderium est palpitatio quædam. Priapismus non solùm viris, sed mulieribus euenit: quibus vteri collum sine veneris appetentia rigidum fit, non secus quàm cùm sunt ad venerem procliues. Satyriasis mulieres rarò impetit, sed viros frequenter, quæ dum perseuerat accersita conuulsione est exitialis.

De caussis Priapismi & Satyriasis.

CAP. XLI.

PRiapismi causæ procatarcticæ sunt, flatulentorum & calidorum eduliorum esus, vt synapi, fabarum, cicerum, cæparum, erucæ, bulbosarum radicum, frequens

frequens vitellorum ouorum esus, vinum recens, osculorum venarum ab arctè cingente lumbos zona dilatatio, atque assiduus supra dorsū decubitus, meatuum veretri densitas. Corporeæ, arteriarum à caliditate hiatus, vel flatulentus spiritus ex viscidis & crassis humoribus genitus à moderata caliditate, fistulosum & cauum neruum replentibus, tumidumque colem reddentibus. Satyriasis externa causa est fortis circa mulierem imaginatio, prætermissa coëundi consuetudo. Interna est semen redundans.



De signis Priapismi & Satyriasis.

CAP. XLII.

SI ex causis procatarcticis vterque oriatur affectus, ab ægrotāte resciet medicus: si ab internis, ex doloribus, quales tetanicis contingunt, percipiet. Distentum & inflatum pudendum conuulsionis modo afficitur, & nisi confestim eis medela feratur, hoc

modo affecti pereunt. In ſatyriaſi magna adeſt coëundi appetentia. In priapiſmo nulla prorſus. In vtroque affectu tentigo. Horum morborum perſeuerantia ſæpe conuulſionem, atque mortem infert. Iuuenes potiùs quàm ſenes hoc vitium inuadit.



De Priapiſmi & Satyriaſis curatione.

CAP. XLIII.

Vtriuſque morbi curatio duobus perficitur ſcopis. Primo victus conuenientem rationem inſtituente, qualis eſt ea, quæ attenuante facultate citra calfactionem eſt prædita, frumentacei cibi adminiſtratio, & aquæ potus vtilis. Cibi abſtinentia calente aëre corpus noſtrum ambiente ſalubris. Alimenta medicamentoſa adminiſtrentur, qualia ſunt lactuca, oxalis, hordei cremor. Aceti & acidorum vſus crebrer, docente Auicenna, inſalubris, quod flatus gignat. In duro lecto

lecto decumbat, foliis salicis, nympheæ, solani, semperuiui foliis, viticis munito, rosarum, caphuræ, santalorum, aquæ rosaceæ odor commodus: vitabit quæ ad coitum corpus propensum reddunt.

Secundus scopus nos admonet, vt si corpus plethoricum appareat, vulneretur cubiti dextri iecoraria, & sang. copia pro virium & ætatis ratione mittatur. Demũ vomitoriis medicamentis potiùs quàm purgatoris vtendum erit, vt docet in methodo curatiua Gal. quæ enim per inferiorem ventrem fiunt euacuationes, sæpenumero vicinas partes fluxione tentant. 14. Meth.

℞. Maluarum, viol. betæ, ebisci cum radicibus sing. M. ß. sem. lini & altheæ sing. ℥. j. prunorum dulcium, passul. sing. p. xxx. fiat decoct. in iure capitis, pedum & intestinorum veruecis, cape de col. quart. 5. in quibus diss. ol. viol. ℥. iij. mellis viol. sach. rub. sing. ℥. j. ß. succi mercurialis ℥. j. misce, fiat clyster.

Cauẽda sunt maximè omnia quæ

ciẽdæ vrinæ facultatẽ habent. Danda in potu nymphea, & viticis semẽ, miscẽda obsoniis rutha viridis.

Pro tertio scopo præsidia sunt præscribenda, frigida in principio, flatuum generationẽ præpedientia. Deinde procedẽte morbo calida iã genitum flatum absumentia. Quapropter viticis semen, rutha, origanũ, calamenthum, pulegiũ, amerinæ & ruthæ semen commendatur.

Priùs igitur ceratũ ex simplici rosaceo paratum, aqua frigida subactũ lumbos, pudenda & eam intercapedinem quæ est inter anũ & pudẽdum, illinemus. Circa finem calefaciẽtibus & discutiẽtibus vtemur, iã dictás partes sycionio, ruthaceo, chamom. aut irino oleo inungẽtes.

A cibo instituendi erũt pulueres aut misturæ flatus absumẽtes. Quorum omniũ præscripta tradita fuere. In latus potiùs quàm resupini decumbant. Arcendi sunt ab omnibus quę venerem cócitare possunt, vt mulierum spectaculis, venereis narrationib. ac cogitationibus. Superiorum partiũ exercitatio est ex vsu.

vſu. Plumbi bractea innumeris foraminibus perforata lumborum,& pectinis regioni erit admouenda.



De Arthritide, & eius ſpeciebus.

CAP. XLIV.

ARticulus, quem Græci ἄρθρον vocant, naturalis eſt oſſium, σύνταξις (definitore Galeno) ad motum inſtituta, ex rotundo oſſis proceſſu in cauitatem κοτύλην vocatam emergens, ſi dolore ab humoris defluxu excitato naſcatur, arthritidem ſiue articularem morbum excitat. Qui generis nomen ſubiens ποδάγραν, χείραγραν, ἰσχιάδα comprehendit. Et quamuis à cauſa eadem excitentur tales affectus, à variis tamen patientibus partibus varia nomina ſortiuntur. In arthritide articuli cum membranis, tendonibus, ligamentis, & omnibus partibus quas natura ad articuli ſtructuram, firmitatémque comparauit, læduntur: quemadmodum in podagra pedes, & manus in chiragra. *libro de oſſi.*



De horum affectuum causis.

Cap. XLV.

TAlium morborum causæ quædam procatarcticę sunt, quædam corporeæ. Externæ habentur, vsus alimentorum aromatis conditorum, quæ cibos non exactè confectos ad iuncturas deducunt, improbus atque assiduus labor, equitatus frequens pedibus suspensis, longus per dispositos equos cursus, vehemens ambulatio, intempestiuus veneris vsus, & qui stando fit à ventriculi plenitate & crapula, consuetæ euacuationes prætermissæ, frigidæ insueta potio, frigidorum humidorumque eduliorum crebra comestio, largus meracioris & generosi vini potus, ieiuno potissimum ventriculo, frequens in frigida natatio, suppressa in fæminis menstrua purgatio, casus, eluxationes, mœrores, curæ, vigiliæ & multa animi pathemata, horum

horum affectuum prima fundamenta iecerunt; tametsi cæca nonnunquam horum sit origo.

Corporearum causarum duæ sunt principes, quarum altera alterius sodalitio priuata nihil prorsus efficit. Vna est laborantium partium imbecillitas natiua, & à vitiato parentum semine contracta, vel à quapiam re. Altera est humorum in laborantia membra defluxus. Nam sicuti nemo epileptico morbo diuexari potest, sine cerebri imbecillitate natiua aut ascititia: ita & sine pedum infirmitate podagra; sola tamen ad huius generationem, nisi accedat humoris defluxus, non est idonea. Quamuis à Gal. sit traditum, passi dispositionem esse causarum duplum, & morbos facilè excitari in patiente corpore disposito. *Gal.co. in Aph. 28.6.l.*

Omnes arthritidis species communem habent causam, humoris nempe redundantiam, affectam coarticulationem occupãtem, qua oppleta in omnem partem circum-

sitæ

sitæ neruosæ particulæ tenduntur non sine vehementi dolore. Quæ igitur ad tumores præter naturam per rheumatismum factos concurrunt causæ, ab his affectibus abesse minimè videntur. Nam sicuti in aliis tumoribus præter naturam, partem hu. delegantem, & aliam illum recipientem adesse oportet: ita & in his articulorum molestiis, humorem sua quantitate, aut vitiosa qualitate, aut vtroque modo noxium à cerebro, ventriculo, hepate, per venas & arterias influere est necesse, non à solo capite, & sub cute per summa corporis in extimas partes ferri, sicuti aliquis oscitanter somniauit. Cuius opinionem ab eruditis aliquot abundè expugnatam euertere hoc loco nequaquam statui. Sanguineus humor irruens, pituitosus verò frequentiùs cum bilioso, aut sanguis cum ipsis permixtus, horum morborum causæ sunt continentes. Quippe quod ad talium generationem requisitus sit humoris deflu-

xus,

xus, ſine quo neque conſtare, neque excitari arthritis poterit.

Rarò à ſucco melancholico originem trahit, frequentiùs, vt diximus, à pituitoſo, viſcido, lento & puri ſimili, qui vbi diutinam in articulis moram traxit, craſſior ac viſcidior redditur, in tophos indiſſolubiles degenerans, ad priſtinam conſtitutionem articulum exactè redire prohibet.

Nonnunquam criſis ratione fit morbo per apoſchima ad articulos iudicato, vt de colico dolore conſtat, à quo humor noxius in articulos tranſlatus, dolorem procreat. Vere aut autumno magis quàm aliis anni partibus, articulorum dolores contingunt. Sæpe arthritis morbo Parthonopæo eſt copulata, cum vehementi perioſtij dolore citra tumorem manifeſtum, dé cuius curatione cap. de morbo Gallico agemus.

A morbo articulari coxēdicis dolor nihil differt, niſi quod ipſius cauſæ, nempe craſſus & pituitoſus humor

humor in ſola coxarum compage articulo concretus inſideat, & dolor à natibus inguinibus ad genua vſque, in multis ad imum vſque pedem pertineat.



De Arthritidis, Podagræ, Chiragræ & Iſchiadis ſignis.

Cap. XLVI.

Vm omnes iſti affectus vnã & communem habeant cauſam, humorum nempe defluxum, communia etiam habebunt indicia ſuas cauſas commonſtrantia, ſine quarum cognitione neque opportuna à nobis præſidia præſcribi poterunt, neque vera methodo depelli. Et quemadmodum (vt primo libro oſtenſum fuit) tumores præter naturã rarò à ſinceris humoribus ſcaturiunt: ita morbi iſti ab his excitari nequeunt.

Sed priùs tradenda eſt ſimplicis humoris indiciorum doctrina, qua cognita, facilè ad compoſiti notitiam

tiam

tiam nos conuertere poterimus. Cognitio horum ex colore, ſymptomatis, & coincidentibus acceſſionibus eſt petenda, quamuis neque omnibus ex procinctu manifeſta ſit, tamen non adeò difficilis cognitu exiſtit. Bilioſus enim ſanguis multæ caliditatis ægroto ſenſum exhibet, & calefacientibus impoſitis exacerbatur, quemadmodum à frigidis relaxatur. Dolor ab vna parte in aliam facilè permutatur, color à rubro flauus eſt, tumor exiguus conſpicitur, & quæ eryſipelatis propria ſunt in hoc apparent. Tumor maior & ruber ad vicinam & carnoſam partem extenſus, ſi à ſanguine ortum traxerit, apparet.

Si his morbis pituitoſus humor anſam ſuppeditet, non repentè & affatim hominem adoritur, cum clementioribus doloribus, laxioribuſque tumoribus, diutiúſque vni parti hærentes & quieti ſunt, illius robur deiicientes functioni plurimum incommodant. Cui malo iu-

ueni

uenibus sunt magis obnoxij senes.

Ad humoris noxij generationem confert prægressa dieta, & anteacta victus ratio, eduliorum tum quantitas, tum qualitas, anni hora, regionis & aëris constitutio, ætas insuper, & ipsius corporis habitus.

Articulorum dolores qui iam altas radices egerunt, membrum emaciant, à quibus si clementiores sint, post crassæ turbidæque vrinæ excretionem, aut superuenientibus varicibus multos vindicari contingit.



De Arthritidis, & aliarum specierum curatione.

CAP. XLVII.

HOrum morborum curatio in duobus, præcautione scilicet, futuro morbo prospiciente, & curatione præsentem profligante consistit. Et quamuis præcautio quodammodo curatio sit; nihilo secius quia hæc corpori non actu

actu laboranti, alia dolore infestato debetur, alteram ab altera distinguere non erit à ratione alienum.

Ergo cùm hos morbos excitare soleat incauta victus ratio, & maximè crapula, ab ea religiosè abstinendum censemus, & inedię indulgendum, cùm hæc docente Hipp. & hoc in arte medicinali confirmante Galeno, per accidens corpus euacuet.

Excitatam iam crapulam, & quæ factura est accessionem, vomitione arcebimus, attenuante & corpus modicè calefaciente, atque exiccante victus ratione fouebimus, & veneri iuncturis insidianti parcemus. Quod si plethoricum corpus sit, venæ sectione, si cacochymicum, purgatione futuro morbo obuiam ibimus. Quas euacuationes vere, & autumno cómodiùs quàm reliquis anni partibus aggrediemur. Educemus autem sanguinem copiosè, sed per interualla, vt fluxionis impetum in contraria ducamus.

Mem

Membrorum insuper mandantium, vt cerebri, ventriculi, hèpatis, & recipientium habenda erit ratio, admotis roborantibus medicamentis, & quæ ductus per quos in imbecillos artus ducitur materia, astringere possunt; vsurpabimus. Articuli ambulatione assidua non erunt defatigandi, & vini potum tanquam venenatum anguem respuemus; cuius loco fontanæ aquæ potus, aut pluuiæ, si calidus & æstuans sit ventriculus, hydromelitis, vel loræ, aut tortiui vini salubris erit. Assa elixis sunt præferenda. Sunt qui ossium humanorum cineres commendent, pedis, si podagra, manuum, si chiragra quis tentetur. Sed hoc remedij genus multis superstitiosum visum est, nisi quod siccitate sua magis prodesse quàm obesse possit. Frictiones euacuato corpore, ex oppositis & distantibus partibus vtiles.

Si à calido & bilioso humore excitata sit accessio, primò emollientem, intestináque eluentem

cly

clysterem, astricta potissimū aluo, supponemus. Deinde si magna sit huius humoris redundantia, cholagogo medicamento purgandum erit corpus, eóque leni catharctica facultate prædito, cum astrictione aliqua. Nam quæ aluum maximè subducunt, & è longinquis partibus non tantùm cæca proprietate, sed caliditate succum noxium attrahunt, humores eliquando, ductus aperiendo, & corpus rarefaciendo, fluxiones in imbecillas partes magis promouent, & robur ventriculi prosternunt: quo fit vt reliquæ corporis partes affligantur, & nerui per consensum ampliore vitiosi humoris fluxione impetantur.

Quapropter ab aromaticarum pillularum, fœtidarum, artheticarum, & de hermodactilis potissimum circum initia abstinere fas est, & medullæ cassiæ fistulæ, catholici, rhabarbari, aut tripheræ persicæ vsus nobis arridebit. In sequentem igitur modum, medica-

ta à

ta à nobis potio parabitur.

℞. Medullæ cassiæ fist. à canna nuperrimè eiulsæ ℥.ß. catholici ʒ. vj. sem. anisi puluerati ℈.j. cum saccharo. fiat bolus, quē quatuor horis ante prandium deuorabit, dissol. in iure galli nigri veteris si sorbere malit. Vel sic.

℞. Catholici ℥.ß. tripheræ persicæ ʒ.v. syr. ros. solut. ℥.j. diss. in decocto florum cord. co. sem. portulacæ, acetosæ, myrobal. citrearum & chebularum sing. ʒ.j. fiat potio.

Quod si catapotiorum vsum medicatæ potioni prçferat, sequentia deglutiet.

℞. Massæ pillularum masticinarum, aggregat. maio. aut de quinque generibus myrobalanorum sing. ℈. ij. malaxentur cum syr. ros. solut. fiant pillulæ 7.

Post aluum laxantis med. administrationem, repellentiū & astringentium influentibus adhuc humoribus vsus salubris erit. Quæ ante corporis euacuationem non sunt vsurpanda, ne periculum

recessus

recessus humorum in nobiliores partes immineat. Et vbi iam amplius non influunt, illapsos discutiemus. Optimum erit oxyrhodinum madefactis linteolis aut lana frigida æstate superimposita, tepida hyeme, fotus ex astringente vino cum oleo rosaceo, vel ex vino in quo myrti turiones, & nuces cupressi bullierint, sunt ex vsu.

A multis frigidæ perfusio, aut oxyrhodini laudatur. Sed frequentem frigidæ vsum suspectum habeo, tum quod frigiditate sua neruosum genus, & copulas offendat, tum quod partis sensus stupidos reddat. In biliosa, vehementi dolori copulata, sequens remedium à multis probatur.

℞. Medullæ cassiæ fist. ℥.ij. muccag. sem. psylij cum aqua rosarum extractæ ℥.j.ß. olei ros. ℥. iiij. croci ʒ.j. misce, fiat linimentum. Vel sic.

℞. Medullæ panis siliginei ℔.j. elixetur in lacte caprino, vel ouillo, contundatur diligenter in mortario marmoreo, & buxeo pistillo.

miſce olei roſ.℥.iiij.vitell. ouorum recentium num.ij.croci ʒ.j. fiat cataplaſma, cui addenda erit ʒ. j. ß. ſem.papa.aut ʒ.j.opij,vel olei mandragoræ ℥.j.in vehementiſſimo dolore, præcedentibus tamen priùs clementioribus præſidiis.

Multi corticem cucurb. recentis admouendum ſuadent. Alij oleum roſarum aqua frigida diligenter lotum, lacti aut ouorum albumini mixtum, vehementerque agitatum extollunt. Vnguent. roſ. Meſuei ſucco endiuiæ lotum alij commendant: oleandri folia contuſa plerique. Quæ certè medicamenta tentanda non ſunt, niſi in morbi initio, & ipſa in locum defluente materia,& dolore acerbiſſimo.Noxia habentur hæc in critica arthritide, niſi ex maximis doloribus vires concidere metuamus.Si aſtricta extiterit aluus,ſequens clyſma ſupponemus.

℞.Foliorum lactucæ,nympheæ, maluarum, viol. branchæ vrſinæ, fol. ſiclæ,mercurialis ſing. M. j. 4.

ſem.

ſem. frig. maio. contuſorum ſing. ʒ.ij.ſem.lini,altheæ ſing. ℥. j. prunorum pa. xxx. florum viol. nymphеæ ſing.p.j.fiat decoct. de col.cape qu.v.in quibus diſſ.caſſiæ à canna nuperrimè auulſæ ℥. j. diaprun. ſimpl.aut ſolut.ʒ.iij.olei viol.nympheæ, mellis viol. ſing. ℥. j. ß. fiat clyſter, ſupponatur efflagitante neceſſitate.

Qui aqua dulci & tepida artus lauant, ſibi malè conſulunt, quia humores commouent & exagitant, & iuncturas laxas ad hos promptiùs recipiendum reddunt. In huius morbi incremento catharctica magis conferunt quàm in principio. Affectæ itaque parti ſequentia præſidia conſentanea erunt.

℞. Rad. altheæ ℥.iiij. malu.cum rad.viol. ſing. M.j. roſarum rubrarum, florum viol. p. j. florum chamom.meliloti, ſambuci ſing. p. ß. fiat decoct. in iure pedum & inteſtinorum veruecis, contundantur poſtea optimè. Adde farinæ ſem.

lini, fænugræci ſing. ℥. ij. farinæ hordei ℥.j.ß.axungiæ porci ſine ſale ℥.iiij.olei roſ.chamom.ſing.℥.iij. ſiat cataplaſma, admoueatur frequenter. Vel vnguento ſequenti inungenda erit pars.

℞. Olei anethini,chamom.ſing. ℥.ij.olei roſ.vel viol.ſing. ℥.j. ceræ parum. fiat vnguentum, vtere. In huius affectus declinatione tam in ſanguinea quàm in biliosa, vſurpanda ſunt ſequentia.

℞. Farinæ ſem. fænugræci, lini ſing.℥.ij. florum chamom. meliloti, ſambuci ſing. ʒ. iij. hordei ℥.j. muccag.ſem. altheæ ℥.j. ß. olei de lilio ℥.iiij.ceræ q.s.fiat vnguentum.

Vrina cum ſale ſi ex ea foueatur locus dolens, eſt ex vſu, necnon ebuli ſuccus cum oleis roſarum & chamom. inſpiſſatus. Confert & emplaſtrum diapalma cum oleo chamom. malaxatum, vel emplaſt. diachylonis minoris ireati: additis pulueribus florum chamom. & hermodactylorum. Vnguentum de veſpertilionibus à Rhaſi commendatur.

In arthritide à frig. materia orta concitandus erit vomitus, qui non solùm omni speciei arthitridis, sed dolori nephriticorum maximè est salubris. Hunc alimentis ping. & copiosis onerato ventriculo, vel medic.ad id dicatis prouocabimus: idque tentandum in homine vomitioni propenso.

Purgandum postea erit corpus catapotiis assageret d. Auicennæ, de hiera simpl.de aromatis, aut ex rheo,agarico, mastiche,& aloë paratis, spretis his quæ hermodactylos sua natura ventriculum lædentes recipiunt, aut arthriticis, fœtidisue maioribus, quod sua vi insigniter purgante, humores exagitando,fluxionibus facilius iter præbeant, & iuncturas ipsas debilitent. Sequentes itaque præscribendæ erunt.

℞. Massæ pill. assageret ℈. iiij. malaxentur cum aqua iuæ arthriticæ,vel primulæ veris.fiant pill. 7. quas deglutiet hora secunda post mediam noctem. Vel sic.

℞. Rhei optimi ℈.j
aloës ʒ. ß. diacrydij gr
xentur cum melle rof.
lulæ 9. capiet ſeptem
Vel ſic.

℞. Maſſ. pil. aggre
myrobalanorum cebul
trearum ſing.℈.j. ſcam
malaxentur cum ſyr.ro
pil.6. capiet vt dictum
quendus erit is viſcidu
humor ſequentium me
rum adminiſtratione.

℞. Rad.acori vulga
rientes, quales ſunt fæ
galangæ, quod fluxio
ueant, ſunt arcendæ.
campanæ,& corticis ci
℥.ß. foliorum bethoni
ſaluiæ, ſampſuci, pri
chamepytheos, cham
M.ß. vtriuſque cichor
bugloſſ. cum radicib.fu
curialis ſing.M.j.ſem.a
li ſing.ʒ.j. ß. caricarur
paſſul.enucleat.ſing.pa
carthami contuſæ ℥. i

polypodij querni ſing. ℥. j. turbit electi & gummoſi in lacte caprino macerati ʒ. ij. glycirrh. recentis & raſæ ℥.j. florum ſtœchados, roriſmarini & bugloſſ.ſing. p. j. fiat decoct.& in col.℔.j.ß.diſſ.mellis roſ. colati,ſyr.de acoro ſing.℥.ij. ſacch. albiſſimi ℥.iij.pulu.pliris arconti & diarhod. ſing. ℈. ij. fiat apozema clar. & arom. capiat in 4. doſibus de mane. Vel ſic.

℞. Mellis roſ.col. ſyr. de ſtœchade ſing.℥.ij.ſyr. de cortice citri ℥.j. ß. aquarum meliſſæ, bethonicæ & bugloſſ.ſing.℥.iij. pulu. nucis moſchatæ, & elect. triaſant. ſing.ʒ. ß. miſce, fiat zulapium clar. & arom. capiat in tribus doſibus de mane.

℞.Indi maioris,& elect. diacarth. ſing.ʒ.j.ß.rhei opt.in aqua bethon. & pauco vino albo infuſi & expreſſi ℈. iiij. ſpicæ nardi eadem arte præparatæ g̃.vj.ſyr.roſ.ſolut.q.s.decocti præcedentis apozematis ℥. 4. miſce, fiat potio, detur poſt vſum præcedentiũ cum cuſtodia debita.

℞.Theriacæ veteris ℈.4. conſer-

uæ rosarum ʒ. ß. facch. modicum. fiat bolus, quem capiet in craftinum horis 4.ante prandium.

℞.Conferuæ florum faluiæ, rosmarini fing. ℥. j. conferuæ acori colati,& cõfolidę maioris fing.℥.ß. conferuæ enulæ campanæ, & corticis citri faccharo conditi ʒ.v.conferuæ florum cichorij,rad. bugloff. fing.ʒ.vj.pulu. diamofchi dulcis & diarhod.fing.ʒ.j.pulu. triafantal. & diamarg.frig.fing.℈.ij. fyr. conferuationis acori q.s.fiat opiata,de qua fingulis diebus horis duabus ante prandium capiet ad quantitatem vnius caftaneæ, bibendo poftea cochlearia duo vini clari aqua faluiæ diluti. Vfus Theriaces veteris vel Methridati probatur.

℞.Styracis calam.myrrhæ,aloës fing.℥.ß. ladani puriffimi ʒ.iij.aluminis ℥.j.caffiæ ʒ.ij. olei nardini ℥. iiij.ceræ citrinę q.s.fiat vng.Vel fic.

℞.Agarici ℥.j.myrrhæ & thuris fing. ʒ. vj.farinæ fænugræci ℥.j.ß. fe.cicutæ ℥.ß. medullæ cerui & terebinthinæ fing.℥.ij. olei chamom. ℔.ß.

℔.ß.ceræ citrinæ q. s. fiat vnguentum. In morbi declinatione sequentia sunt administranda.

℞.Stercoris vaccæ,capræ recent. sing.℔.j. farinæ fabarum ℥.iij.furfuris macri p.j.fæcis olei de lilio ℥. iiij.mellis ℥.ij.fiat catapl.Vel sic.

℞.Vnguenti resumptiui ℥.v. butyri recentis non saliti ℥. iij. axungiæ vrsi ℥.ij.sem.cumini ℥. ß. lumbricorū terrestrium generoso vino lotorū ʒ.vj.iridis florentiæ,hermodactylorum sing.℥.j.florū chamom. meliloti,sambuci, & foliorū saluiæ siccorum sing.ʒ. iij. croci ʒ.j.ß.olei keirini,amygd.amar.sing.℥. iiij. ceræ citrinæ q.s.fiat vnguent.Vel sic.

℞.Axungiæ taxi ℥.iiij.resinæ pini ℥.ij.muccag.sem.altheę,lini sing. ℥. iij. oleorum ruthæ, de anetho sing.ʒ.vj. ceræ citrinæ qu. suff. fiat ceratum. Addendo asellorum qui sub situlis procreantur, in tenuissimum pollinem redactorum ʒ. x.

Si ab humore mixto morbus oriatur, vt sæpe contingit, tam in principio quàm reliquis tempori-

bus miscēda erunt reme
rum vsu tanquam iuu
nocentibus sumendæ er
tiones, cum huius morl
ritum medicum sæpe lat
membrum in tritici ace
re reconditum, certo ter
bant. Iam pacato tumo
infirmæ partes sequent
camentis erunt roboran

℞. Cinerum quercus
hermodactylorum sing.
pluuiæ in qua extinctum
candens, aut ferri scori
est, paratur lixiuium. r
aluminis ℥.iij. salis con
Lauentur pedes & art
fert deinde sequentium
rum appositio.

℞. Massæ emplastri d
salis co. ℥.iiij. malaxent
inunctis oleo mastichin
daleon. Emplast. contr
etiam prodest, & de ma
chalciteos , adaucta
quantitate. Concitandu
vomitus , aut catapoti


niſtratio crebra eſſe debet. Familiaria catapotia in ſequentem modum præſcribenda erunt tempore præſertim frigido.

℞.Caſtorei ʒ.j.agarici ʒ.j.ß. zingiberis,ſalis gemmei ſing. ℈.ß.rhei ℈. iiij. myrrhæ & ſarcocollæ ʒ.j. trochiſcorum alhandal ℈. ß. aloës ſuccocitrinæ ad pondus omnium, malaxentur cum aqua primulæ veris, fiat paſta pil.& ex ʒ. j. conformētur pillulę vj.quas deglutiet ſingulis x. diebus cum regimine artis. In temporis conſtitutione calida horum loco ſequens præſidium conferet.

℞.Cathol.℥.iij. elect.indi ma.℥.j. turbit opt. & in lacte caprino macerati ʒ.ij.Rhei pul.ʒ. iij. tripheræ perſicæ ℥.j.ſyr.roſ.ſolut.q. s. ad incorporandum, fiat opiata, de qua ſing.x.diebus capiet ʒ.vj.per ſe aut diſſ.in aquis bet. & primulæ veris.

Sæpe in arthritide à reſiccata & gypſea pituita, circa iuncturarum regionem ſenſim naſcuntur tophi, ſiue calli articulos maximè mole-

ſtantes & contrahentes,
quam producti ſunt, ad
conſtitutionem articuli
nó ſinunt. Quos Gal.ca
ex vetuſtiſſimo bubulo
& ſalſi pedis decoct.mac
mortario ſubacto rupta
cute, abſque ſectione to
dere facit.



De Coxendicis morbi

CAP. XLV

IN coxendicum
ratione euacuati
noxij eſt neceſſa
cta venæ ex cubito m
piente, poſtea erit re
poplitis interna vena iu
ab humore frig. obor
dolor. Hipp. venas poſ
gente dolore ſecare iu
frequenter iniicienda
huic affectui maximè
in ſequentem modum
cipies.

℞.Rad.liliorum alborum ℥.j.ß. altheæ cum rad. maluarum, viol. branchæ vrsinæ, parietariæ, siclæ, mercurialis,centaurij minoris sing. M.j.sem.lini ℥.j.sem. anisi & maratri sing. ʒ. ij. medullæ carthami contusæ ℥. j. agar. in panno ligati ʒ. vj. florum chamom. ruthæ & anethi sing. p.j. fiat decoct. & in coll. ℔.j. aut qu. v.diss. benedictæ ℥. ß. Catholici ʒ. vj. olei de lilio, vel chamæm. ℥. iij. mellis rosf. col. succi mercurialis sing. ℥. j.ß. salis communis parum,fiat clyster.

Repellentia & adstringentia medicamenta circa coxendicis iuncturam non sunt admouenda. Nam cùm ea, docente Galeno, in profundo sita sit, sang. ex vicinis & ambientibus vasis ac musculis ad illam concipitur. Quapropter mitigatoriis in principio medicamentis opus est, quæ neque refrigerent multum, neque calefaciãt: qualibus procedente iam morbo opus habet. Exacerbantur enim per ipsas fluxiones, ca. nimirum has

has plus attrahente q
diente.

Dolor coxendicis ra
nis multitudine ſcatu
mè curatur, venis cir
aut talos ſectis. Ante
corporis purgationẽ, a
macis ſi quiſpiam circ
fectam vtatur, ægrè c
det affectionem, cop
ibi indiſſolubiliter de
ob acrium medicame
lorem & ſicc. non diſ
piam aſſationi patitu
que maximam vim ad
affectus habeat toti
euacuatio, ab ipſa inc
non ſolùm à cruribus
to facta, vt ſuperiùs
ſang. detractione.

Iſchiadicis vomitus
deſt, magis quàm inf
trem euacuationes, e
deorſum repentem h
uellant. Prouocandi
ab accepto cibo à me
cipiendo, & tandem

progrediendo.

℞. Galangæ craſſioris, radicis enulæ camp. ſing. ℥.j. corticis citri ſicci rad. pæoniæ rom. ſing.℥.ß.rubiæ maio. cũ rad.ſaluiæ, ſampſuci, meliſſæ,iuæ arthriticæ,herbæ paralyſis,bethonicæ ſing. M.j. glycirrh. raſæ ℥. j. ſeminis aniſi, fœniculi ſing.ʒ. j. caricarum ping. num. xx. hermodactylorum(ſi validus ſit vẽtriculus) ℥. ß. myrobalanorum citrearũ & cebularum ſing. ʒ.iij.folliculorum ſennæ,polypodij querni recentis ſing. ℥.ij. Agarici recenter trochiſcati in panno ligneo ligati ℥. ß. florum ſtœchad. roriſmarini, ſaluiæ & bugloſſ. ſing. p. j. fiat decoctio & in coll.℔.j. ß.diſſ. ſyr. de ſtœchade, mellis roſ.col.ſing.℥. iij. pulu. maceris, diamoſchi dulcis vel pliris arcont. ſing. ℈. ij. miſce, fiat apozema clar. & arom. capiat in 4. doſibus de mane. Vel ſic.

℞. Syr. de ſtœchade, mell. roſ. col.ſyr.de acoro ſing.℥.ij.iuç arthriticæ,bethonicæ, ſaluiæ ſing. ℥. iiij. pulu. macis & pulu. elect.diambræ ſing.

fing.϶.ij.mifce , fiat z
arom. capiat in 4. do
ne.

♃. aloës opt.& ag
hermodactylor.϶.iiij.
myrobalanorum citri
larum fing.϶.4. zingib
farum & maftich. fin
monij ϶. ß. malaxen
melite fimplici.fiat pa
formentur pil. vj. q
hora fecunda poft me
Quod fi prædicta cat
tire non poffit , capie
medicatam potionem

℞. Elect.diacarth.&
lut. fing.ʒ.ij. rhabarb
g̃. v. fpicæ nardi ʒ. j.
℥.j.aquarum faluiæ &
ris fing.℥.ij.fiat potio
num capiet ʒ.j.ß. the
vel methridatij,vel c
con. conferuæ ftœch
dem.

Quod fi ægrotante
tũ excruciet, anodina
conciliantia narcotic

quod ad philonem refertur, vel asyncritum Actuarij, quæ recentia nequaquam esse debent, sed duorum aut trium amorum, neque statim, sed post clementiorum vsum, sunt propinanda, sat est si annotina sint. Euocãdus erit qui in alta parte residet humor, cucurbitularum appositione, nonnunquam cum alta scarificatione. Affectum postea locum oleo susino, ruthaceo, lumbricorum, aut aliquo humorem ex alto ad superficiem attrahente, irrigabimus, vt est vulpinum, irinũ, keirinum, costinum aut philosophorum: his aliquam aquæ vitæ quantitatem velocioris penetrationis ergo miscebimus. Foueri etiam ante vnctionem & reliquorum medicamentorum vsum poterit sequentibus præsidiis affecta pars.

℞. Rad. pæoniæ & cappar. sing. ℥.iij. hermodactylorum ℥.iiij. agar. ℥.j.ß. fol. centaurij minoris, iuæ arthriticæ, primulæ veris, saluiæ & maioranæ sing. M.j. sem. ruthæ, seseli massiliensis sing. ℥. j. florum chamom.

chamom.meliloti, sa
chados sing.p.j. fiat d
bus partibus aquæ &
de qua expressis ma
foueatur frequenter
gio. Vngatur deinde
quenti.

♃. Axungiæ taxi
sing.℥.iiij.pulu.iridis
hermodactylorum su
rum, ℥.j. ß. corticis
vj. rad. pyretri ʒ.v. f
rij minoris, chamo
sing. p. j. olei de cast
sing. ℥. v. ceræ citri
guentum. vngantur
emunctorio & coxa.

♃. Vnguenti M
axungiæ serpentis &
ß.succi nasturtij ℥. i
lupinorum & pulu.i
ß.œsipi ℥.iij. olei ch
sing. ℥.iiij. fiat catap

♃. Galbani,opop
gummi ammoniaci
quatorum sing.℥.iij.
℥.j.ß.mastiches ℥.j.g

niæ ʒ.vj.medullæ cruris vituli ℥.ij. axungiæ humanæ & gallinæ ſing. ℥.ij.ß.florum hyperici & chamom. ſing. p. j. olei de piperibus & irini ſing.℔.ß.ceræ citrinæ q.s.fiat ceratum, extendatur ſupra alutam magnitudinis debitæ, poſt fotum parti admoueatur. Vel ſic.

℞. Maſſæ emplaſtri diachylon. magni cum gummis ℔. j. maſſæ emplaſtri apoſtolici chirurgici ℔. ß. pulu. iridis florentiæ & hermodactylorum ſing. ℥.j.ß.malaxentur manibus inunctis oleo keirino.fiat Magdaleon, formetur emplaſtrum magnitudinis neceſſariæ, addendo terebinthinæ ℥.j.ß.

Si horum medicamentorũ opera affectus non cõquieſcat, repetenda erit euacuatio tum ſuppoſitis acribus clyſmatis quæ huic affectui sũt neceſſaria, tum propinatis catapotiis. Aluum probè ſolutam habere expedit, quippe quod illa aſtrĩcta, premuntur & grauantur articuli, quæ omnia in ſequentem modum parabimus.

℞. Rad.

℞. Rad. liliorum all
hermodactylorum cont
ß. polypodij querni re
foliorum chamæpytheo
dryos,saluiæ, primulæ
ranæ, nasturtij syluestri
nicæ sing. M. j. rad. asa
sing.℥.j. sem. carthami
ß.colocynth.ʒ.iij.agaric
anisi,fœniculi,ruthæ sin
stœchados,rorismarini,
decoct. & in qu.v. diss.
Gal.℥.ß. indi maioris ʒ.
costo & de castoreo sing
lis rorismarini,sacch. ru
mercu.sing.℥.j.fiat clyst
salis gemmei ʒ. j. suppo
gitante necessitate.

℞. Massæ pilu.arthri
hermodact. sing. ℈. 4.
opt.ʒ.j.cinamomi & nuc
tæ sing.℈.j. malaxentur
saluiæ,fiat pasta pil.ex ʒ
vj.quas capiet singul.x.d
2.post mediam noctem.
teria moderatè frig. in fr
dis, in mixta mixtam

habentibus vtendum erit. Pro varia morbum excitantis causæ diſpoſitione, varianda eſſe præſidia nemo ambigit. Cataplaſma ex lepidij radice optimè contuſa & ſuillo adipe commollita, ad dolentem locum ad horas tres appoſitum Damocrates Medicus commendauit.

Calcare vuas à Solis calore æſtuantes, nudis pedibus & cruribus, maximè conferre ipſa experientia docet. Aquarum medicatarum vſus in omni iuncturarũ dolore, in ipſa potiſſimum declinatione ſaluberrimus exiſtit. Quales ſunt ſulphureæ, aluminoſæ, & nitroſæ. Artuum ex dulci aqua lotio pernicioſa habetur, quia iuncturas nimium laxat, vt dictum eſt, & hu. ad fluxionem diſponit. Sed ex aſtringente vino & lixiuio, addito aluminis ſaliſue momento, vtilis.

Plerique ſucceſſu haud infœlici illam victus rationem inſtituunt omnibus arthritidis ſpeciebus, quæ fit ex ligni Guaiacini decocto, aut ſarſa parillia, de quo cap. de morbi

bi Parthonopei curatio
differemus. Non desunt
sionis & euacuationis c
thritide , pyrotica me
cauteria potentialia voc
næ coxarum parti , aut
biæ admouent , vel sp
dullæ origini si in brac
gitos defluxio feratur
Quorum consilium nc
probo, quia maiorem i
partes fluxionem acce
rum viribus deiectis : p
ternæ brachiorum par
corariam,si coxendicis
podagra quis tentaretu
tibiæ parti , si omopla
ros , brachia aut ma
queret. Dropaces & sin
adurentibus medicame
tos , coxæ ac cruri n
nunt , ad continentis
euacuationem , tum eu
si assiduæ præsidiorum
fiant facilius affectio
Aph. 60.l.6. Hipp.in Aph.per ipsius
nem sanari scripsit ,

quando ob illapſum mucorem luxata eſt articulatio, ea priùs in ſuũ locum repoſita, vſtione abſumitur mucor, & contracta iam parte ipſius prohibetur luxatio. Vrendi modus à Paulo l.6. cap.76.docetur.



De morbo Parthonopeo, ſiue Hiſpanica lue.

Cap. XLIX.

Morbus quem plerique Neapolitanum ſiue Parthonopeum, gallicum, ſcabiẽ Hiſpanicam multi vocant, antiquis medicis ignotus, quẽ neque lichenas, neque Plinij mẽtagram, neque elephantiaſim, pſoram, lepram, ſacrum ignem vel anthracem eſſe conſtat. Nouus eſt morbus, antiqua carens nuncupatione, à recentioribus medicis bene cognitus, à quibus curatiua methodus eſt planè inſtituta.

Huius origo, vt aliquibus placuit, à nobili quodam ſcorto in Valentia

lentia Hiſpaniæ Tarac
gni ciuitate ab eleph
dam equeſtris ordini
greſſo,ex cuius fœdo
tra paucos dies quad
lites infecti fuere ,
Francorum Regem It
ditionem parantem c
Tandem adaucta in i
libidine,is ita inualui
multos ex immundo
cubitu labefactarit , &
ti in vnum cumul
morbos pepererit , v
loco demonſtrabitur.

Ex quorum ſynd
variis huic ſceleſto m
ſunt deſcriptiones.
morbum gallicum eſ
varia humorum corru
ratas , propter nimia
lore & humore inter
denda primum , dei
corpus cum magno p
lore occupantes , vt
Ioannes cognoment
ſolutam eſſe contin

exustis humoribus per contagium in concubitu ferè genitam,à malignis quibusdam pustulis incipientem, pudenda plerunque, & reliquas corporis partes, caput præcipuè, inficientem; abscessusque duros in pessima adeò vlcera desinentes, vt ossa vitientur, per longum desinentia tempus. Scripsit Falopius Parthonopeum morbum esse hepatis affectum in tota substantia spiritus dissipantem. Nicolaus Massa hunc morbum sic definit. Est epidimialis dispositio in membris corporis,præcipuè in hepate & venis, & eorum humoribus existens, ex qua sequuntur veluti symptomata,dolores, pustulæ per vniuersum corpus.

Quæ certè descriptiones morbo Parthonopeo non omnino videntur posse adaptari. Nam Leonicenus ex ea quam tradidit definitione, hunc morbum esse Epidemicum arbitratur,ex nimio aëris calore & humore contractum. Quod si hoc verum esset, sequeretur,om-

nes aut horum maio
qui regionem auſtro e
colunt, tali contagion
di. Quod eſſe quàm
ſum luce meridiana eſ
enim ægritudo citra
aut ab ipſo malam pr
qualitatem neminem p
hendere.

Multò melior & to
Ioannis Manardi deſ
omnino explodenda
affectum hepatis in to
ſpiritum diſſipantem
Nam concludere iure
ſumus, hydropem ca
morbo Parthonopeo n
cùm hydrops citra he
affectum ſpiritus diſſip
ex idiopathia, ſiue ſyr
catur fieri non poſſit.F
tes externas in hoc n
quàm internas vitiari,
verò internas, & præſ
ipſum. Maſſa in eoder
niceno cliuo ſudare v
demialem diſpoſition

membris corporis, hepate ſcil. venis, & eorum humoribus, aſſerens. Neque audiendus eſt Montanus hunc morbum diſtemperiem calidam & ſiccam eſſe aſtruens, cùm calorificis & exiccantibus præſidiis curetur.

Guilelmus Rhondeletius collega olim meus, morbum Gallicum ſic definiuit. Eſt intemperies mala, partium externarum cum humore contagioſo, ex venereo contactu mediatè vel immediatè contracta, ad quam ſequuntur vt plurimum puſtulæ, mala vlcera & dolores. Quæ certè deſcriptio, vt confuſa eſt, ita anxium legentis animum retinet. Eſt enim luce meridiana clarius, omnes intemperies corporis functiones lædentes, eſſe malas, quapropter huic morbo non eſſe proprias.

Porrò non eſt intemperies in genere, ſed in ſpecie, nempe frigida & humida (vt poſtea aſſerit,) & non ſolùm ad externas partes, quamuis primordia & ſua rudimenta ab illis

ſuſcipiat, eſt referenda, quia hæc
citra vitioſi humoris præſentiam
conſtare non poteſt. Ergo oporte
humoris, quo veluti vehiculo vti
tur, promptuarium & officinan
læſam eſſe: nam vnde puſtulæ, vlce-
ra, tophi & articulorum dolore
naſcerentur, incolumi exiſtent
hepate, quod in tali morbo affic
eſt neceſſarium: Dicemus itaque
Hiſpanicam ſcabiem morbum eſſ
contagioſum, ex vitiati homini
aut mulieris contactu contractum
primum hepar, deinde reliqua
corporis partes ita labefactantem,
vt peſſima eadémque diuturna
ſymptomata procreet, & certa pro-
priaque curatione egeat.



De luis venereæ cauſis.

CAP. L.

HVius pernicioſi morbi,
Deo opt. maximóque mor-
talibus propter ſordidam &
corpus eneruantem Venerem, im
miſſi

missi; causæ (vt aliorum morborum) sunt duplices, procatarcticæ scilicet & corporeæ. Procatarcticæ sunt, mulieris aut hominis infecti contactus, aut inspiratus aër à pessima illa qualitate conspurcatus, quæ corporeas mouentes & exagitantes, huius perniciosi mali sunt effectrices, neque nisi eæ priores concurrant talis excitabitur morbus, ephemeræ febris more, cui maximè proprium est vt à prægressis causis emanet. *Gal. 1. de aff. feb.*

Et quamuis in morbis aliquid diuinum esse statuerit Hipp. hunc tamen cæcæ & latentis proprietatis non esse participem, & morbi constitutio, & ipsa curatio apertè demonstrant. Immundæ igitur mulieris concubitus, aut infecti hominis complexus, ex quo primum pudenda, deindè aliæ partes, tum internæ, tum externæ noxam subeunt, causa est procatarctica, vt diximus. Ad hunc morbum viri tum propter ea tempera. tum colis venarum & arteriarum amplitudi

tudinem, & vniuersi corporis raritatem, fœminis, sunt procliuiores, præsertim quando illorum natura est maximè peta. & crebræ Veneri assueta. Mulieres quamuis sint pituitosæ, cùm denso sint vtero, & corporis poros arctiores habeant, menstruisque purgationibus à multis recrementis corpus expurgent, tardiùs in hanc labem corruunt.

Ad hanc subeundam noxam sexus vtriusque dispositio est maximè necessaria, cùm actus actiuorum non fiant nisi in patiente disposito, & passi dispositio (vt à Gal. traditum est) sit causarum duplum. Igitur vt ex contactu, frequēti contubernio, crebro osculo, psora, lepra, elephas, pthoë, ophthalmia emergit, ita ex his causis hanc perniciem oriri, nemo ibit inficias. Adde quod huic nefando malo vitiatum semen, quemadmodum & aliis multis occasionem suggerit: huic etiam morbo non exiguam ansam suppeditat vitiosum nutricis lac, quod

quod cum maligna qualitate ſit præditum lactantem puerum coinquinat, qui etiam infectus ore ſuo viciſſim ſanam mulierem labefactabit.

Corporeæ cauſæ ſunt humores in corpore contenti, à cauſis externis malignæ qualitatis participes redditi, (inter quos humor pituitoſus huic morbo anſam magis ſuggerit) quod verum eſſe ipſa curatio oſtendit; qui ab affecto hepate geniti corporis functiones lædunt re ſæuorum ſymptomatum ſunt cauſæ, vt puſtularum, capitis & articulorum doloris & prauorum vlcerum, oſſium cariem nonnunquam ſibi copulantium. Quippe quod varia pro vario humorum dominio excitentur ſymptomata.

Quare mihi maximè delirare viſi ſunt, qui in vniuerſo corpore diffuſum, illudque tegentem panniculum carnoſum, conſtituunt, à quo huius pernicioſæ labis ſcaturiginem emanare ſomniarunt, Parthonopeum externarum partium his

per continuationem alteratis, esse quàm maximè proprium, & non internarum. Quod somnium si verum esset, sequeretur leuissimi etiam præsidiis hunc, tametsi inueteratum & corpori mordicus hærentem, posse depelli. A Gal. enim traditum est, externarum partium morbos facilè à rudi etiam medico posse deprehendi, & multò faciliùs quàm internarum profligari. Sed quantum curationi reluctetu quæ annotina aut altas radices egi Hispanica scabies, sunt sibi conscij qui ab hac grauiter infestati, open à Medico frustra efflagitant. Neque medicinam facientes viri celebres in curatiua methodo exercitatissimi, ignorant quàm ægrè illam pro pulsent.

lib. 1. de lo. affect.

Statuemus igitur huius morb prima seminaria, contagione quad in externis corporis partibus ess cõspersa, sed neq; ægroti, neque curanti medico negotiũ facessere, ni: hæc vitiata lues, internis visceribus, hepati præsertim & venæ cau:

cor

communicata, illa labefactarit: quorum vitium grauium symptomatum, miserum excruciantium corpus, est propago. Varios in hac exitiosissima lue ex variis caussis excitari morbos, quis negat? Primum ex sordido mulieris concubitu, initiū ducens in pudendo, pustulas, vlcuscula mali moris & curatu contumacia excitat. Vapor insuper venenatus, per cauum pudendi ductum, in venam cauam, maiorémque arteriam se insinuans, sanguinem & spiritum corrumpens, in inguine bubonem erumpere facit: affectis hoc venenato vapore seminalibus vasis, ipsisque renibus, gonorrhœa se prodit, atque olidam, turpissimamque saniem eructat. Affecto iecore vniuersus sanguis polluitur, quo venæ participes, in artus & omnes corporis partes disseminatæ, liuidas & rubentes sæpe pustulas; & easdem duras, nonnunquam crustosa, phagedenica & exedentia vlcera, nonnunquam herpetes in biliosis præser-

 tim,

tim,procreat; Cancroſa & medica-
mentis non facile cedentia in me-
lancholicis; leuiora,ſed ſordidiora
& putri humore ſcatentia in pitui-
toſis,crebriora & carbunculi ima-
ginem referentia in ſanguinei
Omnia labra prædura habent, tu-
mentia & inuerſa, tam enim ho-
rum malignus & peruicax eſt hu-
mor, vt ſæpe nullo in oſſa tegent
carne,manifeſto vlcere, ipſa tene-
la,& dura peruadat, illius fulgur
more ab Ariſt. in ratiociniis me-
theorologicarũ impreſſionum de-
ſcripti, quod intacto forulo, enſem
eliquat, & intacto marſupio au-
rum & argentum liquefacit. Cùm
autem cerebrum, ſupremámque
corporis arcem obſederit, mul-
pro partis temperamento pitui-
colligitur putredine ſalſedine
adepta, quæ ſi in capite retineatu
acerbos dolores commouet, noct
magis quàm interdiu homine
moleſtantes, inter perioſtium
cranium contenta tumores mag
doloris haud expertes facit. In a
t

tus aut articulos deturbata, maximos cruciatus, ſcirrhoſos tumores, præduros tophos minimè indolentes excitat, quia veneni maleficio eſt perfuſa, & inſignis acrimoniæ particeps. Interdum non tam acris & mordax cutem ipſam non exedit, ſed ad pilorum radices diſperſa, horum effluuium concitat, vt non ſolùm capitis, ſed ciliorum, palpebrarum & barbæ pili decidant; quorum caſus hominis faciem & caput maximè deturpat.

Nemo itaque inficiabitur, hanc luem venenoſæ qualitatis eſſe participem, quæ per vniuerſum corpus diſſeminata, non aliter quàm quæ à rabidi canis morſu infertur, ſerpit. hæc in corporis penetralibus ſæpe latitãs, longo tẽpore ſilet, & à cauſa interna vel externa exagitata, ſe prodit, vt de exanthematis dictum eſt. Quæ ab inquinato concubitu emergit, & obſcœnas partes labefactauit, deterrima exitioſiſſimaque eſt. Cæteræ ſunt leuiores, & curationem minus reſpuentes.

De luis venereæ notis.

Cap. LI.

HVius perniciei notæ ex lotio non ſunt petendæ: ſed ex obſcœnis potiſſimum partibus, ſi ex ſordido concubitu ſit contracta, quæ facilè in totum corpus ſerpit, & vlcera præputio & glandi communicat, bubonibus ſæpe, aut venereæ gonorrhœæ copulata. Recẽs curationi minus reſiſtit, ſed veteri magis contagioſa, quæ cum perſeuerat corpus cacochymicum, macilentum, frigi. atque humidũ reddit, vt luculenter ipſa curatio teſtatur. Hunc etiã morbum oſtendit vehemẽs capitis dolor nocturnus potiùs quàm diurnus, ſterni omoplatarum & originis ſpinalis medullæ, pertinax coxendicis dolor, brachiorum, femoris & tibię exoſtoſes, capitis & pubis latæ puſtulæ, capitis areæ, capillorum defluuium, volæ manus & pedum rhagades ſerpiginoſæ, in palatum,

colu

columellā & gargareonē continua defluxio, quæ dum acris & mordax est, palati vel narium oſſa carioſa efficit. Hinc fit vt ij olidam animam habeant, & ſæpe rauca raui detenti cōtinua expuitione veluti ptyliſmo detineantur. Adde quod poſt morbum contractum ſubtriſtes ſunt. Cui etiam maximam lucem affert patrum ſemen, cuius probitatem, aut vitium in filios & nepotes tranſire, quis dubitat? Quo plura apparent ſymptomata, eo maiorem materiei copiam promittunt. Non omnes notæ ſuperiùs recenſitæ, in hoc morbo laborantibus ſunt perquirendæ, ſed aliquas apparere ſufficit.



De luis venereæ curatione.

CAP. LII.

IN huius morbi curatione medicos etiam doctos parum eſſe concordes, ex illorum monumentis conſtat. Nam alij curationem

rationem quæ fit hydrargyri inunctione parum ſtabilem, ſed fucatam & corpori maximè officientẽ ſcribunt, & qui hac vſi ſunt in ſubuerſionem ſua radice deteriorem lapſos affirmant. Alij nondum ſatis cogniti morbi incognitam eſſe curationem tradunt. Alij Guiacini ligni, alij ſarzæ pariliæ, aut chyuæ decocto, hunc profligare aſtruunt. Alij conſtitutio ſub conopæo ægroto, ſuffitibus propulſare ſtudent. Quorum varia opinio multorum animos anxios atque ancipites in hunc vſque diem ita detinuit, vt affirmare ſint coacti, hũc affectum à cæca qualitate ortũ non poſſe niſi præſidiis à tota ſubſtantia in corpus agentibus curari.

Nos verò nulli hæreſi addicti, liberè pronunciare poſſumus, hunc vera & certa methodo, ab experientia profecta, poſſe depelli, ſeruatis his legibus, quæ ab Hipp. traditæ ſunt. Is igitur morbus præcautione & curatione egens, medicum ſollicitat, vt ægroto omnibus

bus rebus quæ hunc excitare possunt, interdicat, quales sunt quæ hanc perniciosam corpori contagionem inferre solent, vt ipsæ sordidæ mulieris concubitus, incautaque victus ratio; nihil enim citiùs & vehementiùs hanc labem ipso inquinato concubitu accersit, ex quo magna (quæ ægrè resarciri potest) ruina corpori accedit. In illos profectò qui sibi præcauere nolunt, quadrabit peruulgata parœmia, *Nocet empta dolore voluptas*. Ipsa verò curatio 4. perficietur scopis.

Primus in decenti rerum non naturalium vsu versatur. Inter quas aër iure optimo primas obtinet, qui pro varia temperie variis etiam modis corpus afficit. A quo, cùm familiaris sit nostri corporis hostis, sumendam esse indicationem ex Hip. sententia in meth. curatiua scriptum reliquit Galenus. Versabitur itaque ægrotus in aëre moderatè ca. & sicco, natura, vel arte tali. Habitationes frigidæ & humidæ, statariis cœnosis aquis cõtiguæ,

tiguæ, ipſo præſertim autumno & vere ſunt pernicioſæ, à corruptis vaporibus labefactatus aër peregrinas qualitates (cucurbitæ more) ſuſcipiens, varias ægritudines procreat, & vt frigiditate ſua corpori hoc modo laboranti officit, ita ſua caliditate natiuum calorem diſſipando noxius eſt. Frigidum luculento ex odoratis lignis & herbis igne, calidum frigidis, vt roſis, violis, ſantalis, oxycrato, pampinorum foliis temperabimus. Ab auſtro corpora diſſoluente, caput grauante, & vertiginem inducente cauendum. In ſiccitatem temperatam inclinans aër ſalubris cenſetur. Cibi & potus maxima eſt habenda ratio, cùm ab his variis modis corpus immutetur. Ex his enim conſtamus ex quibus nutrimur. Panis ex defæcata ſiligine, non omnino ſublatis furfuribus paratus, fermento ſaturatus, modico ſale perfuſus & mediocriter coctus, laboranti adminiſtrabitur. Cuius repletionem ventriculo oneroſam

non

non probo. Carnibus ab ortu parum distantibus, quia mucoso humore scatent, neque vereribus excremētosis, & corpus modicè alentibus, sed ætate & substantia mediis alatur. Quæ enim larga humiditate sunt præditæ, pituitam adaúgent, quæ siccæ & exuccæ, coctionis operosæ sunt & atrabilariæ. Quare agnorum, porcorum, piscium, nisi saxatilium, qui potiùs sunt gustandi quàm comedendi, herbarum crudarum, boum, vaccarum, hircorum, aprorum, ceruarum, damarum, antiquorum leporum, aquatilium auium, cochlearum, leguminum, brassicæ, bulbosarum radicum, iuglandium, sinapi, erucæ, acrium ac linguam ferientium rerum substantia noxia existit. A vino recenti, dulci & turbido, antiquo, generoso, & parum diluto abstineat, consistentia robore & calore mediocri fruatur. Oua tremula & recētia concedentur. Panis lotus, ex gallinis aut capis iuscula, & horū substantia, veruecinæ, vituli

Gal. 8. meth.

vitulinæ, attagenarum, perdicum
montanarum auium carnes deligē
dæ, quibus non admodum reple
ri, sed cum aliqua vberiùs edend
appetentia à mensa abire commo
dissimum erit. Amygdalæ, qui
vaporulentæ sunt, & dolenti ca
piti insidiantur, cum lupulo sali
ctario noxiæ, noxius itidem zi
vsus, cinamomi sapor vt ori gratu
est, ita ventriculo commodus. Aci
dis insuper rebus, aceto præser
tim neruosum genus ferienti, par
cet. Fructus recentes & horario
(præter vuas passas, mala cydonia
pyra in secundis mensis assa & sac
charo aspersa) vitabit: quipp
quod humidi fructus aquosam ali
moniam corpori suggerunt. Pom
neruis inimica, tanquam acutum
scopulum fugiet. Ciborum in mē
sis non sit præposterus ordo, ne-
que varij sint qualitatibus, & sub
stantiis inter se pugnantes. Sit cœ-
na prandio frugalior, cibum den-
tibus optimè terat. In plenitate &
inanitione, seruanda est medio-
critas

critas, nam vt plenitas vires corporis grauat, & obſtructionum eſt cauſa perſpicua, ita alimoniæ defectus corpus demacerans, tabem inducit. Statis & aſſuetis diei horis comedēdum ſuademus. Cùm enim bona fruimur ſanitate, mutari non debet conſuetudo, multo minus in ipſo morbo. Sit aluus ſuppoſitis clyſmatis, aut balanis, vel propinatis ſolutiuis medicamentis laxa. A longo ſomno arcendus erit, quod corpus nimium humectet, vt iuges vigiliæ hoc reſiccant, ita diurnus ſomnus mox à prandio, aut cœna factus deſtillationes promouet, niſi doloribus confectus viglare nocte cogatur. Sanctè & religiosè præclara Hipp. ſententia ſeruetur, labor, cibus, potus, ſomnus, venerem tolle, omnia moderata. Et cum animi pathemata, Galeno autore, mutent corpus, ab ea quæ eſt ſecundum naturam conſiſtentia, his erit parcendum, ex quorum contubernio eſt ira, triſtitia, timor. Proſequen

ſequendum quæ animam exhilarare poſſunt & mentem à curis repurgare. Coitus eſt omnino aduerſus, quod ſi cum immunda muliere ſe homo, aut cum labefactato homine mulier exercuerit, mox poſca genitales partes probè eluantur.

Secundus ſcopus nos vocat ad noxij humoris concoctionem, qua tentata meliùs poſtea is euacuabitur. Sed antequam in hoc negotio vtile medicamentum præſcribamus, redundantis humoris natura erit contemplanda; nam ſi laborantis corpus plethoricum nobis appareat poſt ſuppoſitum clyſterem, vel ex catholico, aut medullæ caſſiæ fiſtulæ propinatam potionem, venis turgentibus tumores, puſtulas & vlcera conſpiciamus, tundenda erit media, iecoraria aut cephalica, ſi dolore tentari partes ſuperiores proferat ægrotus. Mittetur tanta ſanguinis copia, quantam vires, ætas, aëris conditio perferre poterunt.

Quod

Quod ſi tali morbo diſtorqueatur mulier,cum menſium ſuppreſſione ſecta priùs vena poplitis aut malleoli interna, menſes mouebimus, & ſi venæ ſectionem aliquid præpediat, coxarum radicibus affigendæ erunt cum multa flamma cucurbitulæ; hoc verò agendum paulò ante tempus eruptionis mẽſium.Quod ſi bilioſus humor morbo anſam ſuppeditet, & ſanguini ſit mixtus, quæ diximus agenda erunt,parciùs tamen mittendus erit ſanguis:ſi pituitoſus aut melancholicus,venę ſectio minus erit ex vſu, potiſſimum quando hi humores à ſanguinis natura ſunt abalienati.Et ſi multæ puſtulæ in corpore diſſeminatæ conſpiciantur, & tenuium humorum redundantia, ac in corpore præualeat caliditas, erit ſequentibus vtendum.

℞. Rad. ruſci, aſparagi,graminis, acetoſæ ſing. ℥. j. lapath. acuti cum radicibus, ſcabioſæ, vtriuſque cichorij cum radicibus,vtriuſque bugloſſ. herb.capill.co. ſonchi

ſummi

ſummitatum lupuli (ſi abſit capit
dolor) thurionum aſparagorui
ſing.M.j.ſem.melonum, cucurbita
citri & endiuiæ ſing. ʒ.j.ß. paſſu
à vinaceis repurgatarum, prune
rum dulcium, iuiubarum, ſebeſte
ſing.pa. xxx. glycirrhiz. recentis &
raſæ ℥.j.ſem.aniſi,fœnic. ſing. ʒ. ß
florum bugloſ. viol. ſing. p. j. fia
decoct.in aqua hordei perfectè cc
cti,cape de col.qu.ſ. In quibus dii
ſol. ſyr. de fumo terræ & de ſucc
endiuiæ ſing. ℥. iij. ß. fiat ſyr. dc
coctionis mediæ clar.& arom. cui
pulu. diamarg. frig. ſine moſch
& triaſant. ſing. ℈. ij. capiat in 4
doſibus de mane. Ægrotantei
poſtea in eum qui ſequitur modui
purgabis.

℞. Rhabarb. opt. ʒ. j. ß. ſpic
nardi ǥ. vj. Infundantur in ℥. iii
apozematis, præſcripti expreſſic
ne facta diſſ. catholici vel triphe
riæ perſicæ ℥. ß. diaprunis laxa
tiui ʒ. ij. ſyr.roſ. ſolutiui ℥. j. fia
potio danda poſt præcedentis ſy
rupi vſum.

℞. Co

℞. Conseruæ rosarum & rad. bugloss. sing. ʒ. j. ß. pul. triasant. ℈. j. cum sacch. fiat bolus qui detur sequenti die horis duabus ante prandium. Superãte in corpore pituita, hoc modo purgandum erit corpus.

℞. Elect. diacarth. & indi maio. sing. ʒ. ij. syr. ros. solut ℥. j. aquarum bethon. bugloss. sing. ℥. ij. misce, fiat potio, quæ detur ante omnia cum custodia, & artis decenti regimine.

℞. Rad. enulæ cãp. acori vulgaris, sing. ℥. j. corticis citri sicci, radicis galangæ crassioris sing. ℥. ß. hermodactylorum (si articulorum do. molestetur) ℥. ß. bethonicę, melissæ, chamepyteos, chamedryos, primulæ veris, sampsuci, trifolij, scordij, fumariæ, mercurialis sing. M. j. caricarum pinguium, passularum à gigartis repurgatarum pa. xx. glycirrh. recent. & rasæ ℥. j. Agarici in ligatura positi ℥. ß. Medullæ carthami contusæ & foll. senæ, polypodij querni recentis sing. ℥. ij. florum stœchad. rorismarini & buglos.

buglos.sing.p.j. fiat decoct. cape de col.℔.j.ß.dist.mellis ros.col.syr. de stœchad. sing.℥.iij.ß.fiat Apozema clarificatum, aromatizetur cum pul.diambræ & diarhod.sing.℈. ij. capiat in 4.dosibus de mane.Quod si morbus sit contumax & laborantis vires validæ, loco agarici adiiciendæ erunt ʒ.ij.turbith elect. & gummosi in sero lactis caprini prius macerati, zingiberis & salis gemmei sing. ğ.vj.

℞. Elect. de citro solut.ʒ.ij. catholici ℥.ß.rhabar.in aqua endiuiæ & modico vini albi infusi & expressi ℈. iiij. cinamomi eadem arte præparati ğ.vij.syr. ros. solut. ℥. j aquarum maioranæ & bugloss.sing ℥. ij.misce,fiat potio.

℞. Conseruæ florum stœchad ʒ. j. theriacæ veteris ℈. iiij. sacch parum.fiat bolus qui detur in crastinum horis 4.ante prandium.Medicatæ potionis loco sequentes pillulas deglutiet.

℞. Massæ pil. aggreg. maio de agarico, sing.ʒ.ß. massæ pillu cochi

cochiarum ℈. j. malaxentur cum aqua bugloſſ. fiant catapotia 7. quæ deglutiet hora ſecunda poſt mediam noctem leui cœna præcedente. Ægrotum in quo atra bilis vincit ſequenti modo purgabis.

℞. Diaſennæ ſolut. ℥. iij. ſyr. viol. ℥. j. ß. decocti foliorum bugloſ. borraginis & endiuiæ ℥. iiij. miſce, fiat potio.

℞. Corticis mediani fraxini, tamariſcis rad. cappa. ſing. ℥. j. corticis ebuli ʒ. vj. corticis citri ſicci ℥. ß. vtriuſque bugloſ. vtriuſque cichorij cum toto, fumariæ, mercurialis, pimpinellæ, ſcabioſæ, ſummitatum lupuli, ſcolopend. ſing. M. j. prunorum dulcium, paſſularum à gigartis repurgatarum, ſing. pa. xx. pulpæ tamarindorum electorum ℥. j. ſem. aniſi, fœniculi ſing. ʒ. j. ſem. melonũ, cucurbitæ ſing. ʒ. ij. glycirrhizæ contuſæ ℥. ß. folliculorum ſennæ, polypodij querni recentis ſing. ℥. ij. Epithymi cretenſis ℥. ß. florum bugloſ. viol. ſing. p. j. florum thymi ʒ. j. fiat decoctio in duabus partibus

aquæ fontanæ & vna aquæ bugloſſ. facta col.ad ℔.j.ß.diſſ.ſucci pomorum dulcium defæcati ℥.iiij.ſacch. albiſſ. ℥. iij. fiat apozema clar. & aromat. cum pulu. elect. diamarg. frig.& diarhod.ſing.℈. ij. capiat in 4. doſibus de mane.

℞. Confectionis hamec. ʒ. ij. rhabar. in aqua bugloſſ. infuſi & expreſſi ʒ. j. ß. cinamomi eodem modo præparati gr. vj. ſyr. roſ. ſolut.℥.j.ß. decocti præſcripti apozematis ℥.iiij.fiat potio danda poſt apozematis vſum.

℞.Conſer.viol.flor.borrag.ſing. ʒ.j.ß.pulu.elect. triaſant. ℈. j. cum ſaccharo, fiat bolus pro ſequenti mane. Loco medicatæ potionis ſequentia catapotia inſtituere poterimus.

℞. Maſſ. pil. de fumo terræ & indarum ſing. ℈. ij. trochiſcorum alhandal. g̃. iij. malaxentur cum aqua bugloſſ. fiant catapotia 7. deglutiet hora prima poſt mediam noctem parca cœna præcedente.

℞. Theriacæ veteris & probatæ ʒ.j.ß.

ʒ.j. ß. cum ſaccharo, fiat bolus, detur 4. horis ante prandium. Purgato vniuerſo corpore, ad particulares euacuationes tranſeundum erit, quæ exercentur errhinis, apophlegmatiſmis, gargariſmis mariſcas aut menſes cientibus, medicamentis, aluum laxantibus & mouentibus ſudores. Eſt tamen ſummopere cauendum ne internas oris partes exulceratas gargariſmis, aut apophlegmatiſmis defatigemus, neque laborantibus naribus errhina præſcribamus, quippe quod hæc medicamenta in affectas partes humores euocantia, illas exaſperabunt, & plus noxæ quàm vſus inferent. In ſequentem igitur modum errhinum parabimus.

℞. Succi rad. betæ rubræ, ſampſuci deputati, ſing. ℥.iij. ſucci anagallidis cæruleum colorem procreantis cum vino albo extracti ℥. iiij. Mannæ granatæ & recentis ℥. j. mel. roſ. col. ℥. j. ß. miſce, fiat errhinum. traiiciat mane tepidum aluo exonerata, ore aqua pleno, per na-

res illas optimè emungendo, quo etiam faucibus & gargareone exulceratis vti citra ægroti diſpendium poteris.

℞. Rad. piretri, piperis nigri, granorum vuæ tamineæ ſing. ʒ. j. nucis moſchatæ, zedoariæ ſing. ℈. ij. puluerentur & cum modica cera alba, fiãt paſtilli, maſticet vnum ieiunus expuendo quod diſſoluitur.

℞. Rad. glycirrhizæ ℥. j. foliorum maioranæ, hyſſopi ſing. M. j. caricarum pinguium, paſſul. ab acinis mundat. ſing. pa. xx. ſem. nigellæ & vrticæ contuſi ſing. ʒ. ij. florum roriſmarini, centaurij minoris, ſing. p. j. fiat decoct. in aqua hordei integri & in col. qu. v. diſſ. mellis roſ. col. ℥. ij. oxymelitis ſimpl. ℥. j. ß. fiat gargariſmus, gargarizet longo tempore ante cibum. hæmorrhoides glandibus ex aloë, ſaponé gallico, bubulo felle ſollicitandæ erunt, & turgentes phlebotomi cuſpide, vel admotis hirudinibus aperiendæ, vt ſanguis ater euacuetur. Menſtruas purgationes ſequẽti potu prouocabis.

℞. Rad.

℞. Rad.petro. apij, valerianæ,& fœniculi ſing.℥.j.calamenti, pulegij matricariæ,arthemiſię,nepetę,ſing. M.j.hermodactylorum ℥. ß. glycirrhizæ recentis ℥.ß.ſem.nigellæ romanæ,dauci ſing.ʒ.ij. florum geniſtæ, cicerum nigrorum,ſing.p. j.fiat decoct.& in col. ℔. j. diſſ. oxymel. diuretici & ſyr. de duab. radicib. cum aceto ſing.℥.ij.ß.capiat in tribus doſibus de mane conceſſo trium horarum à ſorbitione ſomno. Deiectas principum partium à morbi inclementia facultates remediis ſequentibus firmabimus.

℞. Conſer.roſarum,rad. bugloſſ. ſing. ℥. j. conſer.florum borrag. & florum cichorij ſing.ʒ. vj. myrobalanorum emblicarum , ſacch. conditarum & vino albo lotarum nu. j.pulu.elect.diamarg. frig.ſine moſcho ℈.iiij.pul. diarhod. ʒ. j. ſyr.de pomis bene olentibus q. s. ad incorporandum , fiat opiata , de qua horis duabus ante prandium capiet ad quantitatem caſtaneæ. bibat poſtea cochlearia duo vini albi,

aut gilui aqua melissæ vel buglosſ. diluti. Vel ſic.

℞.Pulu.elect.triaſant.℈.iiij. pulu. elect.diamarg.frig.ʒ.j. pul.diarhod. abb.℈. ij. conſeruæ florum cichorij & borraginis ſing.ʒ.iij.ſacch.diſſ.in aquis endiuiæ & bugl.q.s.fiat elect. in lozangiis ponderantibus ʒ.ij. ß. capiat vnam quolibet mane horis duabus ante prandium. Iniiciendi erunt per interualla molles clyſteres,quibus aluus lubrica ſeruabitur.

℞. Altheæ cum rad. malu. viol. branchæ vrſinæ,atriplicis , parietariæ,foliorum buglosſ. fumariæ , ſiclæ,mercurialis ſing.M.j. ſem. lini, maluæ ſing.℥.j.caricarũ pinguium, prunorum dulcium ſing. pa. xxx. ſem.cartham.contuſi ℥.j.ß.ſem.aniſi fæniculi ſing. ʒ. j. florum buglo. viol. nympheæ ſing.p.j.fiat decoct. in aqua hordei & in col. quart. v. diſſ. diaprun.ſolutiui ℥. ß. catholici ʒ. vj. olei violati ℥. iij. mellis viol. ſacch. rub. ſucci mercurialis ſing.℥.j. ß. ſalis co. ʒ. j. fiat clyſter detur expoſcente neceſſitate. Non minus

minus proderit solu. medicaminis sequentis vsus.

℞. Catholici ℥.iij.confect.hamec. & diaphæn.sing.℥.ß.rhab.aqua endiuię irrorati ʒ.iij.cinamomi grana xv.syr.ros.solut.q.s. ad incorporandum, fiat opiata de qua cum opus erit capiet circiter ℥. j. per se, vel diss.in ℥.iiij.decocti foliorum bugl. borrag.& cichorij.Vel sic pro mollioribus & debilioribus naturis.

℞. Foliorum sennæ orientalis ℥. ß. polypodij querni recentis ʒ. iij. sem. anisi ʒ.ß. florum viol. buglos. sing.p.j. fiat decoct.in iure galli nigri veteris,de col.cape ℥.iiij.in quibus diss.mannæ granatæ ℥.j.syr.ros. solut.℥.j. ß. misce, fiat potio,detur vrgente necessitate. His peractis mouendi erunt sudores linimentis, emplastris,ceratis,suffitibus,aut instituta ea victus ratione ex Guaiacini ligni decocto, sarzæ pariliæ, vel chinnæ, vt humores per totum corporis habitum fusi eliciantur: & si quæ sint pustulæ aut tumores externas partes defatigantes exic-

centur & digerantur. Curandi igitur erunt ægroti in eum qui sequitur modum.

℞. Axungiæ suillæ non salitæ à membranis repurgatæ (malè enim à nõnullis ab ignis calore eliquatur) & per colum medicum transfusæ ℔. j. hydrargyri cũ prædicta axungia extinctæ ℥. vj. ab hac quàm à quauis alia meliùs retinetur, thuris, masticheѕ, resinæ pini sing. ℥. j. lithargyri auri ℥. ij. myrrhæ electæ & styracis liquidæ sing. ℥. j. cerusæ in aqua rosarum lotæ ʒ. vj. olei de baccis lauri ℥. iij. olei rosati ℥. iiij. Ducantur probè in mortario marmoreo & pistillo buxeo, fiat linimentum, illinantur omnes corporis partes, inguina præsertim ante focum, præter caput, pectus, inferiorem ventrem: cooperiatur postea plus solito corpus, quiescat donec sudor eruperit. Quod si ob cutis densitatem & pororum obstructionem sudare nequeat, bubulas vesicas, calida aqua refertas, sub alis reponemus, aut inguinibus admouebimus,

bimus, & calidos lateres pedibus apponemus. Si dolor citra pustulas, iuncturas & caput plurimù tentet, sequens linimentum ex vsu erit.

℞. Vnguenti enulati siue psorici ℔.ß. vnguenti agrippæ & marciati sing. ℥.iij. argenti fusilis cum prædictis vnguentis aut limonum succo extincti ℥.iiij. olibani, mastiches & myrrhæ sing. ℥.j.ß. sublimati ʒ.ij. terebinthinæ ℥. j. lithargyri auri ʒ.x. olei cham. olei de spica sing. ℥. iiij. misceantur simul, fiat linimentum.

℞. Axungiæ gallinæ, anatis, anseris sing. ℥.ij. Medullæ cruris vituli, vaccæ sing. ℥. j.ß. axungiæ porci, vt dictum est) præparatæ ℔. ß. resinæ pini, terebinthinæ cum aqua vitæ lotæ sing. ℥. ij. lithargyri auri, thuris, mastiches, sing. qu. ß. hermodactylorum subtiliter pulueratorum ʒ.x. euphorbij, in natura valida ʒ. ij. in debili ab illo abstinendum erit, styracis, calamitæ liquidæ sing. ʒ.vj. olei lumbricorum, vulpini sing. ℥. iij. olei chamom. fæcis olei de lilio sing. ℥. ij. Ducantur

optimè in mortario marmoreo, fiat linimentum. Non eſt cum corpus inungimus calefaciendum vnguentum, ſed tantum manus.

Aliud ad euocandos humores ex internis partibus ad externas.

℞. Butyri recentis ſine ſale ℥.iiij. axungiæ ſuillæ non ſalitæ à pelliculis repurgatæ ℥.x. ſtyracis liquidæ, ladani puri & lithargyri auri ſing.℥.j.ß. hermodactylorum, ariſtolochiæ rotundæ ſing. ℥. j. euphorbij ʒ. ij. argenti fuſilis cum ſuo liquore extincti ℔.ß. In corpore robuſto olei petrolei penetrationis cauſa ℥. ij. olei de lateribus, irini & chamom. ſing.℥.iij. Agitentur diutiſſimè in mortario marmoreo, fiat linimentum. Sunt qui his linimentis theriacam addunt propter humorem peruicacem & venenatum, à quo hunc morbum ſcaturire arbitrantur.

Ex his prouidus & ſolers medicus ampliſſimam linimentorum ſupellectilem contemplata priùs laborantis natura, ætate, cœli conditione,

tione,& corporis facultate ſibi parabit. nam mollioribus corporibus & his quorum virium robur eſt imbecillum, minus fortia medicamenta ſunt præſcribenda, minórque hydrargyri & euphorbij quantitas. In his ſat eſt extremas corporis partes inungere. horum autem linimentorum baſis eſt axungia & ipſa hydrargyrus, quam argentum ob colorem & indeſinentem motum,viuum vocant,in quo vegetus calor cum multo humore,ſed tenaci motũ ingenerat quietis neſcium. Non oportet arbitremur linimenta hæc neotericorum eſſe inuẽta,nam priſci & in curatiua methodo exercitati medici,his pſoram & lepram frequẽter expugnarunt. Cæcutiunt & hallucinantur qui hunc peſſimũ morbum ſine hydrargyro depellere ſcribunt,nouam & tutiorem curandi rationem ſe noſſe proferentes,& in mentis penetralibus abſconditam ſeruantes, vana ſpe poſteritatem lactarunt. Sed quantum ſint à veritate abalienati ſibi conſcij ſunt

qui in curandis multis hac dira labe detentis bonas horas ſucceſſu fœliciſſimo collocarunt. ij experientia omnium rerum magiſtra, agnouerunt ſe hunc morbum ſine hydrargyri ſodalitio curare nequiuiſſe, quamuis ex illius mala adminiſtratione multa corpori incommoda ſuboriantur. Quis neſcit veratri, peplij, dendroidis, thymeleæ, ſcammonij, antimonij intempeſtiuum vſum, corpori maximè noxiũ, imò lethalem eſſe? quæ ſuo tempore adminiſtrata, ſimul & probè caſtigata corpori plurimum prodeſſe, quis negat? hydrargyrum plerique hac ratione damnãt, quod ſua frig. & hum. natiuum calorem & humores ita refrigeret, vt hos congelaſcere faciat, tremores inſuper, comitialem morbum, & huius materiæ foſſores & artifices tametſi robuſtos, ad quartum vſque annum incolumes permanere non ſinat, tremore magno omnes corporis partes cõcutiat. Hoc verò ad metallorum omnium generationẽ eſſe diſpo

dispositum tradut, cùm omnibus se coniungat nemo inficiari debet, illorum generationi idoneam materiam præbere. Omnia metalla in fusile argentum coniecta, vt lignum in aqua supernatant, dempto auro omnium metallorum præstantissimo, quod magis reliquis amplexatur, quodque subsidet. Ex hydragyro & armeniaco sale fit sublimatum ex quo varios faciei fucos mulieres parant. Ex sutorio atramento, sale nitro, & alumine puluis ille mercurij ab aliquibus præcipitatum vocatus, paratur, cathereticum & vlceribus quibus hypersarcosis est copulata, opportunum auxilium, ac aliis contumacibus & à lue gallica emergentibus cacoëthe vocatis præsentaneum præsidium construitur, vt suo loco demonstrabitur.

Est hydrargyrus duplex, naturalis vna, in fodinis mineralium reperta, irrequieta & more aquæ semper fluens, colore argenti obscuriore: factitia alia, quam ex

minio

minio in vasis fictilibus certa arte fieri tradit Pedacius Dioscorides. Paratur etiam ex fuso plumbo, vel antimonio, quæ naturali vires imbecilliores habet, vt expertus sum. Tineas puerorum enecat ad duorũ granorũ milij pondus tradita. Scrupuli pondere ægrè parturientibus prodest. Sublimatum præcipitato minus noxium, sed vtroque minus perniciosa hydrargyrus, quæ ponderosa existens minorem in extis moram superioribus trahit. Sua grauitate ventriculum & intestina erodere scripsit Dioscorides. Cuius vestigia sequutus est Galenus, qui alibi sibi contrarius dicit se nullum hydrargyri periculum fecisse, neque quod interimat si deuoretur, neque vbi foris admota sit. lib. 4. cap. 18. tradit medicamenta quæ per erosionem interimant, ferro lapidique ignito similia esse, quæ à corporis nimirum calore huc perducuntur, velut chalcitis, mysi, sori, adhæc arsenicum, hydragyros, lithargyros, & alia innumera, crassarum

ſarum enim ſunt partium id genus omnia,ac poteſtate calida, ac proinde temporis ſpatio accenſa, per eam quæ eſt in animante mutationem, non aliter quàm lapis & ferrum ignitum, ventrem tũ exulcerant, tum exurunt, cum ſcil. in corpus diſtribui præ grauitate non poſſint.Rurſusc.1.lib.x1. de ſimpl. med.facult.ait.Igitur in iis quæ ſuperiùs dicta ſunt, haud ita multa particularia eorum quæ in materiis ſunt conſcripta à medicis, mihi ignota fuere,verùm operam dedi vt ipſe per experientiam facultatem eorum cognoſcerem. Quod ſi quid ignorabam,planè nec de illo quidquam conſcripſi, haud credendum aliis cenſens, ne de vno quidem huiuſmodi, quod certum habeam nonnullos multa mentiri. Ex his Galeni verbis luce meridiana clarius eſt, ipſum alioqui virum doctiſſimum, & in medica arte exercitatum, in eo ſermone quem de hydragyro conſcripſit parum ſibi conſtare, & haud dubiè

ſui

ſui memorem non fuiſſe.

Auicennas 2. lib. tract. 2. hydrargyrum frigidam & humidam ordine 2. tradit. Cuius vapor facit accidere paralyſin & tremorem, & rectat membra, & eius fumus auditum deſtruit, faciens oris fœtorem cum per ipſum tranſit. Petrus Apponenſis conciliator dictus, Auicennæ ſententiæ aſtipulatur. Paulus 7. lib. argentum viuum in medicinæ vſum non accommodari, quod venenum repræſentet, aſtruit, ipſum in cinerem mixtumque aliis ſpeciebus colicis & ileoſis exhibuerunt.

Non deſunt qui hydrargyrum non ſolùm ord. 2. frigidam & humidam eſſe proferant, ſed narcoticam & vehementi ſua frigiditate dolores ſopire etiam ſæuiſſimos, biliſque ardores retundere maximè affirment.

Quod ſi horum placita vera ſint, quî fieri poteſt, vt huius medicamenti vſu Parthonopeus morbus profligetur? Nam quæ frigida ſunt, & craſ-

& crassamentū substantiæ habent, potiùs apocroustica quàm epispastica esse censentur: & quo frigidiora, eo magis in corporis penetralia humores protrudunt. Sunt enim apocroustica epispasticis succos ex internis partibus ad superficiarias euocantibus plane cōtraria.

Hac igitur ratione inferamus oportet, hydrargyrum narcoticum medicamentum tunc morbum potiùs augere quàm curare, propulsis ad interiores partes humoribus, quos prouida natura internarum partium integritati consulens, ad partes minus principes, & corporis habitum detrudit. Et quamuis Aristotele teste, aërea & tenui substantia, quæ in partes corporis profundas se insinuat, sit perfusa, nihilo secius humores eliquare, & sudores ciere, hoc opus frig. vehementi impediente præstare minimè poteſt, neque derelicta (vt aiūt) morbi radice, solis symptomatis opem ferre: cum sensus, & quotidiana experientia, non solùm pacata,

cata, ex huius vnctione, ſymptomata, ſed morbum planè auulſum, neque reuireſcentem, aut recurrentem, teſtentur. Infirmam profectò mentem habet, qui demonſtrationem contra ſenſus iudicium quærit.

Quod autem tremores, paralyſin, creber illius vſus excitet, hoc non frigiditati, ſed potiùs caliditati, per accidens morbos frigidos procreanti, feramus acceptũ oportet. Nonne generoſum vinum, quod ca. tertio ordine eſt, reſolutionem, comitialem morbum, & ſæpe apoplexiam, frigidas atque humidas ægritudines parit? Quis neſcit podagras, arthritides crebro gilui & tenuis vini potu commoueri? Teſtis eſt Burdegalenſis plaga, in qua innumeros ob vini maximè tenuis vſum podagricos comperies. Sic hydrargyrus ca. venenatæ qualitatis particeps, neruorum & cerebri calorem ita deiicit, vt illarum partium concoctrice facultate labefactata, morbi frigidi ſuboriantur,

liuidi

liuidi & tremebundi efficiantur dé-
tes, ipſaque anima olida reddatur,
cum magna pituitæ expuitione &
oris vlceribus.

Concludamus oportet, Galenũ, Paulum, & alios bonos autores ſequuti, hydrargyrum 2. ordine completo potiùs calidam quàm frigidam eſſe, cum ab effectis, Gal. autore, in noſtra corpora facultates medicamentorum deprehendantur, & hanc curationis huius morbi autorem & opificem præcipuum eſſe, quæ commodè ſuillæ axungiæ aut butyro miſcetur, tum vt extinguatur, & promptiùs & multo meliùs ſuum munus exerat, tum vt ex harũ rerũ miſcella extincta, optimè retineatur, & in penetralia corporis ſe probè inſinuet. Præterea ab omnibus rationalibus medicis eſt receptum axioma, curationem per contraria fieri, ſi hydrargyrus frig. eſſet, morbum calidum expugnabit. Sed Parthonopeus morbus, vt ſymptomata illius fidi teſtes oſtendunt, potiùs

frigi

frigidus eſt quã calidus, qui huius vnctione profligatur. Erit igitur calida potiùs quàm frigid. hydrargyrus.

Vnctionis hora commoda erit matutina, peracta concoctione, & depulſis alui excrementis. Et vt os & dentes minorem ſubeant nóxam cùm corpus inungitur, aureus annulus ore detinendus eſt, aut aureũ numiſma, quod argento viuo ſaturatum, & in accenſos carbones proiectum & infrigidatum, rurſus ore detinebitur. Ab vnctione deſiſtendum nõ erit, donec alui fluor, aut frequens pituitæ ſputum acceſſerit. Si in macilento & extenuato corpore vires defatiſcant, erit proba, & coctionis minimè operoſa alimonia reficiendum corpus, & vno atque altero die, aut pluribus, ab vnctione deſiſtendum, donec recreatis viribus hanc faciliùs perferre poſſit. Aluo conſtipata, ſupponere glandem ex cocto melle, aut clyſterem erit ex vſu, tumidis gingiuis, oris & linguæ

guæ vlceribus ſic erit proſpiciendum.

℞. Decoct. hordei integri ℔. j. mell.roſ.col.℥. ij. fiat oris collutio vel gargariſmus. Propinanda erunt ex capo vel gallina iuſcula, exhibendus panis lotus & bene coctus, vel oua recentia & trementia erunt adminiſtranda, propinandum quoque vinum generoſum, cum ob oris incommoda ſolidas duraſque res comedere citra maximam noxam non poſſint. Procedentibus linguæ & gingiuarum vlceribus hęc ſublimata aqua,roſacea parum mixta per ſpecilli cuſpidem bombace munitam tangenda erunt, vt vlcus à pituitoſa hydrargyri qualitate obortum exiccetur, & malo procedente ſequenti medicamento erit vtendum.

℞. Hordei parum contuſi p. j. fol.plantag.ſolani,ſummitatum rubi ſing.M.j.baccarum fol. myrti & roſarum rub.ſing. p. j. florum viol. p.ß.fiat decoct.in col.qu.ſ.diſſ.ſucci roſarum depurati ℥. ij. diamori ℥.j.ß.

℥.j. ß. fiat gargarismus: in magno ardore & dolore ex ouino vel vaccino lacte à butyro nequaquam secreto ab illo, collu. erit commoda aut butyri recentis in ore detentio. Magno harum partium dolore perseuerante, affigentur cucurbitulæ scapulis reuulsionis ergo, medicata potio in vnctione ipsa vtilis erit, eo quod humorũ in os cursum præpedit (non tamen eo die inungendum corpus) hæc in sequentem parabitur modum.

℞. Confect. hamec. & elect. diacarth. sing. ʒ. ij. syr. rof. solut. ℥. j. aquarum betõ. & bugloss. sing. ℥. ij. fiat potio. Et quia sæpe ex ipsa vnctione in magnam virium imbecillitatem corruunt, erit huic remedio sequenti occurrendum.

℞. Conseru. rad. bugloss. & flor. borrag. sing. ℥. j. conseru. rof. & acetosæ sing. ʒ. vj. pulu. diamarg. frig. ℈. iiij. corall. rub. ʒ. j. syr. de pomis bene olentibus q.s. ad incorporandum, fiat opiata de qua singulis matutinis capiet ad quantitatem

vnius

vnius castaneæ horis duabus ante prandium. Linteamina & subuculam cùm vnguento vtetur non mutabit, donec manifestæ & perseuerantes apparuerint euacuationes fieri solitæ per sputum, copiosos sudores & alui fluxum, qui nonnunquam tam vehemens est, & ab acri humore excitatus, vt dysenteriam gignat. Cui sequentibus remediis erit occurrendum.

℞. Decocti hordei integri ℔.j. diss. mel. ros. col. sacch. rub. sing. ℥.j. ß. vitell. ouorum recentium num. ij. misce, fiat clyster, supponatur conuenienti hora. Alui fluore perseuerante pluribus vicibus erit iniiciendus, & sequentibus vti non erit à ratione alienum.

℞. Lentium parum contusarum p. ß. hordei integri p. j. ros. rub. ʒ. ij. fiat decoct. cape de col. ℔.j. diss. butyri recent. vel sebi hircini ℥.j. butyrum dolores magis lenit, sed hircinũ sebum vlceribus veluti operculum inducens, vlcerum irritationem & incrementum ab humo-

re

re acri illas partes lancinante impedit. misce, fiat clyster. Vel sic.

℞. Florum chameleontæ albæ ℥. j. rof. rub. baccarum, fol. myrti sing. p. j. fiat decoct. in aqua pluuia & calybeata & in col. ℔. j. diss. succi plantag. & solani depurati sing. ℥. ij. vitell. ouorum num. ij. fiat clyst. Parari potest etiam ex caprino lacte calybeato vel candentibus silicibus vstulato. Concedetur etiam sequens medicata potio.

℞. Rhabar. optimi parum assi ℈. iiij. corticum myrobal. citrearum & cebularum sing. ʒ. ß. syr. de rof. rub. sicc. ℥. j. decocti fol. plantag. & turionum myrti ℥. iv. misce, fiat potio danda prima luce. Sequentis quoque præsidij vsus erit salubris.

℞. Confer. rosarum veteris, conseruæ symphyti sing. ℥. ij. carnium citon. sacch. conditorum ʒ. vj. myrobal. emblic. sacch. cond. ℥. ß. corticis citri sacch. conditi ʒ. iij. trochiscorum de spodio cum semine acetosæ ℈. iv. corallij rub. ʒ. j. pulu. diamarg. frig. ℈. ij. syr. de rof. rub. sic.

ſic.q.s.ad incorporandum,fiat opiata,de qua per horam ante ſuos paſtus capiet ad quantitatem vnius nucis comeſtibilis.Qui ſui iuris nō ſunt, ſed aliena quadra viuunt, vnguenti loco ſequentibus ceratis vtentur, quæ dolorem ſedant, & ſuccum noxium ex penitiore loco euocant. hæc parari in ſequentem modum debent.

℞.Gummi ſagapeni, ammoniaci ſing.ʒ. vj. terebinth. reſinæ pini ſing.℥.viij.diſſoluãtur ſupra ignem cum aqua vitæ, poſtea incorporentur lithargyri auri ceruſæ ſing. ℥. j. ß.thuris ʒ.x.euphorbij ʒ.iij.vuę tamineæ ℥. j. axungiæ porci à membranis mundatæ & per colum medicum transfuſæ ℔. j. hydrargyri cum ſuo liquore extinctæ ℔.ß.olei de lilijs, de ſpica & ceræ albæ ſing. q.s. donec ad cerati conſiſtentiam reducantur.fiãt magdaleones,ſupra tenuem alutam extendantur, parentur emplaſtra magnitudinis requiſitæ, quæ brachiis, femoribus, inguinibus, & tibiis ipſiſque iun-

cturis admouebis & tertio quoque die mutabis, tamdiu in illorum vsu perseuerabis, donec quæ supra dictę sunt euacuationes appareāt. Vel sic.

℞. Rad. mandragoræ ℥. iiij. rad. bryoniæ, cucumeris asinini & radicis elenij sing. ℥. iij. axungiæ anatis & gallinæ sing. ℥. v. olei de spica, chamom. & de lilio sing. ℥. iiij. vini albi ℔. ß. bulliant ad vini consumptionem, pistentur postea, per cribrum medicum transfundantur, addendo gummi ammoniaci, galbani & opopanacis diss. in aq. vitæ sing. ℥. ij. styracis liquidæ ℥. ij. ß. argenti fusilis cum axungia porci extincti ℥. iiij. cum debita ceræ quantitate. fiāt magdaleones. Vel sic

℞. Massæ emplast. filij Zachariæ, & diachylonis minoris ireati, sing. ℥. iiij. massæ emplastri ceronei ℔. ß. Euphorbij ℥. ß. cinabrij ʒ. vj. olei de lilio q.s. fiat ceratum. Vel sic.

℞. Vnguenti Aragon & marciati sing. ℔. ß. gummi hederæ ℥. j. ammoniaci, bdellij, opopanacis disso. in oleo de lilio sing. ℥. j. ß. terebinth.

binth. abietis ℥. iij. aristolochiæ rotundæ, styracis calamit. & rub. sing. ℥. ß. argenti viui cum butyro recenti extincti ℥. ij. ß. resinæ, olei vulpini & ceræ citrinæ sing. q. s. fiat ceratum. Ad exostoses & sæuos dolores sequiens præsidium optimum habetur.

℞. Massæ emplast. Ioannis Vigonij, aut de ranis ℔. ß. massæ emplastri gratia Dei & filij Zachariæ sing. ℥. ij. Malaxētur manibus inunctis oleo de spica, fiat magdaleon. Danda tamen erit opera, vt ante horum vsum corpus sit plane repurgatum, aut sectione venæ (si opus sit) euacuatum, sequenti medicamento potissimum vbi morbus inueteratus erit, vtetur.

℞. Rad. Enulæ camp. ciperi & acori vulgaris sing. ℥. j. corticis citri sicci ℥. ß. hermodactylorum ʒ. v. bethon. arthem. sampsuci, chamepytheos, chamedr. primulæ veris sing. M. ß. herbarum capil. com. vtriusque bugloss. cum radicibus, vtriusque cichorij, acetosæ cum to-

to, fumariæ, mercurialis ſing. M.j. prunorum dulcium, paſſularum à gigartis repurgatarum, iuiubarum ſebeſten ſing. p.xv. ſem. aniſi, fœniculi ſing. ʒ.ij. galangæ minutæ ʒ.iij. folliculorū ſennæ, polypodij querni recentis ſing. ℥.iij. medullæ carthami contuſæ ℥.ij. Agarici recent. trochiſcati in ligatura poſiti ℥.j. florum chamom. ſtœchad. bugloſ. roriſmar. ſing. p.j. florum centaurij minoris p.j. ß. fiat decoct. cape de col. ℔.ij. In quibus diſſol. ſacch. albiſſ. & ſyr. de fumo terræ ſing. ℥.iij. ß. miſce, fiat ſyrupus, cuius media pars clarificetur & mediocriter decoquatur, quam capiet in tribus doſibus. Alteri parti perfectè decoctæ miſc. ſyr. roſ. ſolut. ℥. iiij. Capiat ℥. iij. diſſo. in decoct. bugloſ. fumariæ, mercurialis, vel huius loco propinari poterunt catapotia ſequentia.

℞. Maſſæ pill. de fumo terræ, hermodactylorum & fœtidarum maiorum ſing. ℈. j. trochiſcorum alhandal. (ſi robuſtum ſit corpus) ℥. iiij. malaxentur cum aqua betonicæ,

tonicæ, fiant pillulę vj. quas deglutiet hora ſecunda poſt mediam noctem leui cæna præcedente, cũ cuſtodia & regimine artis. Multi probant catapotia ſequentia, quæ niſi in peruicaci morbo & valido corpore concedi non debent.

℞. Aloës ſuccocitrinæ ℥. j. rhabarb. elect. & agar. ſing. ʒ. ij. argenti fuſilis in ſucco roſarum extincti ʒ. j. ß. ambaræ cineritiæ, moſchi ſing. ℈. j. myrrhæ electæ ʒ. j. paũca terebinthina abietina excipiantur, fiat paſta pil. ex ʒ. j. formentur pillulæ 7. vel 8. capiat duas pro prima vice, deinde tres, poſtea quatuor. Si diues ſit æger & ſumptum ferre poſſit, addes limaturæ auri obryzi ℈. j.

A calcinati antimonij, præcipitati aut ſublimati vſu omnino abſtinendum cenſeo, tum quia eſcharotica & vrentia medicamẽta ſunt, tum quia ventriculo & inteſtinis ſunt maximè moleſta. Quod verum eſſe comperi in quodam aulico Chirurgo, qui cum febre quar-

tana diſtorqueretur, cuiuſdam medici conſilio ſtibij calcinati ℥. iiij. cum conſer.roſ.ʒ.j. deuorauit, qui paulo poſt in tam profundum vomitum eſt collapſus,& in tam magna ventris tormina,vt niſi aliorum medicorum remediis fuiſſet reſtitutus,vitam cum morte commutare paratus iam eſſet. Satius itaque duco ab his ſuſpectis venenatiſque præſidiis abſtinere,quàm aliorum ſcriptis temerè fidem adhibere, & homines ſic excarnificare, cùm nobis tutioribus, & corpori noxam non allaturis vti ſit datum.

Non deſunt qui colocynthide & turpeto paſſim vtantur,quorum ſententiam non valde probo.Quod ſi his vti oporteat, conſulendus erit exercitatus, & qui experientia plurimum valeat medicus,qui contemplato virium robore moderari pro ſua prudentia nouerit, nihil enim temerè in tam digna, tamque nobili materia (qualis eſt corporis humani)experiri fas eſt.

Gal.co. in 1. apho. 8.apho.

Pleri

Plerique in diutino morbo, & qui iam longo tempore corpus torsit, quando vident vng. irritum esse vsum, ab his abstinent, & sequenti methodo curationem aggrediuntur. Constituunt ægrotantem nudum, & bene euacuatum sub conopeo, in quo ferreum aut æneum vas rutilentis prunis munitum reponunt, supra quas sequēs medicamentum proiicientes ex illo suffitum faciunt, & bene clausum papilionem seruantes, dant operam vt corpus fumum hauriat, qui sudores mouet, & pituitam ex ore elicit.

Suffitibus ad fœdam & mordicus hærentem scabiem vsa est antiquitas, non tamen consulendi sunt ad tabem, hecticam, asthma procliuibus, nec nisi priùs roboratis extis principibus, & mitiorum medicamentorum vsu præcedente, sunt aggrediendi. Quare antequam conopeum ingrediantur ex capo ius haurient, aut oua sorbilia, vel albissimi panis vino generoso satura-

ti buccas duas comedent, vel cardiaco aliquo medicamento fruentur, quale eſt conſerua roſarum, rad. bugloſſ. manus Chriſti cum vnionibus. Ex ſequentibus itaque ſuffitus parabitur.

℞. Cinabrij ℥.ij. olibani, gummi iuniperi ſing. ℥. ß. ſtyracis calamitę, benioini ſing. ʒ.ij. trochiſcorũ galliæ & aliptæ moſchatæ ſing. ʒ.j. puluerentur & terebinthina excipiantur, fiant paſtilli ponderantes ʒ.vj. Vel ſic.

℞. Theriacæ probatæ ℥. ß. cinabrij & auripigmenti ſing. ℥. j. ß. benioini & myrrhæ ſing. ℥. ß. aquæ meliſſæ, eliquationis gummi traca. q. s. ad excipiendum, fiant paſtilli ponderis ℥. ß.

Si huius ſuffitus odorem citra ſuffocationis periculum ferre non poſſit, caput extra conopeum teneat, reliquis corporis partibus apprimè tectis, ne frigidus aër in penetralia corporis ſe inſinuans, miros articulorum cruciatus moueat, & tunc bene ſudantem, calidis pannis

nis inuolutum, vt rursus sudet in lectum collocabis,& alimentis euchymis corpus reficies. Fractis autem viribus, suffitibus tantisper parcendum erit donec corpus suas vires collegerit. Sed cordi syncopen patienti cardiaca potione, aut cardiaco epithemate prospiciendum erit.

At multos tam morosos sæpe offendimus, qui vnguentorum aut suffitus vsum respuant, hunc morbum aliis remediis profligari posse sperantes, his instituendam eam victus rationem quæ ex sequenti medicamentorum decocto paratur, suademus. Quæ quamuis in lõgius tempus curationem protrahat, à tam nefanda pernicie nihilominus plerosque liberare quotidiana experientia docet. Quam post totius corporis exactam euacuationem pro humoris noxij natura sic aggredieris.

℞. Ligni sancti aut guaiacini nõ gladio aut contundente pistillo, sed lima in pollinem redacti ℔. j.

corticis eiusdem ℥. j. Infundantur per dië naturalē in xij.℔.aq.fontis, bulliăt in vase vitreato lento igne, sine fumo,seruata diligenter in pyxide , aut alio vase mundo spuma (vlceribus ab hoc morbo contractis vtilissima)donec redeant ad ℔. iiij.in robustis corporibus , ad sex in debilioribus,ad x.in pueris,facta col.reponatur in amphora vitrea. Dentur ℥.viij.horis antelucanis,tegatur corpus plus solito,sudădo citra molestiă deterso postea à sudore corpore, trăsferat se in aliũ lecti angulum,& vbi per horam quieuerit , prandeat solito multo frugalius. Vescetur interea pane semidalite , bene fermentato & biscocto,carnibus veruecinis, caponum, gallinarum , atagenarum,lactantis vituli , auicularum montanarum, ficedularum,assarum potius quàm elixarum.A iusculis,offis,suillis,bubulis , aquatilium auium carnibus abstinebit, piscibus , leguminibus, crudis herbis,radicula,brassica, vaporulentis cibariis,acidis , omphacio,

cio, malorum aureorum ſucco parcendum, à ſale ſalſiſque cibis abſtinendum, ne guaiaci operatio impediatur. Quemadmodum perfrictus allio magnes ferrum attrahere prohibetur.

Amplius ſi quis roget cùm hic morbus ſit chronicus, cur tenuis victus ratio, contra Hip. ſententiam inſtituatur, dicendum ligni guaiacini decoctum non tantum medicamentum eſſe, ſed alimentum ob eius magnam craſſitiem: tremula vel ſorbilia oua concedi poſſunt; grana pini aqua hordei macerata, cum ſacch. momento: amygdalæ ſaccharatę & placētæ ſacch. ſaturatæ piſtillo maceratis dulcibus & putamine priuatis amygdalis (marſos panes vocant) vtiles, vuæ paſſæ detractis gigartis, citri cortex ſacchi cōditus, dentibus probè tritus. A vino omnino abſtinēdum ſuademus, cuius loco, ligni ſancti decocto erit vtendum. Quod in ſequentem modum ritè parari poterit.

℞. Fæcem prædicti ligni additis

℥. ij. ligni noui, decoquatur in ℔. xvj. aquæ fontis, donec redeant ad ℔. x. transfuſo per medicum colum liquore, vtere. Moroſi ægrotantis palato facies ſatis ſi ℔. j. ſacch. cum ℥. ß. cinamomi miſceas, vt transfuſus ad aromatitis vini inſtar potus ſit gratior. Si propter cõſuetudinẽ, cui aliquid autore Hip. eſt condonandum: aut virium imbecillitatem abſtinere à vini potu nequeat, concedẽdum erit in prandio & illo frugaliore cœna, ſed oligophoron & guaiacini decocto probè dilutum: piſces non ſolum fugiendi ſunt, ſed neque guſtandi, quia frigidam & humidam alimoniã corpori ſuggerunt. Seruabitur hæc victus ratio in 30. aut 40. diem, cuius vſum & ſucceſſum fœlicem tibi bona ægroti tolerantia & ſymptomatum inclinatio monſtrabit. Sed paulo antequam ad aſſuetam viuẽdi normam transferatur æger, vt humoris noxij reliquiæ in totum aboleantur quæ nouam rurſus defluxionem excitare poſſint, purgato

2. apho.
7 apho.

rurſus

rursus corpore, aliquo ex prædictis vnguentis erit illinendum corpus.

Quibus dexterè peractis, non repentè, sed sensim ad assuetam viuēdi rationem reducatur. Hac viuēdi lege pertinacia vlcera nonnunquā curantur & exostoses delentur aut magna ex parte minuuntur. Quibus perseuerantibus emplastra aut cerata ex sequentibus adhibebis.

℞. Massæ emplastri diachylonis minoris ireati ℥. iiij. massæ emplastri de ranis ℥. v. malaxentur inunctis manibus oleo keirino aut liliaceo, fiat magdaleon, de quo formentur emplastra magnitudinis debitæ. Vel sic.

℞. Rad. mandragoræ & liliorū alborum sing. ℔. j. rad. cucumeris asinini & bryoniæ sing. ℔. ß. axungiæ taxi ℥. iij. axungiæ vrsi ℥. iiij. axungiæ gallinæ, anatis & anseris sing. ℥. ij. ß. olei de lilio & chamom. sing. ℔. ß. contusis prius radic. decoquantur optimè, & per colum medicum postea transfundantur, misce hydrargyri cum suilla axun

ticeæ & fænugræci ſing. ʒ. ij. ß. Supaxungia extinctæ ʒ. v. hermodactylorum ℥. ij. pulu. irid. florent. ʒ. iiij. terebinthinæ ℥. iij. ceræ q. s. fiat ceratum. Vel ſic.

℞. Emplaſtri Ioannis de Vigo. ℔. j. maſſæ emplaſtri filij Zachariæ & apoſtolici chirurgici ſing. ℔. ß. malaxentur manibus inunctis oleo de lilio, fiat magdaleon molle, adde cerati œſipati ʒ. iiij. argenti viui cum ſuilla axungia extincti ʒ. ij. his qui ob egeſtatem vel magna negotia domi reſidere non poſſunt & peregrinari coguntur, alius curationis modus inſtituendus erit. Quorum brachiis ad carpum vſque, homoplatis & coxis, & aliis partibus dolore tentatis admouenda erunt magna emplaſtra, prius bene repurgatis; quæ in ſequentem modum conſtrui opportunè poterunt.

℞. Maſſæ emplaſtri diuini, diachylonis magni cum gummis ſing. ℔. j. empl. de meliloto ℔. ß. ſtyracis liquidæ, ladani puri & maſtiches ſing.

ſing. ℥. iij. hydrargyri cum adipe gallinaceo extinctæ ℥. iiij. euphorbij ℥. j. ceræ qu. ſuffi. malaxentur cum oleo laurino, fiat ceratum ex quo conſtruantur magdaleones, conformentur emplaſtra, emunctoriis poſterioribus partibus admoueantur, non pectori, ventri & anterioribus locis. Si his medicamentis dolores non conquieſcant, neque tumores membrorum digeri poſſint, ſequentibus præſidiis quæ humores tumorum præcipuam cauſam ſuppurant, vtendum erit.

℞. Rad. liliorum alborum ſub prunis coctarum ℥. iiij. rad. ebulorum, altheæ, elixarum, in mortario marmoreo tritarum ſing. ℥. iij. caricarum pinguium elixarum & contuſarum num. 30. muccaginis ſem. fænugræci, altheæ ſing. ℥. v. fermenti acris ℥. ij. axungiæ gallinæ & porci ſing. ℔. ß. olei de lilio, amygdalarum amararum ſing. ℥. iij. ß. cum ceræ veteris decenti quantitate, fiat magdaleon. Adde farinæ tri-

puratus tumor candenti ferro aut pyrotico medicamento aperiendus erit. his tamen legibus obſeruatis quas lib. 1. cap. de tumorum in vniuerſum curatione docuimus. Quod ſi hæc iuncturis admoueas, verendú erit ne præpediatur aboleatúrve membri functio. Deciſa eſchara baſilicone, butyro, vel medicamento ex oleo roſ. & ouorum luteis parato, vlcus eluentibus & detergentibus, præſertim ſi pus ſit craſſum, in ſequentem modum paratis vtendum erit.

℞. Farinæ hordei ℥. j. myrrhæ, olibani, maſtiches, ariſtolochiæ rotundæ ſing. ʒ. iij. terebinthinæ ℥. j. ß. mell. roſ. col. ℥. j. ceræ parum, fiat vnguentum, quo operta turunda in vlcus mittatur, aut illius loco emmotum, tegatur deinde emplaſtro ex præſcripto vnguento. Vnguentũ apoſtolorum ex Auicenna vel Ægyptiacum in fortioribus naturis, in mollioribus cum baſilicone permixtum probatur. Vbi probè deterſum erit vlcus, emplaſtro fuſco à

Gale

Galeno maximè commẽdato (quod ex oleo lithargyro aceto ad saturitatem coctis fit) vel emplastro diachalciteos adaucta chalcitidis quãtitate coagmentum recipiet. Quod si tenuem saniem euomat, & huic sit calida intemperies copulata, remedij sequentis vsus commodus erit.

℞. Succi plantag. & solani depurati sing. ℥. j. thutiæ diligenter præparatæ, plumbi vsti & loti sing. ʒ. j. ß. caphuræ ʒ. ß. cerusæ aqua rosarum ablutæ ℈. iiij. olei rос. omphacini ℥. iij. Agitentur in mortario & pistillo plumbeis, fiat linimentum. Adde lithargyri auri ℥. ß. Sæpe venenatus ille humor intacta carne caluariæ os erodens, cariei est fomes, vel alterius corporis ossis, cruciatus intolerabiles excitans, quos anodynis aut narcoticis medicamentis vix compescere possumus, tunc ad sectionem, pyrotico medicamento aut rutilante ferro (quod tutius & præstantius est) factam nos adigit. Huic autem nefando

fando malo succurremus præsidio sequenti, quod ossis corrupti squamas decidere facit & cariem absumit: spoliatiuum nostri æui Chirurgi vocant.

℞. Rad. aristoloch. rotundæ ʒ. iij.ß.rad.cannarũ,peucedani sing.ʒ. iij,pulu.iridis, farinæ erui sing.℥.ß. terebinthinæ ʒ.vj. mellis rosf.col.℥. j. ß. concorporentur simul. fiat linimentum.

Aliud quod corrupta ossa detrahit, squamas illorum tollit, cauitatesque replet.

℞. Corticis pini,aristoloch. rotundæ,pumicis vsti sing.℥.j.rad.iridis,panacis & capparum sing. ʒ.vj. mannæ, thuris ʒ. v. myrrhæ & resinæ pini sing. ℥. j. squamæ æris ʒ. ij. terantur subtiliter & cum mellis optimi quantitate congrua, fiat linimentum. Interdum in carioso osse tripanum adigimus aut phacoto & plumbeo malleo, caluariæ os euellimus, vt propinquas ossis partes sanas & à putrilagine tutas seruemus, quod frequentius in

calua

caluariæ ossibus facimus. Nonnunquam exigua terebra os perforamus, & aqua forti ab alchimisticam artem exercentibus excogitata illud perfundimus, qua arte à sano secretum decidit. Quæ tentanda minimè sunt, nisi ritè purgatum fuerit corpus, quod inungi poterit aliquo ex præcedentibus vnguento, quod cariosum os præstantius exsiccabit. Ad hos vsus, euulsis cariosis ossibus, accommodantur cerata, quæ pro varia membrorum temperie variis modis præscribantur oportet. Ceratum de bethonica capiti est congruum, aliis verò partibus sequens est accommodatum.

℞. Sepi hircini ℥. iij. cerusæ & minij sing. ℥. j. ß. lithargyri auri ℥. iiij. boli armeniæ ʒ. x. opopanacis & lacrymæ thuris sing. ℥. j. olei laurini ℥. iij. olei communis ℥. ij. ceræ citrinæ qu. suff. fiat ceratum. Oris & palati vlcera aquæ sublimatæ partibus duabus & rosarum vna per cuspidem specilli

bomba

bombace inuoluta tangenda erunt. Quibus ſequens gargariſmus erit idoneus.

℞. Roſarum rub. baccarum foliorum myrti ſing. p.j. flor. viol. p.ß. ſem. acetoſæ, endiuiæ ſing. ʒ. ij. fiat decoct. in aqua hordei perfectè cocti, de colatura cape ℔. j. ß. diſſ. ſyr. viol. ℥. iij. fiat gargariſmus. Gargarizet frequenter.

Aliqui Guaiacini ligni decocto, ſennam, polypodium, agaricum miſcent, & in robuſtioribus corporibus colocynthidem, ſperantes ſe his medicamentis humores noxios qui in corporis habitu ſunt ad illius centrum reuocare. Quorum ſententiam non magni facio, quia hæc citra magnam humorum perturbationem, & præcipuorum extorum noxam, fieri non poſſunt. Adde quod ſudores, quibus fuſi per habitum corporis humores commodè euacuantur, ſiſtent.

Multi huius mali curationem tentant ex apiæ radicis decocto (quam nonnulli cinnam vocant) victus

victus ratione instituta. Sed oportet arbitremur radicem hanc à Dioscoridis apia maximè alienam, hæc enim bulbosa est, & pyri imaginem referens, vnde nomen accepit, vere nascitur, datur ad expurgandum corpus: altera Dioscoridi & antiquis medicis incognita, cannarum aut iunci radicis effigiem æmulatur. Gustu insipida, ab hoc apia, sine sapore ab aliquibus vocata. Media esse videtur inter calamũ odoratum & galangam crassam, quæ propriè acorus dicitur. Est calamo odorato crassior & solidior, sed galanga leuior & rarior, ca. in primo ordine, sicca in secundo, cuius vsus sic erit instituendus.

℞. Rad. cinnæ non leuis & cariosæ, sed solidæ & ponderosæ ℥.ij. diuidatur cultro bracteatim vel taleatim, aut in tenues laminas. Infundatur per diem naturalem in ℔. x. aquæ fontanæ, decoquantur lento igne sine fumo, in olla noua & vitreata donec redeant ad ℔.iij. Transfusum per colum medicum

decoctum

decoctum in amphora vitrea reponatur, capiat prima luce ℥.viij. purgato prius corpore, tegatur, vt superius fuit dictum, plus solito, corpus sudet ad placitum, regatur vt iam fuit traditum. Et ex magmate addendo ℥.j. cum xij. ℔. aq. fonta. fiat decoctio, donec redeant ad dimidias. Colatura facta, & vase vitreo reposita vtatur vini loco in suis pastibus & extra illos. Quod si saporis gratioris ergo sacch. ℔. ß. misceas, erit gustu gratior. Deligēda ponderosa radix, recens, rubido colore, non senio cariosa, & parum nodosa. In hac victus ratione 30. dies cōpletos se continebit, & cùm sudores minus, vrinas magis moueat, & suppressæ per aluum deiectionis causa sit, purgatorio medidicamento vtetur.

Sunt qui apiæ decoctum biliosis corporibus magis conferre pituitosis Guaiacini ligni statuant. Sed ego vtrisque tēperaturis Guaiacini ligni decoctum magis commodum iudico, cùm sit magis medica

dicamentosum. Est enim radix apia qualitatis corpus afficientis expers, vt illius insipidus sapor indicat. Cùm ergo in corpus parum aut nihil agat, quî fieri potest vt tam lentos ac viscidos succos excitatis sudoribus euacuet? Quod si dicas hoc remedio multos fuisse leuatos, dicam hoc potiùs inediæ & tenui victui quàm medicamento ascribendum esse. Sarzæ parilliæ decoctum smilacis asperæ imaginem referentis, vtilius mea sententia est, vt certus medicamentorum qualita. censor gustus pollicetur. Si Guaiacini decocti ligni calore naturam defatigari quis arbitretur, quod illius vsu hepatis calor magis accendatur, sciat oportet, si bene dilutum sit, corpori officere non posse. Hæc itaque curantis medici arbitrio relinquimus excogitanda. Et quia infiniti penè medici sceleratissimi huius morbi curatiuam methodum præscripserunt, quorum remedia ab imperita etiam plebe in dies

dies tractantur, huic de morbo Neapolitano curationi colophonem & vltimam manum imponam, ad quartum nostri instituti librum me conferens.

Finis III. Libri.



DE



DE AGNOSCENDIS CVRANDISQVE TVMORIBVS præter naturam.

Auctore

ANTONIO SAPORTA *Doctore Medico.*

LIBER QVARTVS.

CAP. I.



Ggressurus de tumoribus præter naturam a melancholico humore excitatis tractationem, primum omnium quid melancholia, quid atra bilis sit, & quænam inter hos succos constituenda differétia, denique

qui ab his humoribus tumores procreentur, horum methodo curatiua haud prætermiſſa, docebo. Eſt autem melancholia ſanguinis limoſa atque fæculenta pars, fæci vinariæ haud abſimilis, colore ſubnigra, & ad médium generis collata, frigida & ſicca, melancholicis & duris partibus alendis vtilis, in vaſis putreſcens quartanam continuam, in corporis habitu intermittentem excitans, metum & triſtitiam ſine manifeſta cauſa inducens. Melancholiæ morbi, qui à putata cauſa nomen deſumpſit, eſt origo, à bile adaſſata genita deliramenta ferina & inſaniam indomitam parit, in partes corporis delapſa, & in his coaceruata tumores curationi pertinaces, cuius ergaſtirion & officina eſt lien, ab illius puriore & ſelectiore parte nutritus, quem cùm ob obſtructionem attrahere non poteſt, fœdo colore vniuerſum corpus inficit. Atra bilis à melancholiæ naturalis aduſtione genita aut flauæ bilis, quæ inter om

omnes eſt maximè pernicioſa, morbos contumaces & ſæpe remediis ſuperiores, cogitatuſque medici ſpernentes facit. Quapropter hanc toto genere præter naturam eſſe exiſtimandum eſt. Priùs igitur de tumoribus à melancholia naturali progenitis (quos ſcirrhos nominamus) agemus, deinde inſtituto iam ordine de aliis nobis erit ſermo.



De Scirrho.

C A P. II.

SCirrhum tumorem durum eſſe tactui renitentem, œdemati planè contrarium, tota medicorum ſchola tradit, hunc in legitimum & illegitimum diuidens. Legitimus planè durus eſt, doloris expers & inſanabilis. Scirrho durities accedit ab humoris ſiccitate & craſſitie. Doloris ſenſus abeſt, quia craſſus & lentus humor inania ſpatia ſubiens, neruos, neruoſáque corpora replens, ſpiritui

animali viam occludit, à quo omnis vis ſentiendi & mouendi proficiſcitur. Tanta eſt in iſto tumore durities, vt plus doleat & afficiatur percutiens quàm percuſſum. Durum id vocamus quod in ſe non cedit: id autem tribus dicitur modis, vt ca. frigi. vno ſiquidem abſolutè ſeu in ſummo, vt terra dura: altero per exceſſum, vt os, vnguis, cornu: tertio ad ſymmetrum ſui generis, vel ad quoduis collatum; hoc modo non ſimpliciter durum, ſed durius appellatur. Porrò corpus hoc dum ſanum erat, durum tribus modis efficitur, vel quia ſiccum exhauſta humiditate, vt ca. ſiccitas, quæ à vehementi motu, vel ſolis æſtu fit, à medicamentis ſiccantibus ſumptis vel admotis, inedia, ardente febre, animi pathematis, vel quia à frigido concreſcit intemperatura frigida ſcilicet, vel à medicamentis apocrouſticis inſigniter refrigerantibus. Quod propriè durum dicitur, vel ab immodicè digerentibus reſoluta tenuiore parte, & fæculentiore

tiore

tiore remanente & lapideſcente, vel a vento, vaporéue in aliquam partem affluente: quod durum ἀντίτυπον, id eſt, renitentiam Græci vocant. Quæ reficiũt & humectant duritiei primo modo ſunt idonea: quæ propriè malactica ſunt, ſiue emollientia: ſecundo modo, quæ diſcutiunt & euacuant, tertio ſunt conſentanea. Scirrhus illegitimus non omnino inſenſilis, qui quamuis non facilem curationem admittat, non tamen eſt prorſus inſanabilis.




De cauſis Scirrhi.

CAP. III.

Legitimi & illegitimi procatarcticæ cauſæ ſunt, aër & aqua morbum hunc efficientia, qui aliquando endymius eſt. Alimenta ſuccum melancholicum & craſſum gignentia, quorum ad Glauconem 2. & 3. de loc. aff. Galenus meminit. Mœror inſuper, iuges vigiliæ,

altæ & perſeuerantes meditationes. Cauſæ corporeæ ſunt, humores melancholici ſinceri, vel pituitoſi, lenti, tenaces, & humori melancholico mixti, qui lapideſcentes membri ſenſum auferut, & hic ſola Chirurgia & non medicamentis curatur. Illegitimi cauſæ ſunt duplices, quarum aliæ ſunt prædicti humores, qui non ita obduruerunt, vt horum cauſa ſenſu ſit pars priuata. Aliæ quando ex eryſipelate, aut phlegmone non dexterè curata, frequētiùs certe legitimus, quem Auicennas ſephiros purum vocat, ab humore melancholico, illegitimus à phlegmone, vel malè digeſto eryſipelate per μετάςασιν naſcitur. Si humori melancholico ſanguis miſceatur, fit ſcirrhus phlegmonodes, ſi bilis, eryſipelatodes, ſi pituita tenax & craſſa, œdematodes: quartana deſinente etiam contingunt ſcirrhi tam interni quàm externi, qui bus hæmorrhoidum ſuppreſſio etiam anſam ſuggerit.



De vtriusque Scirrhi notis.

Cap. IV.

SCirrhi legitimi notæ inseparabiles duæ tantum sunt, durities paulò minor quàm in exostosi,& doloris priuatio.Huius color liuidus est, & coloris humoris à quo dependet naturam sequens, cum tensione & duritia vehementi, ita vt inter tumores à materia profectos, illo, præter exostoses,duriores non reperias. Aliquando,Auicenna teste, in isto supereminent pili, membri æqualem intemperiem commonstrantes, ab humore melancholico excitatam. Duo itaque signa pathognomica (vt diximus) sunt constituenda, quorum alterum est durities, alterum doloris priuatio, qui enim cum dolore est molestante, ad cancri naturam (vt suo demonstrabitur loco) accedit. Huius (vt iam diximus)deplorata est curatio. Illegitimi color similis est corporis co-

lori cum ſenſu aliquo, qui frequenter à pituita reſiccata, melancholiæ æmula oritur. Hunc Galenus in ſimplicium ratiociniis, ſcirrhum album vocat, cuius ſequenti capite inſtituenda erit curatio, quæ fruſtra ſæpe ſuſcipitur. Hepatis ſcirrhus confirmatus curationem non admittit, Galeno teſte, qui hydropis ſemper prodromus exiſtit. Durus tumor omnes corporis partes diuexare poteſt, ſed mammas & vterum præcipuè: ſi ſine doloris ſenſu ſit, & vterum moleſtet, ſcirrhus, ſi cum doloris ſenſu ſit, ſcirrhoma dicitur, non dexterè curatus facile in cancrum mutatur.

5 ca. de ortu ſcirrhi.

2. ad Glauc.



De Scirrhi illegitimi curatione.

C A P. V.

ILlegitimi ſcirrhi curatio tribus obſeruatis ſcopis abſoluitur. Quorum primus conuenientem viuendi normam præſcribit. Secundus aggrediendam humoris noxij

noxij euacuationem. Tertius humoris parti iam impacti emollitionem & digestionem.

Primus igitur scopus vitam sobriam, ad ca. & hu. inclinantem præcipit. Quare euchymorum ciborum vsus erit conueniens, qui bonum & laudatum sanguinem gignere queant. Sit aër temperatè cal. & hum. & similis temperaturæ quam incolit regio. Panis triticeus probè subactus cum pauco sale congruus. Ex vitiatis seminibus inutilis, ex zea præsertim. Generosum vinum odoratum deligendum, nisi ab humoris exustione scirrhus fiat, tunc profectò tollendum est, aut quàm maximè diluendum. Crassum, austerum & turbidum quàm maximè vitandum. Pullorum, caponum, lactantis vituli, gallinarum, lepusculorum, perdicum, turturum, attagenarum caro vtilis, oua recentia & sorbilia commendantur, fugiendum olerum genus, brassica præcipuè, legumina omnia vitanda, necnon

bubulæ, ſuillæ & hircinæ carnes. Salictarij lupuli turiones vtiles, vtilis borrago vtraque, intybus, lactuca, & quæ ſanguinem puriorem efficere poſſunt, proſequenda. Et vt vno verbo claudam, fugienda omnia quæ à Galeno in comment. de loc. aff. ſunt tradita. Labores corporei ſint moderati, affecta tamen parte quieſcente.

3. ca. de melãch.

Secundus ſcopus circa antecedentis cauſæ coctionem & euacuationem verſatur. Priùs itaque iniiciendus erit aluum emolliens clyſter, præſertim ſi ea aſtricta fuerit: vel illius loco ex medulla ſiliquæ ægyptiacæ, catholicone, diaphœnico, parandus bolus, ſequenti die, ætate & viribus permittentibus, & extuberantibus venis, mittendus erit ſang. vt ſanguinis miſſione diminutis humoribus, reliquiæ meliùs concoqui poſſint. In ſequentem ergo modum concoctionem aggrediemur.

℞. Syr. viol. de epithymo, de pomis

mis bene olentibus, ſing. ℥. ij. mell. roſ. col. ℥. j. aquarũ bethonicæ, meliſſæ, bugloſſæ ſing. ℥. v. pulu. diamarg. frig. & diarhod. ſing. ℈. ij. fiat ſyr. clarificatus & aromatizatus, capiat in 4. aut 5. vicibus de mane. Vel ſic.

℞. Bethonicæ, lapati acuti, vtriuſque bugloſſ. vtriuſque cichorij cum radicibus, turionum lupuli, aſparagorum, meliſſæ, herbarum capill. com. roſtri porcini ſing. M. j. paſſularum exacinatarum, prunorum dulcium, iuiubarum, ſebeſten ſing. pa. xx. ſem. aniſi, fœnic. ſing. ʒ. j. ß. glycirrhizæ raſæ ℥. j. medullæ carthami contuſæ, polypodij querni recentis, foliorum ſennæ ſing. ℥. ij. Agarici in ligatura poſiti ℥. ß. zingiberis ʒ. ß. vel agarici loco in fortioribus naturis turpeti electi in ſero lactis caprini macerati ʒ. ij. florum geniſtæ, cicerum nigrorum, florum bugloſſæ & ſtœchad. ſing. p. j. fiat decoct. colatura facta ad ℔. ij. miſce ſucci pomorum dulcium, & ſucci bugloſſ. depurati

ſing. ℥. iiij. Decoquantur iterum donec ad ℔. j. ß. redeant & cum ſacchari albiſſimi ℥. vj. ſyr. viol. ℥. ij. fiat apozema clar. & arom. cum pulu. diamoſch. dulc. & diarhod. ſing. ʒ. j. capiat in quinque doſibus de mane.

℞. Elect. indi maioris ʒ. ij. triphere perſicæ (modo obſtructionib. non ſit obnoxius) ℥. ß. rhabar. in aq. bethon. & modico vini albi infuſi. & expreſſi ʒ. j. ß. cinamomi g̃. vj. ſyr. roſ. ſolut. ℥. j. ß. decocti apozematis præſcripti ℥. iiij. fiat potio danda poſt præcedentis apozematis vſum. Vel ſic.

℞. Elect. diacarth. & confect. hamec ſing. ʒ. ij. ſyr. roſ. ſolutiui ℥. j. ß. aquarum meliſſæ & bethon. ſing. ℥. ij. miſce, fiat potio.

℞. Theriacæ veteris & electæ ʒ. ij. ſacch. modicum. fiat bolus, quem capiet in craſtinum horis quinque ante prandium. Probantur magis in huius morbi curatione liquida aluum ſubducentia medicamenta ſolidis.

℞. Con

℞. Conseruæ rad. buglos. conser. stœchad. & florum rorismarini sing. ℥. j. corticis citri sacch. conditi ℥. ß. conseruæ rosar. florum cichorij, sing. ʒ. v. pulu. diamb. ʒ. j. pulu. diamarg. frig. ℈. ij. pulu. diarhod. ℈. iiij. syr. de pomis bene olentibus q. s. ad incorporandum, fiat opiata, de qua capiet horis duabus ante prandium ad quantitatem vnius castaneæ, bibendo postea cochlearia duo vini clari aut gilui aqua bugl. diluti.

Tertius scopus topicorum præsidiorum vsum edocet, quæ apocroustica esse non debent, cùm hic tumor suapte natura sit frigidus & crassus, & propriè malacticis medicaminibus egens. Repellentibus quippe medicamentis non retrocederet peruicax humor, sed potiùs adaugeretur durities discutientibus medicamentis non cedens. Vsurpanda igitur erunt medicamenta, partim emollientia, partim digerentia, iuxta Galeni sententiam. Ob hæc Auicennas duabus

duabus reuolutionibus, siue duabus medicamentorum speciebus, vtendum tradidit. Altera primaque emolliente, altera digerente, sed posteriore. Sed cùm talis curandi ratio magnum medico negotium facescere soleat, excogitandum erit medicamentum, quod vtraque sit facultate præditum, emolliente scilicet & digerente, non tamen hoc manifestè humectans, & maximè digerens esse debet, tum quia fluxionem in affectam partem promoueret, & hanc putrilagini obnoxiam maximè redderet: tum quia à medicamenti calid. & siccitate, digestis tenuioribus humoris partibus qui remanet, lapidesceret. Quare frequenter accidit vt imperitus medicus visu deprehendens imminutum scirrhum, hunc curatum iri promittat, cùm tamen durior effectus medicamento non facilè depellatur. Medicamentum in humorem ita agat oportet, quémadmodum Sol in rem quæ liquari possit, cera enim Soli apposita sen-
sim

ſim liquefit.ca.in 2.ord. ſed ſiccum in primo ſit oportet malacticum medicamentum. Quod à Galeno malagma aut verè emolliens nuncupatur. Medium quendam ordinem ſortitur inter humectantia & ſiccantia, moliuntur enim indureſcentium ſubſtantiæ veluti fuſioné quandam, vt medullæ, pinguedines, muccagines. Inter medullas primas obtinet ceruina, ſecundas vitulina, inter adipes leoninus, anſerinus, vrſinus, poſtea gallinaceus, bubulus, hircinus, caprinus. Inter muccagines, altheæ, fænugræci, lini. A Galeno monemur vt priùs partem ſcirrho tentatam tenuium partium oleo perfundamus, quale erat ſabinum antiquum, vel rancidum, aut quale eſt id, quod ex pago quodá paruo milliari à nobis diſtanti, legitur, quod caſtrum nouum vocant, eſt oleum de ſaxo, tenuium partium, craſſo, & illi quod Gal. omotribes vocat, plane contrarium. Poſtea tentanda erunt ſequentia remedia.

5. ſimp.

2. ad Glauc.

℞. Rad.

℞. Rad. altheæ, brioniæ, cucum. asinini sing. ℥. iiij. malu. viol. branchæ vrs. sing. M. j. sem. lini, fænugræci, altheæ sing. ℥. j. ß. florum sambuci, cham. meliloti sing. p. ij. flo. viol. p. j. fiat decoct. in hydrelæo, de qua expressis spongiis veteribus foueatur crebro scirrhosus tumor, quo panno deterso admoueatur præsidium sequens.

℞. Fæcis prædicti decocti diligenter pistatæ & per cribrum medicum trāsfusæ ℔. j. stercoris bubuli in aceto parum macerati ℥. iiij. adipis anserini & vrsini sing. ℥. iij. fæcis olei de lilio ℥. v. misce, fiat cataplasma. Vel sic.

℞. Opopanacis, galbani in aceto forti dissol. sing. ℥. iij. butyri recentis non saliti ℥. ij. œsipi q. s. mastich. & thuris sing. ℥. j. adipis bubuli & caprini sing. ℥. ij. ß. lithargyri auri ℥. j. ceræ q. s. malaxentur manib. inunctis oleo de lilio, fiat ceratum. Vel sic.

℞. Caricarum pinguium elixarum triginta numero, pistentur diligenter

ligenter, ammoniaci thymiamatis, opopanacis recentis sing. ℥.ij. styracis liquidæ & mastiches sing. ℥.j. ß. muccag. sem. fænugræci & lini sing. ℥. ij. œsipi & butyri recentis sing. ℨ. x. olei keirini & ex ricini semine sing. ℥. iij. ceræ q. s. ad cerati consistentiam reducantur. Vel sic.

℞. Rad. liliorum, altheæ probè elixarum & contusarum, ac per colum medicum transfusarum ℥. iiij. adipis lupi, aquilæ, anseris, vulturis, sing. ℥.ij. adipis gallinæ ℥.iij. bdellij mollis & subalbidi q. s. olei sesamini, vulpini sing. ℥.iij. ß. ceræ citrinæ q. s. fiat magdaleon. Adde aceti parum. A balneis aluminosis, sulphureis prorsus abstinebit.

Quod si humor morbũ faciens nõ digeratur, sed in pus vertatur, cautè procedendum monet Gal. ne scirrhus in cancrum propter medicamenti qualitatem degeneret, qua de re tunc medicamentis pus mouentibus vtendum erit, modicè calidis, ne proritato humore ex scir-

rho

rho fiat cancer. Suppurati humoris notis apparentibus, aperiendus erit in loco decliuiore abſceſſus, & emplaſtro diachylone minore ireato vtendum ſuadeo, vt ea quæ remanet durities tollatur. In horum medicaminum vſu eſt perſeuerandum, quippe quod rebellis humor vice vnica digeri & euacuari non poteſt.

Suffitus aceti acris, præſertim quando ſcirrhus tendones infeſtat, ex candente pyrite lapide, aut molari à Gal. plurimum commendatur, & vbi ammoniaco thymiamate emollitus fuerit tumor, quod acerrimo aceto eliquandum erit, hoc medicamento partem perfundemus, à pice & bitumine abſtinendum erit, nam ſunt iuſto calidiora.

2. ad Glauc.



De Cancro.

CAP. VI.

CAncer, quem καρκινον Græci vocant, tumor eſt prædurus, inæqua

inæqualis, aſpectu teter, venis exaltatis & turgentibus munitus, pungitiuo, moleſto & graui dolori copulatus, qui tametſi ſcirrho (de quo ſuperiori capite fuit diſceptatum) ſimilis eſſe videatur, nihilominus ſymptomatis ab illo maximè differt, quia in cancro acutus & pulſatorius dolor percipitur, quo ſcirrhus, legitimus præſertim, eſt priuatus, cancer citò augetur, at ſcirrhus ſenſim, cancer fuſcas & atras venas habet, ſcirrhus obſcuras aut nullas, cancer magna ex parte ex ſe incipit, ſcirrhus alias ægritudines ſequitur. Geminum conſtituit Hip. occultum ſolo tumore præditum, alium manifeſtum, vlceratum, tetram olidam ſaniem eructantem. A cancro piſce nomen adeptus tum ratione figuræ, quia ſubniger ad cancri marini inſtar, tum quia illius animalis more pertinaciter hæret.

De

De Cancri causis.

CAP. VII.

Cancrorum causæ procatarcticæ ab his quæ scirrhos excitant, sola vehementia differunt, horum enim humor est mitior. Corporeæ sunt humores atrabilarij à naturali melancholia, parum exusta progeniti, siccos cancros committentes, vel à maximè adassata, aut à flaua bile retorrida acri & mordaci, quæ in terrã proiecta (aceti more) fermentat atque ebullit, quam fugientes muscæ & quæ insecta viuunt animalia plurimum oderunt, humidũ & vlceratum καρκίνωμα gignit. Et quamuis huius materiam frigidam existimemus, quia terrea est, non tamen caloris expertem esse arbitrari debemus. Quippe quod sit vt cinis & acetum. Mariscarum aut mensium suppressio huic etiam magnam ansam suppeditat.

De



De Cancri indicis.

CAP. VIII.

Cancri tumor duriſſimus nigricans eſt, quamuis in illo tanta inflammatio non ſit, quanta in phlegmone,& ob humoris craſſi copiam venæ tum exaltatæ, turgidæ & varicoſæ apparent. Dolores punctorij percipiuntur. Exulceratus erodit & carnem ſubiectam deuaſtat,neque ſiſti & coërceri poteſt,ſaniem emittit quauis nequiorem, aſpectu & copia ingratam, ipſoque odore abominandam.Cùm incipit curari poteſt, ſed cum iam altas radices egit, minimè, quia craſſus humor repelli ac digeri non poteſt. Mitioribus adhibitis præſidiis non cedit, vehementioribus excandeſcit atque irritatur. Siccus & latens ſæpe propter incautam victus rationē, vel acrium medicamentorum vſum, in humidum degenerat: particularis eſt Elephas.

Morbus

Morbus hic pro variis quas occupat partibus, variis est appellationibus insignitus: nam si nares detineat, est polypus; si faciem, noli me tangere; si partem corporis mediam, cingulum; si totum corpus, Elephas dicitur. In omnibus corporis nostri partibus fieri potest, magis tamen in mulierum vtero & mammillis, quæ sua priuantur purgatione.



De Cancri curatione.

Cap. IX.

Hvius morbi curatio periculosa ob causas à Gal. recensitas, tribus obseruatis scopis perficitur. Primus in præscribenda opportuna & proba victus ratione versatur. Danda in primis erit opera, vt aërem frigidum & humidum natura talem aut arte paratum deligamus, nõ crassum, sed purum. Abstinendũ à bubula, agnina, camelina, hircina, asinina, vulpina,

vere

veterum leporum, anſerina carne erit. Lentibus, braſſica, omnibus leguminibus & ſalitis piſcibus, eruca, ſinapi, cæpis, alliis, porris, pipere, aromatis, præterquàm croci momento. Craſſo & turbido vino, ira, mœrore, citato motu, inedia, ſulphureis, bituminoſis, atque aluminoſis balneis. Quæ frigida & humida ſunt alimenta & euchyma vtilia, & quæ temperatum ſanguinem gignunt. Probatur ptiſana, lactis ſerum, atriplex, borrago, beta, modo imbecillus non ſit ventriculus, quia ſingultum mouet. Porcellorum iuuenum caro, agni iuuenis, lactantis vituli, perdicum, gallinarum, pullorum, ficedularum & reliquorum carnem nigram minimè habentium commendatur. Oua ſorbilia, hordei cremor, elixa pruna, vuæ paſſæ, pepones, melopepones, cucurbitæ concedentur, quæ prima potiùs menſa quàm ſecunda mandi debent, tum quia aluum laxant, tum quia aliis cibis viam ſternunt; poſtrema mẽſa

aſſumpta

assumpta alia putrefaciunt. Furfuraceus panis crassum humorem gignens est plane inutilis, vinum sit album, tenue & oligophoron, aqua hordei dilutum, sit moderatus coitus, & ex longis interuallis factus, somnus suo tépore vigiliis est vtilior, vehemens & frequens corporis exercitatio noxia.

Secundus scopus noxij humoris euacuationem eflagitat. In primis est diligenter considerandum, sitne corpus plethoricum & venæ sectioni assuetum, suppressas mariscas aut menstruas purgationes habens, tunc supposito prius clystere molli, tundenda erit axillaris, vel media cubiti dextri, vel tali vena interna, mittenda erit tanta sanguinis copia, quantam ætas & temporis constitutio exposcũt. Deinde concoquendus & euacuandus in eũ qui sequitur modum erit humor.

℞. Syr. de fumaria compos. & de succo endiuiæ sing. ℥. ij. syr. de pomis bene olentibus & viol. sing. ℥. j. aquarum bugloss. cichor. sing. ℔. ß.

℔.ß.ſantali moſchatel. ℈. iiij. miſce, fiat zulapium clar. & arom. capiat in 4. doſibus de mane. Vel ſic.

℞. Vtriuſque buglоſſ. cum rad. vtriuſque cichorij, herb. capil. com. pimpinellæ, piloſellæ, fumariæ, mercurialis, meliſſæ ſing. M. j. quat. ſem. frig. maio. contuſorum ſing. ʒ. j. paſſularum exacinatarum, iuiubarum, ſebeſten & prunorum dulcium ſing. pa. xij. ſem. fænic. aniſi ſing. ℈. ij. corticis citri ſicci ʒ. iij. glycirrhizæ recentis ℥. j. foliorum ſennæ, polypodij querni recentis ſing. ℥. ij. pulpæ tamarindorum ʒ. x. Epithymi ℥. ß. fiat decoct. & in col. ℔. j. ß. diſſ. ſucci pomorum dulcium, ſyr. viol. ſing. ℥. iij. ſyr. de ſucco endiuiæ ℥. ij. pulu. elect. diamarg. frig. & triaſant. ſing. ℈. ij. fiat apoz. clar. & arom. capiat in quatuor doſibus de mane.

℞. Præſcripti apozematis ℥. iiij. in quibus infunde rhabarb. optimi ʒ. j. ß. cinamomi g̃. vj. Expreſſione facta diſſ. confect. hamec ʒ. iij. ſyr. viol. ℥. j. ß. miſce, fiat potio, detur

Z fini

finito apozemate cum decenti custodia. Vel sic pro delicatioribus.

℞. Folli. sennæ orientalis ʒ. iij. epithymi & florum rorismarini cum seminib. quia medicament. humorem atrabilarium purgantibus robur addit, sing. ʒ. iij. infundantur in seri caprini ℥.iiij. per horas x. expressione diligenti facta, diss. diaprun. solut. ʒ. ij. rhabarbari optimi in aqua buglos. infusi & expressi ℈.iiij. mannæ granatæ ℥.j. syr. de Epithymo ℥.j. misce, fiat potio, detur vt dictum est.

℞. Theriacæ veteris, conser. borrag. sing. ʒ.j.ß. sacch. parum, fiat bolus. capiat in crastinum horis quinque ante prandium.

℞. Conseruæ rosarum ℥.j. conser. viol. borrag. sing. ʒ. vj. corticis citri sacch. conditi & myrobalanorum emblicarum sacch. etiam conditarum & vino albo lotarum sing. ʒ.iij. pulu. diamarg. frig. ℈. 4. pulu. diarhod. ʒ. j. syr. de succo endiuiæ q.s. ad incorporandum, fiat in modum opiatæ, de qua alternis diebus

bus horis antelucanis capiet ad quantitatem vnius castaneæ.

Si suppressæ sint mariscæ & perspicuæ non sint, has decocto emollientium herbarum fouebis, donec turgere incipiant, & ficus folio podicem fricabis, aut famelicas hirudines affiges. Nam melancholicis & maniacis harum fluxus saluberrimus existit. Si menstruæ purgationes sint suppressæ, has venæ sectione, vt superius ostensum fuit, aduocabis, neque ab euacuationibus cessandum est, donec totus ater ille succus euacuetur. Alterandum erit iecur, roborandum cor, exhilaranda anima sequentibus remediis. *Aphor. 11.6.l.*

℞. Fragmentorum lapidum pretiosorum sing. ℈. ij. margaritarum splendidarum non perforatarum ʒ. j. vtriusque corallij, rasuræ eboris sing. ℈. iiij. sem. endiuiæ, portul. & citri sing. ʒ. ß. corticis citri sacch. cōditi, myrobal. emblicarum sacch. pariter conditarum sing. ʒ. iij. ß. conser. rad. bugloss. & ros. sing. ℥. j.

conſer.viol. florũ borrag. ſing. ʒ.v. ſyr.de pomis bene olentib. q. s. ad incorporandum, fiat opiata,de qua alternis diebus duabus horis ante prandium capiet ad quantitatem vnius caſtaneæ,bibendo poſtea modicum vini gilui vel albi aq. bugl. diluti. Vel ſic.

℞. Manus Chriſti cum vnionibus ℥. iiij. capiat interdiu longè à ſuis paſtibus: hæmorrhoidum prouocatio non minus in cancro quàm ſcirrho vtilis.

℞. Cerati ſantal. aq. endiuidiæ loti ℥.iiij. ſpicæ nardi, ſchænanthi ſing.℈.j.olei viol. nenuph. ſing.℥.j. ß.miſce, illinatur hepatis regio bis aut ter in hebdomade hora introitus lecti.

Tertius ſcopus omnibus morbis ex fluxione genitis communis ſuadet, vt humorem in partem fluentem reuellamus, & qui iam in affectam procubuit digeramus. Primum medicamentis modicè repellentibus tentandum, ſecundum Chirurgia, aut medicamentis ſimplici

plicibus à cæca qualitate, vel compoſitis nó minus idoneis exequendum. Pro ſimplicibus probantur lentes in aceto decoctæ, piſtatæ & parti affectæ admotæ, coriandri ſuccus, omnes intyborum ſpecies, metallica probè lota, & plumbum quouis modo adminiſtratum. Callitrici ſuccus mirificè confert, quod plerique medici ab operationis præſtantia herbam diuinam vocauere. Agrimonia cum radice, hypericum, iuglans rancida & contuſa, oleum amygd. dulcium, oleum de Iunipero, cochlearum carnes elixæ & contuſæ, cancri inflammationem extinguunt, ſuperuacaneum humorem digerendi facultatem habentes, ranæ virides, humanum ſtercus cæca proprietate eſt admodum vtile, muſtellæ in clibano aſſæ cinis ſalubris. Ex compoſitis ſequentia.

℞. Succi ſolani, plantag. vermicularis depurati, vel ſucci conſolidæ minoris, arnogloſſ. ſing. ℥. ij. olei roſ. omphacini ℥. iiij. ducantur optimè in mortario & piſtillo plum-

beo donec glutinis consistentiam acquirant. Conficiendum autem in radiis solaribus erit hoc medimentum.

Aliud.

℞. Cancrorum fluuiatilium combustorum & aqua plantag. lotorum ℥.j. plumbi vsti & aqua fontana loti, tuthiæ præparatæ sing. ʒ. ij. cineris ranarum in clibano resiccatarum ʒ. iij. cerusæ aqua rosarum lotæ ʒ.j.ß. spumæ argenti ʒ. vj. succorum bursæ pastoris, arnogloss. sing. ℥.ij.ß. olei ros. omphacini, vel olei myrtini ℥.v. vniantur in mortario & pistillo plumbeis tamdiu donec colorem nigrum acquirant. Vel sic.

℞. Terebinthinæ abietis aqua rosarum diligenter lotæ ℥. j. corticis citri sicci ʒ.ij. olibani ʒ.iij. testudinis vstæ aqua fontana lotæ, atque in tenuissimum pollinem redactæ ℥.ß. solearũ calceamẽtorum vstarũ & pulueratarum ʒ. j.ß. olei rosomphacini ℥.v. Agitentur in mortario marmoreo & cum pauca cera alba,

fiat

fiat vnguentum. Quidam aqua ex humano ſtercore vitreis organis deſtillata cancrum illinunt ab homine rufo excreto, huius etiam oleum quod poſt ſtillatitiā aquam ab organo emanat, conferre aiunt.


Si medicamentis præſcriptis profligari non poſſit, ad Chirurgiam properandum erit, quem ferro rutilante cum omnibus ſuis appendicibus euellemus. Tentare id poſſumus cum cancrum carnoſam aliquam partem & perſpicuam detinere conſpicimus. Acribus non eſt medicamentis infeſtandus, ne ſæuior & curatu contumacior reddatur. Quod ſi occultus ſit, quemadmodum is qui nares & internam oris partem, muliebres locos, vel internam faucium ſedem occupat, hunc non curare melius. At ea adhibenda erit diligentia quæ paſſioni ſit idonea, nam curati citiùs iugulant; non curati diutius hominem viuere permittunt. Vlcerati cancri (qui ex genere phagædenicorum vlcerum ſunt) ſimili-

bus etiam præsidiis profligantur, quos candenti ferro aut pyrotico medicamento ex ipsa corporis superficie euelles, nulla illius radice relicta, humoris atri colluuiem pressis diligenter vicinis partibus euacuabis, neque mitioribus vteris præsidiis, quippe quod illa contemnant. De horum notis, causis & curatione nihil aliud dicemus, cùm in hoc nostro libro de solis tumoribus præter naturam, & non de vlceribus agamus.

Cùm hęc scriberem vocatus fui à Guillielmo Lauterio Chirurgo in artis operibus valde exercitato, vt senem octogenarium exsuccum, & ex montibus Sumeneis oriundum cum illo inuiserem, qui ob incautam victus rationem & metum à bellicis tumultibus obortum in vlceratum aspectuque horrendum cancrum totum penem obsidentem deciderat. Contemplata ætate & totius corporis constitutione, illiusque viribus, deliberatum inter nos fuit de remediis quibus (non ad

ad extinguendum, ſed potiùs leniendum morbum) vteretur. Metuebamus certè ne cauterio cancrum euellere tentantes ſimul & laborantis animum eriperemus. Vbi intellexit nos illum cum noſtris præſidiis ſpreta Chirurgia ad ſuos relegare velle, ne bona præſidia infamaremus, cœpit deteſtari ſimul & deierare, ſe malle ſectionem perpeti quàm diutius cum illo atroci ſumméque pernicioſo morbo viuere. Tandem ne aliquam infamiæ notam nobis inurere malè feriati homines poſſent, cùm ſit omnibus luce meridiana clarius artem noſtram omnium calumniis eſſe expoſitam, duos præſtanti doctrina huius Vrbis Chirurgos vocauimus, quo tutior eſſet de amputando membro deliberatio, qui importunis laborantis precibus victi, & atrocitate morbi, quo cruciabatur, vehementer commoti, deliberarunt annuentibus nobis de ſecanda vlcerata parte ferro rutilante. Admotum fuit ad ſiſtendam hæ-

morrhagiam candens aliud ferrum post colis amputationem. Qui profectò hanc operationem tam constanter macilentus, tremulus & capularis senex cum orco iam certare paratus perpessus est, vt vultum magna mulierum & medicinæ candidatorum qui me comitabantur admiratione, non mutarit. Tandem decisa eschara, & adglutinando vlceri adhibitis præsidiis, præter omnium spem magnum hoc periculum euasit, & nunc optata sanitate fruitur.



De Varicibus.

C A P. X.

VArices, ἰξίαι, vel οἱ κίρσοι venæ in quacumque parte dilatatæ dicuntur, ab imbecillitatis vitio progenitæ, quæ in testibus & cruribus frequentiùs, ac in omni parte prona venis munita dilatari solent; nonnunquam in ventre, inguinibus, palpebris, ipsisque

ipsisque temporibus, sed tardiùs; ab aliquibus vites nuncupantur, & variis orbibus & gyris instar capreolorum vitis, & hederæ implicatæ conspiciuntur. His Marium Romanum aliquando in ambobus cruribus laborasse Plutarchus Chæroneus scriptum reliquit: qui harum sectionem patienter in vno crure tolerans, curandum alterum Medico porrigere recusauit, noscẽs remedium tam magnis doloribus esse indignum. Est igitur varix solius venæ, & non arteriæ affectus, quod vena arteria sit mollior, tenuior, & minus robusta. Quare his de causis dilatationi prõptior, sinistras corporis partes dextris magis distorquet, & baiulos magna onera ferentes aliis frequentiùs impetit.



De Varicum causis & signis.

CAP. XI.

VAricum prægressæ causæ sunt, alimenta omnia quæ atrabilarium, aut pituito-

sum sanguinem gignunt, de quibus variis locis superiùs fuit facta mentio: his addere desidem vitam, & prætermissa exercitia moderata possumus. Signa quibus has deprehendamus, sunt tam perspicua, vt maiori indagine non egeant; neque conspicientem fallere possint.




De Varicum curatione.

C A P. XII.

INstituta priùs victus ratione euchyma, & generandis crassis succis aduersa, purgatóque vere & autumno melancholico succo, aut secta eiusdem partis iecoraria, adstringentibus, digerentibus, atque exsiccantibus medicamẽtis tentatis, lata fascia, ligaturis, quæ ad superiores partes fæculentũ humorem detrudere possint, vtendum plerique suadent. Quæ si non conferant, ad Chirurgiã properandum erit, obsignata priùs atramẽto crassa vena propaginum radice, quæ incisa

incisa paulo supra poplitis regionẽ cute, acu & filo in superiore & inferiore parte hamulis erit deprehẽdenda, fortíque nexu vincienda. Secta tandem parte media laxandus erit venæ inferioris nexus, vt digitis compressa melancholicum sanguinem in inferiorem defluentem partem, vlcusque aut alium affectum fouentem euomat. Expurgato tandem sanguine ad collectica medicamenta & epulotica dicta transeundum erit. De dracunculo, quem venam medem Auicennas vocauit, in India & superioribus Ægypto locis genito, cùm priscis medicis vix fuerit cognitus, & à nobis nunquã visus, hic agere nõ decreuimus. Sat erit huius curationẽ ex Sorano, Leonida, & Paulo intelligere. Varices si vlceribus proximę sint, illorum curationem remorantur. Quapropter priùs sunt secandæ, vt humoris fæculenti in vlcus defluxus coërceatur, quàm vlcerum curationem aggrediaris.

De



De Hæmorrhoidib

CAP. XII

HÆmorrhoides sunt
midæ, exaltatæ, dilat
rismati similes, in summ
testini parte apparentes
sanguine plenæ, varicibus
sanguinis frequenti fluxu
Harum quædam sunt tur
guinem non eructantes (q
vocant) quædam aperta
ora habent, & sanguinem
quam serosum, frequenter
rium vomentes. Cuius
hæmorrhois appellatur.
morrhoidibus dictus est
rhous serpens, quod ex il
su multa fiat sanguinis
Alio nomine mariscæ
quod fici, Iuuenali teste, i
repræsentent.



De Hæmorrhoidum caußis.

CAP. XIV.

HArum causæ procatarcticæ sunt, assiduus melancholicorum ciborum vsus, diuturna sollicitudo, mœror, & quæcunque varices excitare sunt solitæ. Corporeæ sunt melancholici succi, quos iecur aut totum corpus ad ipsas deponit, vel cessans ex naribus aut locis in mulieribus sanguinis euacuatio, hæmorrhoidum fluxus, per quem sanguis melancholicus euacuatus à multis morbis illud vindicat, vt mania melancholia morbo, varicibus, cãcero, elephantiasi, lethargo, phrenitide, indurato liene renum vitiis, vt facile videre est apud Hip. aph. xj. lib. sexti, & sexto de morbis popularibus sect. 3. Qui omnino suppressus est, melancholiam, hydropem, tabem & innumeros morbos parit, à quibus cum parcè fluit nos

nos liberat. Igitur quemadmodum ex toto ſuppreſſæ hæmorrhoides, ita nimium fluentes ſunt periculoſæ. Ex venæ portæ ramis hunc ſanguinem melancholicum fluere ex humani corporis hiſtoria eſt perſpicuum.



De Hæmorrhoidum notis.

CAP. XV.

MAriſcarum ſigna ita ſunt perſpicua vt neminem latere poſſint, dolor tumori copulatus, in podicis circulo percipitur, punctio cum ſanguinis manatione, interdum ſine ipſa eandem regionem infeſtat, vbi ſanguis non manat, tunc arte prouocatur, morbumque leuat: immodicè excretus, malum corporis habitum quem Græci cachexiam vocant, hydropem hepate perfrigerato, & facultatis naturalis ſummam imbecillitatem; demum mortem afferre ſolet. Quod ſi fluentes importunè

ſiſtas non minores excitabis affectus.



De Hæmorrhoidum curatione.

Cap. XVI.

Antequam huic morbo, qui (Aëtio teſte) nonnunquam deformitatem propter coloris totius corporis vitium ex euacuatione ſuccedés parit, medeamur, eſt accuratè animaduertendum, an immodicè fluant, an omnino ſint ſuppreſſæ & hominem doloribus defatigent, & ad multos morbos hoc deteriores pronos reddant. Quod ſi tumidæ ſint & cruorem non vomentes, obſeruandi tunc erunt tres ſcopi. Quorum primus ad victus rationis inſtitutionem nos ducit. Minuendus itaque erit cibus, & ab alimentis corpus maximè alentibus & ſanguinem adaugentibus abſtinendum, à melle & aromatis, aceto, braſſica, leguminibus, antiquo caſeo, oriza, hordei cremo

cremore, elixo frumento,
ctuca, borragine, oxalide
dum, pane hordeaceo &
confecto vtendum, elix
passulis aut mercurialis
aluus erit laxanda: quip
aridum stercus podici do
cutiens, has tumidiore
Exercitatio & equitatio
molesta. Probatur etiam
cassiæ fistulæ paulo ante
mannæ siue roris aërei vt
potio vini potioni præfer
steres tametsi molles, qui
recti intestini partem gra
lestant, nisi magna vrgen
tate non probantur,
glandes ex acribus præser
camentis paratæ.

Secundus scopus in d
tigatione versatur, qui
sæuus est vt corporis rob
mè deiiciat, febremque
Quem præsidiis sequent
sopiemus.

℞. Altheæ cum rad. n
sing. M. j. sem. lini, fœnugr

fing. ℥. ij. florum viol. p.ij. florum chamom.melitot. sambuci an. p. j. fiat decoct. pro enchatismate, vtatur frequenter. Postea vnguento sequenti inungatur.

℞. Olei de chrisomiti, de semine lini sing.℥. ij. butyri recentis insulsi ℥. iiij. vitellorum ouorum recentium num.ij.croci ʒ.j.ceræ q. s. fiat linimentum, illinantur partes affectæ, addendo foliorum nymphеæ resiccatorum ʒ. j. ß. dolore perseuerante,consentientibus ætate & viribus tundenda erit iecoraria cubiti dextri. Quod si horum remediorum vsu dolor non conquiescat,sed perseueret, ex vitello oui, oleo rosaceo, croco & pauca opij quantitate parabitur vnguentum.

Tertius scopus hortatur vt pendulas & sensui manifestas mariscas aperiamus phlebotomi cuspide,vel hirudine famelica, quæ sãg. in vasis contentum citra tædium educet. Illinendæ erunt hæmorrhoides pulli aut columbi cruore,

vt promptiùs expeditiúſque vaſis affigantur, quas ſanguine plenas & turgẽtes pauco ſale capiti aſperſo, aut pauco oleo decidere faciemus. Cæcas acribus balanis ex ſapone gallico, colocynt. pulpa, Ciclamini ſucco, vel ficulnei folio, ſollicitabimus: fluentibus autem immodicè mariſcis, præſcribenda erit ante omnia victus ratio infrig. & humectans, ſanguinemque craſſiorem reddens.

A laborioſis motibus abſtinendũ ſuademus, ab altis cogitatibus, & aliis animi pathematis, quæ feruidum ſanguinem gignunt; & quamuis aſtringentia medicamenta ſang. ſiſtere ſunt nata, ea tamen non ſunt vſurpanda, quod fæces duriores efficiant, quæ cum excernuntur ſæuos cruciatus podici incutiunt. Quapropter non ſolum infrigidante, ſed leniente facultate prædita ſint oportet. Deinde reuulſio vtiliſſima erit ſecta baſilica cubiti dextri, miſſa parca ſang. quantitate, aut admota lati oris cucurbitula.

Myro

Myrobalani emblicæ ſacch. conditæ ſunt ex vſu, conſerua roſarum vetus,& maioris conſolidæ (quam ſymphytum vocant.) A multis confectio de ſcoria ferri probatur. Cuius præſcriptum à Mauritano Rhaſe eſt petendum, huius ʒ. j. aquæ calybeatæ, aut illi in qua maſtiche chia deferbuerit, vel plantaginis, commodè miſcebitur. Ad exſuccarum fæcum depulſionem ex vſu erunt pill. de bdellio, quarum duas deglutiendas propinabis,& in balneum ex ſequentib. medic. paratum ægrotantem mittes.

℞. Foliorum plantag. verbaſci, lentiſci, rubi ſing. M. j. roſarum rub. p. j. baccarum & foliorum myrti ſing. p. j. ß. nucum cupreſſi, acaciæ ſing. ℥. ij. fiat decoct. in duabus partibus aquæ calybeatæ, & vna vini rubri ad medias pro balneo. Idem præſtare dicitur aloë, ferri ſquáma, plumbum vſtum cum poſca, acacia, plumbago, chalcitis, aſininum ſtercus arefactum, vſtum & in tenuiſſimum pollinem redactum.

Quod


Quod si lógo tépore flux
morrhoides, non omnes i
sententiam sunt supprim
eam quam Gal. affert
mento rationem, ne ex ea
tione grauius suboriatur
Aëtius Gal. contrar
Hip. interpretari conatus
possibile esse incolumes e
optimum curationis finem
post hæmorrhoidum ext
eos qui opportuno temp
sectione, & conuenienti
tione vtuntur: quemadmo
placuit, qui ait; Hæmorr
nanti antiquas si nõ asseru
periculum est tabem au
succedere. Non enim velu
opinantur, dixit, si vna n
seruata hæmorrhois ad s
tioné. Sed sic scripsit, si n
tur, hoc est conuenienti c
tur. Est auté sanatio perfe
bo liberatio & legitima c
Quo fit, vt iuxta Hip.
nullã relinquere oporteat
nes prorsus delere. Post q

tegram ſanationẽ opportuna victus ratione ad naturalem habitũ ægrũ ducere oportet, adiecta iugiter venæ cubiti ſectione, quoties in vniuerſo corpore molem ſang. collectã verebimur. Laborioſã hæmorrhoidum curationem ſcripſit Paulus, præſertim quando plura venarum ora in ano pateſcunt. Quare vnam non ſuppreſſam purgationis ergo relinquere oportet.

Quo fit, vt Pauli & Galeni, Aëtij ſeutentia ſit melior & tutior. Nam tempeſtate noſtra, corpora incauta victus ratione vtentia, non ita medicæ artis placitis parent, non ita remediorum vſui ſe accommodãt, vt ſuppreſſis omnibus venarũ oris, vitioſus ſang. in corpore collectus & retentus morbos ab Hip. in aph. recenſitos non excitet. Et quamuis purgatio illa ſit homini moleſta, nihilominus vbi aſſueuit, hanc tam facile vt menſtruas purgationes mulier à prędictis periculis immunis perfert. Nonnunquam ſpretis remediis vbi contumaces ſunt, ad

Chirur

Chirurgiam migrare c-
volſella eo quo ab Aëti
modo deligatas ampũta
ex his ſinuoſa vlcera
quæ ægrotanti maxin
tium faceſcere ſolent.



De Pſora & Le

C A P. X V

AFfines ſunt iſti af
gioſi ſub ſcabie co
ſolam cutem occupant
lepra elephantia dicta a
ſolius cutis ſint vitia,
verò carnis,& vbi radic
runt,figura, magnitudi
tate inter ſe differunt
vterque affectus ſit cũ
dine,& pruritu, corpor
tione & ab eodem hu
riat. Pſora tamen corp
ciem variis figuris lædi
cea quædam recrement
Lepra cum perſpicuis f
circulum cutem ipſam
depaſcitur. Ab impeti

λείχλω Græci vocant differunt. Tametſi ex impetigine de qua ſuperiùs egimus, pſora & lepra naſcantur.



De Pſoræ & Lepræ cauſis.

Cap. XVIII.

Psoræ, lepræ, & omnium ſcabiei ſpecierum cauſſæ procatarcticæ ſunt nimia comeſtio, continuus ſalſorum, acrium, linguam ferientium eduliorum vſus, quos affectus etiam promouent dulcia, amara, generoſa & meraciora vina, & ea quæ recrementa ad cutem protrudunt, vt ficus. Inſuper prætermiſſa aſſueta balinea, ſordidarum cõtinuus veſtium vſus, immoderatus labor iugibus vigiliis comitatus. Quibus malis ſenes ſunt admodum obnoxij ob cutis imbecillitatem. Corporeæ cauſæ ſunt exuſtus ſang. bili feruidæ mixtus. Hepatis intemperies maximè calida melancholicum ſuc-

cum gignens vel salsam pituitam: harum dispositionum pathema commune est, pruritus & post pruritum pro varia humoris natura punctorius dolor nonnunquam paruus, sæpe magnus. Psoræ & lepræ continens causa est melancholicus succus, in psora minus, in lepra magis exustus. Fiunt cutis adsimilatrice facultate labefactata.



De Psora & Lepra notis.


CAP. XIX.

PSora & lepra tametsi per viam signi sint mali morbi, nihilominus per viam causæ non admodum perniciosi censentur, eo quod natura expultrice facultate duce recrementa ad cutem commune corporis emunctorium deponit. Pruritus ab vtroque morbo inseparabilis existit, sed in lepra vehementior, ita vt æger scabendo non iuuetur, sed deterius habeat. In lepra terreus fæculentusque

tuſque ille humor cutem vehementiùs quàm in pſora exaſperat, in qua ſubiecta minus afficitur caro. Solius cutis vterque eſt affectus. Squamulas inſuper lepra habet, ſed furfuracea recrementa pſora, cum à minori intemperie, humore minus craſſo & terreſtri & maligno gignatur. Et quemadmodum pſora ad lepram prodromus veluti quidam dicitur, ita lepra ad elephantiaſin eſt præuia. Lepram igitur mediam inter elephantiaſin & pſoram conſtituemus.

Porrò iſti affectus à λευκῆ, alba videlicet vitiligine (quam Albaras Auicennas vocat) ſunt varij: nam in illis cutis ſcabra eſt cruſtis & furfuraceis recrementis plena, cum eliquatione quadam ſine aſpredine & roſione, alba inſuper ſubiecta carne, ob pituitæ præſentiam. Eſt & alter affectus tibias & ſuras occupans, vlceroſus & nigris eſcharis obductus (quem malum mortuum medici qui in Arabum ſcholis educati fuere vocant) cuius curatio

ratio potiſſimum quando vlcus radices iam egit ſuſpecta habetur. Quibus affectibus obnoxij ſunt balnea negligentes, atque crudis humoribus præditi, ſordidi, & praua alimenta ingerentes.



De Pſoræ & Lepræ curatione.

CAP. XX.

IIſdem ferme remediis affectus iſti profligantur intenſione ſola & remiſſione diſſidentibus. Curatio itaque horum tribus ſcopis perficitur. Primus ad vtilis dietæ inſtitutionem nos vocat. Secundus ad antecedentis cauſæ euacuationem. Tertius ad topicorum remediorum vſum quibus vlcuſcula curemus, furfuracea recrementa detergamus, cutem roboremus, & calidam hepatis intemperiem leniamus.

Vt primi ſcopi compotes efficiamur alimentis melancholicum ſuccum generantibus ægroto interdicemus,

cemus, de quibus 3. de loc. passis fusissimè Gal. disseruit, & cap. de Scirrho & Cancro à nobis facta est mentio. Quorum loco quæ infrigidant simul & humectant, administranda erunt quæ in cibo medicina esse dicuntur. Aquæ potus vino est præferendus, Venus admodum noxia, subuculæ; vestimentorum non sordidorum crebra mutatio salubris, labores immoderati fugiendi, altis cogitatibus, iræ, tristitiæ, vigiliis iugibus parcendum.

Ad secundum scopum transeuntes consultis prius viribus & contemplata corporis constitutione ipsiusque ætate, supposito prius aluum emolliente clysmate, vel propinato copragogo medicamento, à venæ sectione exordienda erit curatio, tundenda iecoraria aut media cubiti dextri, mittendáque tanta sang. copia, quantum ægrotantis robur & ætas permittent. Mox aggredienda erunt sequentia remedia, vt tertij scopi cōpos efficiaris.

℞. Rad. graminis, rusci, asparagi, acetosæ sing. ℥. j. scabiosæ, sum-

mitatum lupuli, vtriusque bugloss. vtriusque cichorij cũ radicibus, lapati acuti, herbarum capill.com.fumarię, mercurialis sing.M.j.qu.sem. frig. mai.contusorum sing. ʒ. j.pulpæ dactylorũ acidorum ℥. j.prunorum acidorum, passularum exacinatarum sing.pa.xxx. rad. dulcis ʒ. vj.sem. anisi ℈. ij. foll.sennæ,polypodij querni recentis sing. ℥. iij. Epithymi ℥.ß. florum buglos. viol. nympheæ sing. p. j. fiat decoct. in aqua hordei perfectè cocti, & in col.℔.j.ß.diss.syr.de succo endiuiæ, syr.viol. sing. ℥. iij. sacch. albissimi ℥. ij.pulu. triasant. ℈.iiij.fiat Apoz, pro iiij.dosib.mat.in vltima diss.cathol.opt.& diasen. sing. ʒ. ij. ß.fiat potio danda post vsum præcedentis apozematis cum decenti custodia, & bono artis regimine.

℞. Conseruæ rosarum ℥.j. conser.viol.florum cichorij & rad. buglos.sing.ʒ.vj.puluer.elect. triasant. & diamarg.frig. sing. ʒ .j. sem. melon. & cucurb. mundati,& in tenuissimum pollinem redacti sing. ℈. ij.

ʒ.ij. ſyr. viol. aut de ſucco endiuiæ q.s.ad incorporandum, fiat in modum opiatæ,de qua ſingulis diebus capiet ad quantitatem vnius caſtaneæ horis duabus ante prandium, cuius loco horis antelucanis ſorbere poterit ℥.v.aut vj. ſeri caprini, in quo per noctem folia fumariæ maduerint,expreſſione facta, miſce ſacch.albiſſ.℥.j.

Balnea non ſuphurea,nitroſa,bituminoſáue commẽdantur:ſed quæ lenientem, detergentem, roborantem cutem facultatem ſunt adepta, qualia ſequentia.

℞. Rad. ſerpentariæ maio.pedis vituli, cucum. agreſtis, ſing. M. ß. acetoſæ cum ſuis rad. vtriuſque cichorij, roſtri porcini, lapati acuti cum toto,parietariæ,lanariæ, ſiclæ, mercurialis, lenticulæ aquæ, fol. nympheæ ſing.M. 4. cantabri bene macri p.iiij.qu.ſem.frig.maio.cõtuſorum ſing.℥. iij. piſorum alborum fractorum p.ij. florũ fabarum,viol. nympheæ, bugloſſ. ſing. p. iiij. fiat decoctio in aqua pluuia aut fonta-

na, ſit cum ingredietur tepida decoctio. Hoc ieiuno vêtriculo agendum,& lectum ingreſſus parcè ſudet, 4. aut 5. dierum ſpatio continuabit. A balnei vſu cum corpus ſomno credere ſtudebit, partes pſora lepráue tentatas, demptis thorace imoque ventre ſequenti vnguento illinet.

℞. Axungiæ ſuillæ inſulſæ ℔.ß. ſpumæ argenti ʒ.x. hydrargyri cum ſuo liquore extinctæ q. s. ſtaphiſagriæ & farinæ lupinorum ſing. ʒ. iij. chalcitidis ʒ.ij. ſulphuris apyreti ℥.j. ſtyracis liquidæ ʒ.vj. terebinth. ℥.j. olei roſ. ℥.v. olei de vitell. ouorum ℥. ij. Agitentur in mortario marmoreo, fiat linimentum. Adde ſucci limonum ℥.j.ß. Vel ſic.

℞. Succi ſcabioſæ, anemonæ, fumariæ ſing. ℥. iij. olei roſ. ℔.ß. olei de vitell. ouorum ℥. ij. Decoquantur ad ſuccorum conſumptionem: miſce poſtea confect. pomatæ recentis ℥.iiij. axungiæ porci ſine ſale ℔.ß. ſublimati ʒ.j.ß. lithargyri auri ℥.j. ß. ceruſæ aqua roſarum lotæ

ʒ.ij.

℥. ij. ſulphuris ignem non experti ℥.j.ſtyracis liquidæ ʒ.x.rad.vitis albæ reſiccatæ & in pul.redactæ ʒ.vj. Agitentur fortiter in mortario marmoreo & piſtillo buxeo, fiat linimentum. Hoc remedio inueteratam alicuius mercatoris lepram ſuperioribus diebus curaui.



De Elephantiaſi.

CAP. XXI.

Elephas contagioſus & communis vniuerſo corpori morbus, cuius cutem duriorem, craſſiorem & ferinam efficit; ab elephante maxima inter quadrupedes beſtia nomen eſt ſortitus; quod laborantis artus ſint deformes, tumidi & cutis elephantis corio ſimilis, qui dum radices altas egit præſidia contemnit, quo fit vt ope medica profligari non poſſit: periculo plenus, hominem ſanum inficit non ſecus quàm peſtilentia, aut venerea lues, & hunc à morta-

lium sodalitio exulare cogit, quod inquinetur aër quem inspirando attrahimus, ex corrupta inspiratione. Estque corporis carcinoma vniuersale. Et quemadmodum scribente Aretæo lib. 2. de diuturnis affect. elephas nulli alteri animali similis est: sic neque hic morbus alteri morbo; & vt vita longissima aliquando est, ita hic morbus est maximè diuturnus. Aëtius ex Archigenis sententia hunc fœdum morbum leontiasin vocauit, eo quod frons ægrorum cum tumore quodam relaxatur, perinde ac flexilis cutis superciliorum leonis. Ab aliquibus satyriasis dictus est, à genarum rubore & facie satyris persimili, ob inexplebilem & impudentem coëundi libidinem. Hunc etiam morbum ex veteribus plerique ἡράκλειον appellarunt; hoc est, Herculeum, quod nullus sit maior & violentior. Morbi huius veterum lepra præcursor esse solet.



De Elephantiasis causis.

Cap. XXII.

Elephantiasis causæ procatarcticæ sunt similes his quę lepram & psoram pariunt, sola magnitudine differunt. Nam cùm morbus, vt paulo superiùs fuit dictum, sit magnus, causarum magnitudinem promittat oportet. Omnia itaque humorem atrabilarium gignentia, hanc perniciosam ægritudinem commouent, vt magnus regionis æstus, asininæ, hircinæ, vulpinæ carnes, coclearum, brassicæ, leguminum, acrium, salsorum eduliorum creber vsus. Ob has causas Gal. hunc affectum Alexandriam incolentibus familiarem fuisse credidit. Concubitus cum muliere Elephantica, vel menstrua purgatione detenta, mensium & mariscarum intempestiua suppressio, quartana febris, inquinatum parentum semen, &

meracioris vini potus assiduus. Quò fit, vt apud Scythas lactis potatores, hic morbus nunquam apparuerit.

Antecedentes causæ sunt, lienis à limoso humore sang. expurgare nequeuntis magna imbecillitas, aut hepatis calor immoderatus melancholicum exustum sanguinem procreantis, qui vbi in vasis ipsis, aut extra computrescit, assiduæ vel intermittentis febris est causa. Vbi in aliqua parte coaceruatus, propriæ naturæ limites non multum prætergressus scirrhum, adassatus modicè cancrum siccum, vberiùs verò vlceratum parit. In omnem corporis habitum protrusus Elephantiasin committit. Sæpe humor sincerus non est, sed sanguini, aut pituitæ mixtus, & pro vario misturæ modo, variæ elephantiasis differentiæ consurgunt, vt probè à Cornelio Celso & Paulo est traditum. Quod ex faciei colore & symptomatis perspicuum

cuum euadit. Omnium deterior eſt qui ex bile retorrida, aut exuſta melancholia fit: qui cùm altas radices egit, vniuerſum corpus vlceribus ſcatere facit, & extrema decidere.

Continentes & maximè propinquæ cauſæ, error inſignis adſimilatricis facultatis in ipſa carne. Nam cum tres ſint nutritionis facultates præcipuæ, quibus 4. ancillantes ſuppetias ferunt, læſa ea quæ anadoſin alimenti facit corpori atrophiam inducit. Adglutinatrice labefactata hydrope tentatur corpus. Sed adſimilatrice poſtrema cæteriſque perfectiſſima vitiata elephantiaſin gigni tam verum eſt quàm quod veriſſimum, in qua non ſolum proprium carnis temperamentum ab exuſto & venenato humore euerſum eſt; ſed ipſum tegentis cutis. Nam ſi ſola iſto exuſto ſucco infeſtaretur, vitiligine corpus moleſtari videremus.

De



De Elephantiasis indiciis.

Cap. XXIII.

HVius scelestæ dispositionis notæ sunt variæ, quædam fientem elephantiasin, quædam verò factam ostendunt. Fienti præcautio debetur (quæ quodam
1. de feb. dif. modo curatio est:) sed factæ & confirmatæ curatio, quam cùm assequi non potest medicus (tum quia in remotis à principibus extis materia continetur, & carni ita est impacta vt illam in suam naturam traxerit: tum quia crassitie sua ita est pertinax, vt nullis medicamentis digeri possit, neque squalida illa & arida intemperies domari, vt à siccitate contractis morbis acci-
8. Met. dit, (quod fuit à Gal. in method. curatiua demonstratum) conatur nihilosecius curatione illa quam fucatam plerique vocarunt, medicamenta præscribere, quæ morbi furorem reprimant & illius incrementum

mentum remorentur.

Notæ itaque fientis petuntur à diſtemperatura calida & ſicca hepatis, fœdo faciei colore, pſora, lepra, vitiligine, vitiato parentum ſemine, carnoſæ ſubſtantiæ tuberculis, partium ſtupore, melancholicis inſomniis, deprauata victus ratione atrabilarium humorem procreante, doloſis & fraudulentis moribus. Cùm enim harum aliquæ apparet, diſpoſitionem, non habitum pollicentur: quæ infidæ ſunt, niſi ſit harum ſyndrome ſiue concurſus. Quæ hominem laborare declarant, à faciei parte totius corporis maximè rara, humida & multorum affectuum nuntia deſumuntur. Apparent enim oculi conſumpto humore propriorum muſculorum rotundi, tenebroſi nonnunquam, ſæpe ophthalmici, cum intuitu toruo, glabris ſuperciliis & ciliis, ſparſi per faciem tumores duri, narium deformis compreſſio, eroſo ipſarũ ſepto, voce catulina & rauca, cum venarum quæ ſub lingua ſunt plenitate,

nitate, multiſque tuberculis ac aurium rotunditate contractioni copulata, olida inſuper anima, innumeriſque vlceribus curationem reſpuentibus. Et cùm hic morbus, docente Archigene, principio nos lateat, nulla medicina reprimi poteſt. Nam quando tumores in corporis partibus apparent, tunc morbum non inchoare, ſed perfici exiſtimemus oportet, qua de cauſa eſt curatu contumaciſſimus. Ob hoc rectè ab Auicenna ſcriptum eſt, hunc ab interioribus auſpicari, & ſe in exterioribus prodere, neque ceſſare donec rurſus ad interiora peruenerit, ipſaque ita labefactarit, vt mors ſit in procinctu. Quando præ ſiccitate nimia extremæ corporis partes vlceribus ſcatent, & illarum ſoluitur continuum, tunc ſigna ſunt ita aperta, vt etiam rudem agricolam non lateant.

Generoſi, atque Hippocratica arte digni medici, officium eſt, quæ prædicta ſunt ſigna ita obſeruare,

ita

ita horum vires examinare,vt cùm ad ipſum de proferenda ſententia iudicium ſpectet, qui à ſanorum contubernio ſint ſegregandi, qui illorum ſodalitio frui debeant, rectè deliberare ſciat: quippe quod maximè impium ſit, & à Chriſtiana pietate alienũ, horrida hac colluuie infectos cum ſanis verſari,& ſanos ęgrotis miſceri.Quare probè legibus ſancitum eſt,vt hac contagione laborantes à ſanorum ſodalitio ſemoti, in tuguriolis miſerabilem vitam ducant.



De Elephantiaſis curatione.

CAP. XXIV.

PRæcautio quæ ad hanc affectionem diſpoſitis propria eſt, tribus perficietur ſcopis. Quorum primus nos admonet ne morbum faciens humor gignatur. Secũdus, vt qui iam procreatus eſt euacuetur. Tertius, vt hepatis & lienis calida intemperies procul pellatur.Humoris noxij generatio-nem

nem præpediemus administratis euchymis, vel modicè infrigidantibus & humectantibus alimentis, & aliis non naturalibus rebus, ad similes qualitates inclinantibus, quarum ex supradictis notitia habenda est. Vino omnino interdicere oportet, & lacte copioso vti salubre. Secta vena concoquentibus & melanagogis medicaminibus (de quibus superiùs habitus est sermo) hunc melancholicum succum educemus, inter quæ veratrum nigrum bene præparatum, si suscipiendo tali medicamento dispositum sit corpus, iure optimo primas tenet. Quod cùm sit ex perniciosorum medicamentorum classe, deliberatione matura à perito medico erit administrandum. Danda tamen est opera, vt ea quæ à nobis aluum laxantia medicamina præscribuntur, humidam consistentiam potiùs quàm duram & siccam sint adepta: cùm talia corpora humida potiùs quàm sicca efflagitent. Quare catapotia parum vtilia esse censemus:

neque

neque vna purgatione ſat eſt, ſed pluribus vicibus repetita, hepati & lieni intemperie calida & obſtru-ctionibus laborantibus, ſequentibus remediis proſpiciendum ſuademus.

℞. Conſeruæ florum cichorij, rad.bugloſſ. & florum borrag.ſing. ℥.j. conſer.florum nymph. & viol. ſing.ʒ.vj.pulu.diamarg. frig. ʒ.j. ß. pulu.triaſant.ʒ.j.ſem.melon. & cucurb.mund. & in pollinem tenuiſſ. redact. ſing.℈.iiij.ſyr. de pomis bene olentibus q. s. ad incorporandum, fiat adinſtar opiatæ, de qua ſingulis diebus horis duabus ante ſuos paſtus capiet ad quantitatem vnius nucis comeſtibilis, bibendo poſtea cochlearia duo aquæ endiuiæ & fumariæ.

℞. Omnium ſantal. ſing. ʒ. ij. coral. rub. ʒ.j. ß. roſarum rub. florum viol. & nympheæ ſing. ℈. iiij. ſem. endiuiæ ʒ.j. aquarum endiuię,viol.ſing.℥.viij.aceti ℥.ij.miſce, fiat epithema,applicetur ca. regioni hepatis mane & veſperi ter in hebdo-

hebdomade, illinatur postea sequenti vnguento.

℞. Vnguenti rosati Mesuei d. diligenter cum aqua endiuiæ loti ℥. iiij. ol. nymph. viol. sing. ℥. j. foliorum absynthij siccorum ℈. iiij. spicæ nardi & schœnanti sing. ℈. ij. misce, vtere vt dictum est.

Curatio corpus iam obsidentis in sequentem erit aggredienda modum. In primis purgandus erit noxius humor post huius apparatum. Præscripta priùs (vt dictum est) euchyma & corpus humectante victus ratione, à sectione venæ erit desistendum ex insignibus præsertim venis, quia humor in corporis habitu contentus sanguinis missione euacuari nequit.

℞. Medullæ cass. fist. nuperrimè è canna euulsæ ʒ. vj. cathol. ℥. ß. syr. viol. ℥. j. aquarum viol. endiuiæ sing. ℥. ij. fiat potio danda ante omnium aliorum medicamentorum administrationem.

℞. Maluarum, viol. achant. altheæ cum radicib. foliorum bugloss.

glosſ. cichor. lactucæ, cucurb. nympheæ ſing. M. j. qu. ſem. frig. ma. læuigatorum ſing. ʒ. iij. prunorum dulcium xx. num. folliculorum ſennæ ℥. j. aniſi, fæniculi ſing. ʒ. j. ſem. lini ℥. j. florum bugloſſ. viol. nympheæ ſing. p. ij. fiat decoctio in aqua hordei perfectè cocti, & in col. qu. v. diſſ. caſſiæ à canna extractæ recenter ʒ. vj. diapruni ſolutiui ℥. ß. olei viol. ℥. iij. mell. viol. ℥. j. ß. ſucci mercurialis ℥. j. miſce, fiat clyſter, ſupponatur vt dictum eſt.

℞. Rad. ruſci, aſparagi, graminis, acetoſæ ſing. ℥. j. vtriuſque bugloſſ. vtriuſque cichorij cum rad. roſtri porcini, ſcabioſæ, fumariæ, mercurialis, herb. capil. co. bechij cum rad. ſing. M. j. pomorum dulc. depilatorum, & per fruſta diſſectorum ij. num. ſem. citri, melonum, cucurb. & endiuiæ ſing. ʒ. j. ß. glycirrhizæ recentis & contuſæ ʒ. x. corticis mediani fraxini, tamariſc. rad. cappar. ſing. ʒ. vj. follicul. ſennæ orientalis mundatorum, polypodij

lypodij querni recentis, medullæ carthami contusæ sing. ℥. ij. Epithymi cretensis ℥. ß. sem. anisi, fænic. sing. ʒ. ß. florum viol. borrag. & bugloss. sing. p. ij. fiat decoctio in aqua hordei opt. cocti. cape de col. qu. v. in quibus diss. syr. viol. de succo endiuiæ & de bugloss. sing. ℥. ij. ß. pulu. diamarg. frig. & triasant. sing. ℈. ij. fiat apozema clarif. & arom. capiat in quatuor dosibus in aurora.

℞. Rhabarbari opt. ʒ. j. ß. cinamomi g̃. v. infundantur in ℥. iiij. apozematis præscripti per horas xij. expressione facta, diss. confect. hamec & diapruni solut. sing. ʒ. j. ß. syr. ros. ex nouem infusionibus, qu. ß. fiat potio danda post apozematis vsum.

℞. Pulu. elect. triasant. dupl. rhab. & seminib. ʒ. j. ß. pulu. diamarg. frig. ℈. iiij. pulu diarrh. abb. ʒ. j. trochiscorum de vipera ʒ. ij. conseruæ florum borrag. acetosæ & nympheæ sing. ℥. j. syr. viol. q. s. fiat

in

in modum opiatæ, de qua ſingulis matutinis capiet ad quantitatem caſtaneæ horis tribus quatuorue ante prandium.

℞.Decocti præſcripti apozematis ℔.ij. quibus adde ellebori nigri ʒ.iij. diſſ.ſyr.roſ.ſolut.℥. viij.ſacch. albiſſimi ℥.iiij. fiat ſyrup.decoctionis perfectæ, clarificatus, & inter clarificandum exprime vehementer rhabarbari optimi in panno lineo ligati ʒ. vj.miſce, & in ſequentem vtere modum.

℞.Decocti fol. mercurialis, fumariæ,roſtri porcini, trium florum cord.com.℥.iiij. diſſ. præſcripti ſyr. ℥.ij.miſce,fiat potio danda ſingulis decem diebus, addatur ℥.ß.aut ℥.j. ſi prædicto pondere aluus non bene ſubducatur.

Viperarum vſus ab antiquis eſt maximè commendatus, quarum cùm caro calida ſit & ſicca, humores ad corporis ſuperficiem detrudit. Sed deligendæ ſunt illæ quæ notis ab Aëtio conſcriptis ſunt inſignitæ, & amputata ad 4. digitos

tos cauda & capite, vniuersoque sanguine euacuato, & detracta senecta, anguillarum more tamdiu decoqui debēt cum porro, anetho, sale,& aqua, donec à carne facilè ossa disiungantur. Totius corporis recrementa per cutim euacuant, vt historiis quinque cap. de carne vi-
10. *simp.* peræ Gal.docet. Ex hac artifci theriacales parantur, ineunte vere venari debent : nam cum æstate ob vehementem æstum sint furibundæ, harum administratio eo tempore periculo minimè vacat. Quando is qui vtitur scotoma incurrit, aut delirare incipit, tunc ab illarum esu est cessandum. Quod si harum penuria laboremus, deligendæ sunt cerastes, ij enim angues viperarum imaginem aliis magis æmulantur. Vinum in quod missæ sunt viuæ viperæ & extinctæ, intrepide propinari Elephantico potest, & gallinæ quibus vescuntur, farina & viperarum carne sunt saginandæ. Serpentium decocto illinire corpus ex

ex vſu eſſe cenſemus. Et cùm horum corpora olida ſint, ſcabie, tuberculis,& ſordibus ſcateant, balineo ſequenti vtendum erit.

℞. Rad. iarri ſerpent. maioris, cucum. aſinini, brioniæ, liliorum ſingulorum ℔. j. vuæ taminex, oxilapathi, acetoſæ, ſcab. ſtruthij, pariet. fumar. roſtri porc. vtriuſque cichorij, vtriuſque bugl. ſcolopendriæ, ſingulorum M.iij. furfuris macri p. 4. flor. fabarum, nympheæ, viol. ſingulorum p.iij. fl. chamæmeli p. ij. fiat decoctio pro balineo. Ingrediatur tepidum ieiunus, atque iis medicamentis corpus optimè fricet. Continuet triduum, aut quatriduum, poſtea cùm lectum ingredietur ſub noctem, corpus vnguento ſequenti inungat.

℞. Vnguenti popul. ℔.ß. ceruſæ aqua roſar. ablutæ ℥.j. vnguent. citrini recenter præparati ℥. vij. litharg. auri ℥. j. ß. pinguedinis ſerpentis ʒ.x. olei mirtillorum, & roſarum, ſingulorum ℔. ß. ſucci limonum ℥. ij. Ducantur fortiter in

mortario marmoreo,& pistillo buxeo, fiat linimentum.

Symptomatis huic morbo copulatis sequentibus præsidiis erit prospiciendum.

℞. Cantharid. ʒ.j.ß. sublimati ʒ. j. carbonis salicis ʒ.ij. calcitidis vstæ ℈. iiij. aquarum de florib. fabarum & nympheæ singulorum ℥.iiij. bulliant in amphora vitrea ad mediæ partis consumptionem, misce in fine aquæ alchimistarum guttas vj. stilo cotone obuoluto illinantur faciei & reliquarum partium tumores, vel tubercula, donec sua sponte escara decidat, quæ vnguibus nequaquam est attingenda. Illinatur postea facies sequenti remedio.

℞. Vnguenti citrini ℥. iiij. olei de tartaro ℥.j. misce, vngatur, cùm lectum ingredietur, facies, & de mane lauetur cum lacte virginali, vel decocto sequenti.

℞. Flor. nympheæ, fabarum, papau. rubri, singulorum p. ij. citrangulorum per frusta dissectorum

nume

numero 4. furfuris macri p. ij. bulliant ſimul, & facta ſubſidentia lauetur facies.

Ad eroſum narium ſeptum vſurpanda erunt ſequentia præſidia.

℞. Decoctionis hordei integri ℔.j. mel.roſ. colati ℥. j. ß. traiiciat mane ieiunus per nares, depulſis prius è corpore recrementis. Vel ſic.

℞. Succi helidonij maioris, maioranæ & agrimoniæ cum ſindaleo extracti, ſingulorum ℥. viij. mannæ granatæ ʒ. x. vini malorum granatorum, mellis roſati colati ſingulorum quart.ß.fiat. errhinum, traiiciat per nares, ieiuno ventriculo & ore aqua pleno.

℞. Malorum punic. dulcium & acidorum, ſingulorum vnum numero, terantur diligenter in mortario marmoreo, miſce poſtea pompholigis optimè præparatæ ℈. iiij. lapidis calaminaris ʒ.j. ceruſæ aqua roſar. lotæ, plumbi vſti & aqua ſolani diligenter loti, ſingulorum ʒ. j. ß. teſtarum cancrorum marino-

rum in tenuissimum pollinem redactorum ℈. iiij. olei rosati, omphacini ℥.iiij.ducantur longo tempore in mortario & pistillo plumbeis, fiat linimentum. Illinatur turunda, quæ in alteram narem post vsum præcedentis medicamenti mittatur.adde succi plantag. & solani depurati an.℥.j.

Ad depilationem palpebrarum & superciliorum sequens remedium aptum erit, quod recipit cineris vesparum, talpæ sing. ʒ. ij. adianthi resiccati ʒ.j. ß. alcionij ℈. iiij. succi ciclam. ℥. j. ß. mellis q.s. ad excipiendum, fiat linimentum. Illinantur partes dictæ in introitu lecti, & de mane lauentur cum aqua decoctionis furfuris.

℞. Pomphol. diligenter præparatæ ʒ.j. sarcocollæ ℈. iiij. trochisc. alborum Rasis ℈. ij. puluerisentur supra cotem vt alcohol, & cum aquis rosar. plantag.fiat collyrium, mittantur frequenter aliquot guttæ in magnum oculorum cantum.

Prouocandæ sunt mariscæ suppositis

poſitis acribus medicamentis, de quibus cap. de hæmorrhoidibus diſſeruimus, & ad ſanguinis euacuationem affigendæ erunt hirudines, hæmorrhoidum enim euacuatio maniacis, melancholicis eſt ex vſu, Hipp.teſte.



De Chiragra, quam Elephantiam Mauritani Medici vocant.

CAP. XXV.

CHiragra vna ex arthritidis ſpeciebus à manibus defluxione infeſtatis nomen ſumens ab Auicenna Elephantia vocatur, quod ob craſſorum humorum decubitum manus ſolæ nonnunquam cum toto brachio ita tumeant, vt digitis preſſæ œdematis more foſſam retineant. Quò fit, vt qui tali morbo conflictantur, grauiſſimum in affecta parte pondus ſentiant,& adaucta defluxione maximè diſtorqueantur. Is morbus

ab Elephante immani beſtia, cuius extremæ partes ſunt maximè extuberantes, nomen (aſſerente Mauritanorum turba) adeptus eſt: qui cùm organorum organa afficiat, horúmque functionem animanti apprimè neceſſariam lædat, præſentaneis, opportunis, & ex arte excogitatis præſidiis eget. Eſt enim manus aptiſſimum ad accipiendum inſtrumentum, artibuſque accommodatiſſimum. Nam ſi quis manus auferat, aut ſolos manuum digitos ad omnes prope artes capeſſendas, facit inutiliſſimum hominem. Quare ſolus homo, quia rationalis eſt, & artium capax, manus à ſuo creatore obtinuit. Solet hic morbus pituitoſos, magnos comedones, & bibulos frequenter diſtorquere.



De Chiragræ cauſis.

CAP. XXVI.

CONſtituunt nonnulli Medici Elephantiam duplicem, à duplici

plici causa, externa scilicet & interna, profectam, hanc veram, aliam non veram vocantes. Non vera à partium vehementi motu in iis qui cacochymia laborant, ob vitiosorum humorum defluxum, vel à vehementi frigore dolorem excitante, partisque continuum soluente fit, quorum ratione in manus, brachia, pedes, ipsumque calcaneum humorum tumorem procreantium decubitus excitatur: vt facile videre est in pueris & mulieribus, molli & rara structura præditis, in quam vehemens se insinuans frigiditas, in prædictis membris tumorem inducit. Veram aiunt fieri ab interna causa, citra externæ appulsum, ab humoribus scilicet pituitosis, crassis, & melancholicis, qui cùm copiosi sint, & non solùm quantitate, sed qualitate noxij, per dilatatas venas in membrorum carnosam substantiam irruentes illam grauant, & humore ita perfundunt & opplent, vt partis naturalis quantitas & figura deprauetur. Quæ annotina est,

vel vetuſtiores radices iam egit, remedia planè contemnit, & curari non poteſt. Quæ recens, & nondum confirmata, à perito medico (quamuis ægrè) curatur. Acceſſionibus prædita hæc diſpoſitio vere & autumno mortales magis laceſſit, præſertim in ipſo plenilunio.



De Elephantiæ notis.

CAP. XXVII.

MAnuum & pedum tumor ita perſpicuus eſt, vt ſcrutinio exactiori haud egeat. Huius tamen cauſa ex membri qualitatibus eſt petenda. Nam ſi illius color ſit ſubniger, ex rubro ſaturatus, ac manifeſtus percipiatur calor, & proximæ venæ ſint plus ſolito exaltatæ ac turgidæ, indicium eſt ſanguinem melancholicũ anſam huic affectui ſuppeditare. Quod ſi locus non rubeat, ſed albidus, tumidus, & flaccidus ſit, & calor tactu non percipiatur, pituitoſus humor huius origo eſſe cenſetur. Aliquando à

viſci

viſcida pituita bili permixta ſcaturit, ad extimam membri partem delata, bili ruborem & calorem inducit. Subſidens pituita digeſtioni non ita obedit.



De Elephantiæ curatione.

CAP. XXVIII.

SI à ſanguine craſſo, aut pituita oriatur, inſtituenda prius erit victus ratio probum ſubtilémque ſanguinem gignens, cuiuſmodi ſunt pullorum, gallinarum, turturum, perdicum, caponum, columborum iuuenum, paruarum auicularum, veruecis, vituli, hœdi carnes, oua ſorbilia tremuláue ſunt ex vſu. Ex oleribus borrago, endiuia; ſed iuſculorum pinguium & offarum rarus ſit vſus. Vinum vermiculum vitio carens, & vt decet dilutum, commendatur. Crebris & vehementibus motibus non eſt defatiganda manus, ſed ſana maximè exercenda: qua magna

pondera attollere congruum erit. Secanda partis oppositæ iecoraria, suadentibus viribus & ætate. Secus scapulæ cum scarificatione, vel sine illa affigendæ erunt cucurbitulæ. Plerique ad causæ coniunctæ euacuationem secandam esse eiusdem partis magis perspicuam venam statuunt, ex qua vberem sanguinis copiam euacuari iubent, & singulis hebdomadis sequens præsidium propinant.

℞. Epithymi cretensis ℥. j. seri caprini ℔. j. Decoquantur ad consumptionem duarum partium. Expressione diligenter facta dissolue syrupi rof. sol. ℥. j. ß. misce, fiat potio.

℞. Conser. florum stœchados ℥. j. conser. rad. buglossæ, & florum cichorei sing. ʒ. vj. conser. capillo. ven. & ceterac sing. ℥. ß. pul. diamarga. frig. ʒ. j. ß. pul. triasã. ʒ. j. syrupi viol. q. suf. fiat in modum opiatæ, de qua post purgationẽ factam capiat singulis diebus ad quantitatẽ castaneę.

Ante topicorum præsidiorũ vsum conciliandus erit vomitus semel in

hebdo

hebdomade, raphani cum aceto comeſtione, carnium diuerſarum & pinguium repletione immodica, hydrælei potu, & aliis huic operi dicatis. Fouendum poſtea ſequenti decocto erit cum manu brachium.

♃. Rad. liliorum alborum, ebulorum & maluauiſci, ſingulorum qu. j. maluarum, violarum, acanthi, ſingulorum M. j. ſem. lini, fænugræci ſing. ℥. ij. flo. camomillæ, meliloti, ſambuci ſing. p. j. ſummitatum abſynthij, n. iiij. fiat decoct. in lixiuio ex cineribus ſtipitum fabarum, rad. caulium, vitium parato. De qua foueatur frequenter manus, & deinde faſcia lata arctè vinciatur, vt in altas partes fluens repellatur humor, ſuppoſito priùs ex plantagine trita cum radicibus cataplaſmate. Et cùm lectū ingredietur, ſequens parti admouendum erit præſidium.

♃. Rad. ebiſci mundatæ, elixæ & optimè pinſitæ ℔. j. adipis ouilli ℔. ß. olei keirini ℥. iij. fiat catap. Vel ſic.

℞. Cineris rad. cauliū ℥. iiij. axungiæ ſuillæ antiquæ q. s. ad concor-

porandum, misceantur in mortario marmoreo, donec mellis parũ cocti consistẽtiam adipiscantur, & vtere.

Quod si pituitosa materia huic affectui ansam suggerat, priùs concoquendus erit crassus & pituitosus humor sequenti apozemate.

℞. Rad. enulæ campanæ, ciperi, galangæ crassioris, & acori vulgaris sing. ℥. j. corticis citri sicci. ℥. ß. hermodactylo. ʒ. iij. bethon. melissæ, maioranæ, foliorum hyssopi, chamæpyt. chamædreos singulo. M. j. vtriusque bugl. vtriusque cichorij, fuma. herbarum capi. com. & merc. sing. M. j. ß. sem. anisi, fænicu. sing. ʒ. ij. glycirrizæ rasæ ℥. j. caricarũ ping. p. xv. folliculo. sennæ, polypo. quer. recentis sing. ℥. ij. turbith electi in sero caprino infusi ʒ. ij. flo. stœcha. rorisma. bugl. an. p. j. fiat decoct. cape de cola. qua. quinque, in quibus dissol. mellis rosat. cola. oximelit. scillitici sing. ℥. ij. sacch. q. s. fiat syrupus decoctionis mediæ clarificatus & aromatizatus cũ pul. elect. diarhod. Ab. & diambræ sing. ℈. ij.

pro

pro quat. dosibus de mane.

Præscribendæ postea erunt pill.de hermodactyl. maiores fœtidæ, vel puluis ex ʒ.j.turbith, zingiberis ʒ. ß.facch.ʒ.ij.cum ℥.iiij.decocti caulium: vel iuris galli gallinacei veteris modice saliti tantumdem. Affectus locus inungendus erit hircino felle superposito cotone, vel muniendus empl. sequenti.

℞. Gummi ammoniaci veteris in aceto dissoluti ℥. iiij. opopana. ℥.j.ß. pulu.iridis flor. ℥. j. axungiæ anatis, medullæ cruris vituli sing. ℥.ij.flor.camomil. & anethi sing.℥. ß.aristolo.rotundæ ℥.j.ceræ & olei keirini sing.q.suff.fiat magdal. formetur empl. magnitudinis requisitæ.Suffitus ex acri aceto supra candentem pyritem,aut molarem lapidem misso ex vsu erit subsequente mox empl.appositione,vt capite de scirrho fuit traditum.

Quarti Libri finis.

DE



DE AGNOSCENDIS CVRANDISQVE TVMORIBVS praeter naturam.

Auctore

ANTONIO SAPORTA *Doctore Medico.*

LIBER QVINTVS.

CAP. I.



E abſceſſibus in hoc poſteriore libro dicturus: docebo quid per abſceſſum Latini & ἀπόςημα Græci intelligant. Quot ſint abſceſſuum differentiæ : quæ hos excitantes cauſſæ : & qualis horum debeat eſſe curatiua methodus. Quibus

Quibus traditis noſtro operi colophonem imponam. Eſt apoſtema mutatio corporis ex inflammatione in pus, vel docēte Paulo, carniũ, ſeu carnoſarum partium, nempe muſculorum, venarum, arteriarum, corruptio mutatioque. Hoc enim ſeparationem & quandam vnius ab altero diuiſionem ſignificat, ab ἀφιστάναι verbo Greco, quod eſt abſcedere & ſegregari: hoc ipſum etiã abſceſſus, nempe partium quarundam quæ prius vnitæ erant & coniunctæ, ſegregationem ab aliqua corpulenta materia ſcaturientē indicat. Arabes tumorem præter naturam ab humore progenitum, aut ab aliqua ſubſtantia humori congenere, apoſtema perperam vocarunt: abſceſſum autem ſua lingua dubellet, illorum interpretes exituram: vt huius operis primo cap. primi lib. fuit à nobis demonſtratũ. Fit autem Apoſtema vel abſceſſus tribus modis: vno ab inflammatione tumori pręter naturam copulata, vt à phlegmone aut ab eryſipelate

pelate phlegmonode. Cum enim ſuppurantur partes eo tempore abſcedunt contento intus in cauitate pure. Altero quando nullo eiuſmodi affectu præcedente, humor, aliquidue generis peregrini, vt lapides, oſſa, arenæ, teſtæ, ligna, carbones, intra cauitatem coaceruantur, & coaceruata corrumpuntur. Tertio vbi humores vel excrementa ab alia parte decumbentia partem aliã abſcedere faciunt, vt facile videre eſt in ea angina quæ in pleuritidem mutatur, quæ diſpoſitio ἀπόστημα Græcis dicitur: & vt phlegmoni exquiſitæ, vel non exquiſitæ apoſtema ſuccedit, ita apoſtemati ſinus, κόλπος Græcis dictus: humor enim quandiu in carnoſarum partium ſpatio conſiſtit, & putreſcit, neque pars affecta hiat, ἀποστάναι Græcis dicitur, hoc eſt abſcedere, ipſeque affectus ἀπόστημα nominatur. Quod ſi aperiatur, & humor qui intus continetur exitum habeat, hæc labes non amplius ἀπόστημα, ſed κόλπος dicitur.



De Abſceſſuum differentiis.

C A P. II.

APoſtematũ ſiue abſceſſuum alij tunica ſeu concludente membrana ſunt priuati:alij tunicam habent, in qua corporum quorundam ſpecies & formæ continentur,inſtar lapidum,arenarum, & aliorum corporum (vt ſuperius fuit demonſtratum.) Iſti in tres diduci ſpecies poſſunt , in ἀθερώματα, στεατώματα & μελικηρίδας ,à ſimilitudine quam cum pulte , ſebo & melle habent nomen ſibi vendicarunt.




De Abſceſſuum ſignis.

C A P. III.

ABſceſſuum omnium communia ſigna ſunt tumor eminens, ruber, & magis ſolito durus, cum punctorio, pulſatorio,& graui dolore,

dolore, igneus insuper loci feruor, febris hominem molestans, fastigiatus tumor mollis, & ad albedinem decliuis, præsertim dum in alto non delitescit.



De Apostematum caussis.

CAP. IV.

APostematũ caussæ duplices. Externæ scilicet, & internæ: externæ sunt omnes illæ quæ phlegmonas & alios tumores prȩter naturã excitare solent (vt superius fuit traditum) non quod ab externis immediatè abscessus oriantur, sed à corporeis. Phlegmone enim ipsa aut erysipelas phlegmonodes, aut ab humore frigido scaturiens alius tumor, nisi digeratur vel lapidescat, in abscessum migrat. Ex suppurata phlegmone, cauitate à putrente humore facta, potissimum si magna sit, partémque maximè oppleat ac distendat, nonnunquam gangræna quæ ad

partis

partis morticinium eſt via ; nonnunquam ſphacelus qui ipſius partis eſt interitus producitur. Sæpe, pus malignum eructante vomica, vlcus ſyringodes , cauernoſum,aut cuniculoſum , curatu pertinax gignitur.



De Apoſtematum curatione.

CAP. V.



I apocrouſtico remedio phlegmones incrementum prohiberi non poſſit , neque digerente aboleri : præſcripta prius ea victus ratione, cuius capite de phlegmones curatione meminimus, vſurpãda erunt chalaſtica quæ affectam partem relaxantia dolorem compeſcunt , qui circa puris generationem multis numeris minor eſt quàm iam genito pure. Præmiſſa itaque corporis euacuatione idonea , erit parti tetrapharmacum illud à Chirurgis molle vocatum apponendum,

ponendum,quod ex triticea farina, oleo rosaceo,aqua,mediocriter coctis paratur, cui mellis parum miscere erit consentaneum. Quod si peruicax humor digestioni non pareat,iam in peregrinam naturam transiens, chirurgia aut pyrotico medicamento est euacuandus si maturus sit, & in pus plane conuersus.Crudos tamen abscessus nõnunquam antequam ex toto in pus sint mutati incidimus,potissimũ si principibus partibus sint vicini,vel articulos,vel adenosas partes occupent,tunc ne assidua putredine affectæ partes contabescant sectionem molimur. Sed ante illius perspicuam euacuationem ad pus mouentium medicamentorum vsum te conferes : quæ calida & humida cum sint & malacticis magis glutinosa, adaucta caloris membri substantia & retentis qui ex noxia materia consurgunt vaporibus, hanc computrescere faciunt. Hæc pro varia humoris abscessum excitantis dispositione aliquando

dige

digerunt, aliquando ſuppurant: præſtantior tamen eſt quæ per digeſtioné fit curatio. Ignauior ægrotumque magis moleſtans, quæ per ſuppurationem. Omnium enim tumorum præter naturam proba curatio fit deſiccantium, & digerentium medicamentorum vſu quæ partis plenitudinem euacuant: hanc ſequitur quæ adhibitis pus mouentibus medicamentis. Qualia ſunt ſequentia.

℞. Medullæ panis ſiliginei ℔. j. farinę triticeæ ℔. ß. decoquan. cum decocto caricarum pinguium moderatè, adipis ſuilli & vitulini ſingulorum ℥. iij. olei communis, vel amygdalarum, vel camomillæ ℥. iiij. fiat cataplaſma. Vel ſic.

℞. Ebiſcì cum rad. malu. viol. ſing. M. j. decoquantur, piſtentur diligenter & per cribrum medicum transfundantur, miſcendo poſtea butyri recétis ſine ſale, & axungiæ gallinæ ſingul. ℥. iij. olei communit ℥. iiij. croci ʒ. j. Miſce, fiat cataplaſma.

Id

Id ipſum præſtare poteſt vng. baſylicon vocatũ à Gal. tetrapharmacum. Si tumoris pars aliqua alba, & acuminata appareat, niſi ſua ſponte rumpatur ſcalpelli cuſpide erit aperienda inflicto myrtacei folij figuram referente vulnere. Nã circularis figura ad cicatricem ſuſcipiendã minime eſt idonea. Loco decliuiori adigendum ſcalpellum, vt iam genitum pus ſua grauitate facilius exeat, & contemplato probe muſculorum ſitu procul à venis & arteriis ſectio molienda erit. Non affatim, ſed ſenſim euacuandus erit hũmor ne vires conuellantur. Deterſo probe pure, atque rhiptico medicamento euacuato, colleticorum vſus commodus erit. De quibus in noſtris de vulneribus & vlceribus commentariis fiet ſermo. Quippe quod aperta apoſtemata vlcerum naturam ſibi vendicant. Eſt autem detergentium medicamentorum ordo varius. Nam quædam viribus imbecilliora apertarum phlegmonarum pus tantum euocant,

euocant,atque eluunt: his fortiora ſordem detergunt, amara & dulcia, ſed valentiſſima corruptam carnem exedunt, vt calida & ſicca ordine tertio quæ cathereticis ſunt proxima.



De aliis Abſceſſuum ſpeciebus.

CAP. VI.

CVm abſceſſuum non propriè dictorum tria ſint frequentiſſima genera, & ſingula propriam appellationem ſint ſortita, ea ſunt ateroma, ſteatoma, meliceris, à ſimilitudine contentarum in tumoribus ſubſtantiarum dicta,de his dicendum erit:eſt enim ateroma tumor pręter naturã,qui cũ ſcalpello eſt diuiſus proprietatem quandam ſubſtantiæ in ipſo contentæ obtinet, quæ pulti ſimilis eſt,meliceris melli, & ſteatoma ſeuo. Ab aliis abſceſſibus hoc diſcrimine euariant, quod abſceſſus proprie vocati dolorem inflamma

flamationemque teſtentur, acrem erodentemque humorem contineant, & nulla membrana peculiari concludantur: ij verò tunica comprehenſum humorem ſeruent.



De horum Abſceſſuum cauſsis.

Cap. VII.

CAuſſæ horum abſceſſuũ procatarcticæ ſunt, quæ pituitoſum humorem gignere ſolent, de quibus 2.lib.cap. de œdemate & de ſtrumis factus eſt ſermo. Corporeæ ſunt, humores pituitoſi ſenſim in particula coaceruati, qui pro varia illorum ſubſtantia & ſimilitudine quam cum rebus extra corpus poſitis habent, varias tumoribus ſortiri faciunt nomenclaturas, tametſi eodem quo ſtrumæ modo curentur.

De



De horum Abſceſſuum ſignis.

CAP. VIII.

IN ceruice, alis, lateribus frequentius iſti abſceſſus oriri ſolent. Per viam ſynatriſmi cum fiunt, ex paruulo incipiunt & diu paulatimque increſcunt, & propria tunica includuntur. Inter ſe hac ratione differunt: quod humor ſteatoma committens, ſeuo ſit ſimilis, hoc ipſum indicante appellatione: in Atheromate pulti frumentaceæ, in Meliceride humor mellis colorem & ſubſtātiam repræſentet. Horum quidam duri & renitentes, quidam molles cedenteſque ſunt: ſteatoma aliis durius eſt, tactui magis renitens, baſim habens ſolidiorem. Meliceris figuram rotundam habens, laxi cuiuſdam corporis modo ſubſidet, tardè funditur, citò rurſus ſuccreſcit: Atheromati ſimul cum humore pultaceo lapidoſa quædam duraque corpora & alia

officulis, pilis similia insũt. Tumoris huius figura oblonga digitorum compressu ob humoris crassitudinem tardè retrocedit: Meliceris à fauo quem Græci κήριον vocant, differt, quia hic capiti peculiaris est affectus, cum tumido & foraminulento vlcere, eo quod in achore apparet maior: saniem melli similem eructat, nitrosæ pituitæ est soboles: Alter omni vlcere priuatus in neruosa membrana inclusum & melli similem humorem habet.



De curatione horum Abscessuum.

Cap. IX.

Horum abscessuum procatarcticæ caussæ calidam & exsiccantem diætam efflagitant, vt 2. lib. ostensum est, sed corporeæ omnino delendæ. Quæ res cum malacticorum & digerentium medicamentorum vsu quæ à nobis prius sunt tentanda, compleri non facilè possit, ad Chirurgiam tanquam

quam ad ſacram anchoram confugiendum erit. Hoc exacte obſeruato vt in manuum actione vnicam ob oculos propoſitam intentionem habeamus, vt tunicam humorem continentem ſiue is pultaceus, ſiue melleus, ſiue fœculentus, ſiue alterius ſubſtantiæ extiterit, auferamus. Reuocantes hoc in animum, horum tumorum quoſdam ſuſpenſos eſſe, & ad quemlibet motum expoſitos curatuque minimè contumaces: Quoſdam inſertos & immobiles diligentem Chirurgi manum expoſcentes ob hæmorrhagias & neruorum puncturas imminentes, quæ conuulſiones ſæpe accerſere ſolét. Purgato itaque phlegmagogis corpore ad manuum operationem accedentes collocato in ſella ægroto, ſi paruus ſit tumor ſimplici ſectione vtemur ea quæ à nobis in ſtrumarum curatione tentatur, quibuſcum tumores iſti magnam ſympathiam habent: Maiore exiſtente tumore ad folij oleæ aut myrtei figurã pro tumoris ratione

adiacentem cutim abſcindemus. Sed neque vno impetu ſectio ducenda eſt, neque dilaceranda in meliceride & Atheromate humorem continens membrana, ſed ea ſcalpello à ſubiectis partibus eſt ſeparanda. Nam ſi euacuetur humor tunica diſciſſa ea difficulter excoriari curariue poterit. Quapropter morbus reuiuiſcet remanẽte etiam parua tunicæ quantitate. Totus itaque humor cum ipſum complectente membrana erit auferendus. Quod ſi huius vel membranæ portiuncula quædam remanſerit præcipitati puluere alumine cõbuſto, aut alio pyrotico medicamento erit abigenda: Deinde ſuturis inflicti vulneris labia connectemus & collecticis medicamẽtis agglutinabimus. In ſteatomate in quo pinguedo quædam pręter naturam reperitur, ſecanda eſt tunica vt effundatur quidquid intus coiit: eo quod non facile à cute & à ſubiecta carne ſeparetur. In reliquis tumoribus tunica ipſa inuiolata ſeruanda eſt,
qui

qui discuti dicatis ad id medicamentis & cathereticis exedi possunt. Quod steatomati non est datum, quippe quod sola manũ curari debet. A Ganglio (quem nodum Mauritanorum turba vocat) tumores isti plurimum differunt, quod raro sponte prouenit. Fit enim à percussione vel impulsione præcedente, manuum radices pedumque plantas frequentius occupat: Chirurgo opere non est curandum, sed malacticis & emollientibus medicamentis ammoniaci ab igne eliquati illitu & lamina plumbea tumori superposita iniectis arctis mẽbro vinculis. A Parotidibus etiam isti tumores maximè differũt, quod parotides quamuis à pituitoso magna ex parte succo procreentur, & repellentium medicamentorum illis sit aduersus vsus, ne fiat noxij humoris in cerebrum recursus, nihilominus digerentibus medicamentis, rarius suppurantibus curari debent, neque humorem in membrana conclusum habent, & cum

frequentissimè chronicorum morborum sint iudicia, epicpasticorum medicaminum aut cucurbitularum opera maximè curantur. Quibus suppuratis prudenter & magna cum solertia aperiendæ erunt, ne scalpelli cuspide insignes arterias aut venas in caput ascendentes vulneremus. Hactenus de tumoribus externas & perspicuas corporis partes diuexantibus, quorum Chirurgia medela est, dictum sit.



IOAN



IOANNIS SAPORTÆ, ANTONII FILII, CONSILIARII, MEDICI, ET Professoris Regij, Vniuersitatisque Medicæ Monspeliensis Cancellarij.

Tractatus de lue venerea.

CAPVT PRIMVM.

De origine & nominibus Luis venereæ.

LVIS venereæ affectus præter naturam imprimis vulgatissimi & fœdissimi curationem dogmaticam apud Autho-

res maximè controuersam traditurus methodo solita vtor, vt imprimis nomen, tum essentia innotescāt, deinde causæ, quartò differētię, quintò signa, primò quidem diagnostica, tū prognostica, postea medicationes persequar, à quibus facilis est & secura ad curationē via.

Et quidem de eius origine variis varia placent, cùm alij ad prauum syderum aspectum, alij ad alimentorum prauitatem & cacochymiam eam referant. Censeo ego ex India Calicut in Europam fuisse aduectam anno 1494. & primò quidem Neapolim, vbi Carolo V. imperante flagrantissimum bellum æstuabat, mox fœdo militum Gallorum & Italorum concubitu cum scortis ab Indis & Hispanis corruptis totam Galliam, & Italiam peruasisse, sed eo quidem modo, vt quæ apud Indos non minus frequens est, quàm apud nos scabies, nec maioris momenti, prioribus annis immitis apud nos & ferocissima fuerit, nunc posterioribus

hisce

hiſce facilior tolerantia & curatione euaſerit.

Eius varia ſunt nomina. Gallis enim dicitur morbus Neapolitanus, quod in obſidione illius ciuitatis primùm originem habuerit; Italis morbus Gallicus, & variola Gallica, quod in toto illo exercitu primùm Gallos cœperit malè habere hæc lues: quibuſdam nuncupatur pudendagra, quod ſit affectus pudendorum præcipuè, vel quod homines ea infecti pudore afficiantur. Dicitur per deriſionem lues venerea, quod per actum venereum vt plurimum oriatur.

Quod autem aliud ſit à lepra Arabum ſeu Elephantiaſi, ab Aloti Auicennæ lib.4.fen 7.tract.3.cap.4. quæ eadem eſt cum Terminto Græcorum; Item ab Arthritide, à Pſora, à variolis, ſatis conſtabit ex iis quæ in progreſſu de iis affectibus peculiariter à me dicentur.



CAP. II.

Quid sit lues venerea, & ad quod genus affectuum præter naturam reuocanda sit.

SEd vt commodiùs ad huius affectus naturam deueniamus, quis qualisue is sit genericè & specificè, quæ eius in corpore sedes inquirendum. Hac enim methodo vsum fuisse Galenum scio, tum ad præsagiendum, 4. præsag. ex pulf. cap. 2. cùm ait illum ad futura præsagienda esse peritissimum, cui status facultatis ad vnguem perspectus sit, locusque affectus, & eius affectus: tum ad curandum, 13. meth. & lib. 12. meth. cap. vlt. In vtriusque notitiam vos deduco methodo simeiotica à Gal. proposita lib. 1. de locis affectis.

Sed priùs quoad essentiam definitur lues venerea, excrementum contagiosum, putridum, aduersarium facultati naturali, vt naturalis

lis eſt, à ſimili in quauis corporis parte genitum, omnium affectuum præter naturam in corpore principium.

Dico excrementum, cùm enim ſit affectus præter naturam, iſque Gal. 1. de ſymptomat. differentiis. 1. neceſſariò vel ſit morbus, vel cauſa morbi, vel ſymptoma morbi, lues autem nō poſſit dici morbus; non quidem intemperies, ea enim contrariis qualitatibus manifeſtè agentibus tolleretur, quod experientiæ repugnat, adde quod quamcumque intemperiem aſſignes, patent perpetuò effectus ei contrarij, non enim poſſet eſſe intemperies frigida humida, cùm vt plurimum excernantur excrementa bilioſa, cùm appareant vlcera virulenta, ſerpentia, quæ non fiunt niſi à mineris erodentibus, præſertim à melancholia vſta, denique cum defœdentur ægri ſæpe defluuio capillorum, ſeu Alopecia, item à mineris acrioribus. Non intemperies calida ſicca, vt Ioanni Baptiſtæ Montano,

Ioanni Scheckio, aliisque viris grauissimis placuit, qui per iecoris caliditatem & siccitatem hunc affectum definiunt; sic enim non iungeretur cum hydrope, vt sæpe contingit, non lateret per totum aliquando decennium. Hipp. a. 6. epid. Dolores recentes calidi, antiqui verò frigidi. Curaretur frigidis, cùm tamen Guaiaco, sarsa, suffumigiis ex cinnabrio, exercitationibus, victu attenuante & siccante ipsam profligari constet.

Non intemperies calida humida, vt Ioanni Gallo visum fuit, & aliis, vnde enim tot tantique siccitatis effectus quot apparent? vnde macies? quomodo in instanti introducitur passim qualitas sine materia? Quod si putredini maximè obnoxiam dixerint talem intemperiem, affectum autem hunc totum putredinosum esse. Respondeo, aliud esse intemperiem calidam siccam, aliud putredinem, hanc enim efficit non tam intẽperies ex se, quàm humor putridus partem corrumpens.

Præ

Præterea hæc lues non eſt intē-periés ſimplex, eædē enim rationes contrarium manifeſtè docent, ſicca difficilè tollitur, & ſi confirmata fuerit nunquam ſanatur. Gal. 7. Meth. c. 5. cũ tamen per Dei gratiã perfectiſſimè ſanetur etiã antiquiſſima lues. Calida difficultates propoſitas patitur; non itaque poteſt hæc lues ad intemperiem referri.

Ad morbos verò organicos nemo ſanæ mentis reducet, cùm ſæpiſſime nec tumores, nec vitiatæ figuræ appareant, ſoloque defluuio capillorum & gonorrhæa tenentur ægri. Quod ſi bubones venerei aliquando appareant, ſunt potius ſymptomatici quam eſſentiales lui.

Ad ſolutionem continui retulit doctiſſimus Manardus, cùm cenſuit hanc luem eſſe vlcus hepatis, ſed ἀυτοψία nullum vnquam aut rarò ex diſſectione cadauerum venereorum, animaduertere licuit vlcus in hepate ab hac ſola cauſa; vlcera quæ ſuperueniunt partibus cutaneis

cutaneis perpetua non sunt. Non ergo ad vllum ex tribus morborum generibus à Gal. propositorum reuocari potest hic affectus.

Multo minus censendum est eum esse morbum vt de tribus suis differentiis prædicatur, vt existimant quidam, vnico enim præsidio non tolleretur, vt solo Guaiaco, vel solo hydrargyro, vt sæpe fit, quod enim indicat, per suam naturam & essentiam indicat. 9. meth. 12. si itaque plures essent eius naturę, plura necessariò indicaret pro sui ablatione. Fernel lib. 6. pathol. cap. vlt. lib. 2. de abditis rerum caussis cap. 14. & lib. de lue venerea cap. 2. ad morbos suos totius substantiæ accommodat, non quidem epidemicos, non venenatos, sed contagiosos, nempe quod corporis & partium eius totam substantiam & formam primùm & per se afficiat, seu corpus, vel pars per hunc affectum de perfectione & integritate suæ substantiæ decedant, vnde tam varia non solùm in

exte

exterioribus, ſed in penitioribus partibus exurgunt ſymptomata, cùm tamen nullum in vrinis vitium appareat, quod ſatis venenatam illius naturam teſtetur. Fernelij opinionem amplexus eſt Fallopius tract.de morbo Gall. cap. 20. eiuſdem rationibus adductus. Verùm decipiuntur ambo, quod fruſtra multiplicẽt Entia ſine neceſſitate, quod præter tria illa receptiſſima morborum genera, nulli dentur morbi totius ſubſtantiæ, etenim plura nõ ſunt cõſtituenda morborum genera partis quàm ſunt ſanitatis ſpecies: ſed ſanitas conſiſtit tantùm in bona temperie partium, in conformatione, & vnione earumdem, atque ſub iis includitur materia & forma, quicquid etiam dixerit Fernel. Ergo morbi etiam tantùm in iis conſtitui poterunt.

Fateor quidem occultam cauſam, & tota ſubſtantia aduerſariam naturalibus facultatibus, dari in lue, ſed morbi ſi qui ſint, ſtatim ad ſua genera Galenica reuocandi.

Si

Si itaque lues venerea ad nullum morborum genus possit reduci, experiendum est an ad aliud ex duobus reuocari possit, scilicet ad symptoma, aut causam morbi. Quod ad symptoma scribit Gal. 1. de sympto. differ. tria dari eius genera, actiones læsas, animales, vitales, naturales; qualitates mutatas, scilicet visibiles, odorabiles, gustabiles, &c. Excrementa mutata in substantia, quantitate & qualitate, ad quorum nullum sufficienter potest reuocari lues venerea; si enim actionem læsam dixeris animalem, puta statim non semper eam lædi, vt in gonorrhœa, defluuio capillorum, idem censendum de aliis actionibus; cùm etiam pateat qualitates sæpissime mutari, & excremẽta excerni, id talibus illucescet. Adde quod Gal. lib. c. symptoma sequitur morbum tanquam vmbra corpus; si itaque lues sit symptoma, eius aliquis erit certus & determinatus morbus, quod tamen superior discursus negauit. Ergo si nec morbus sit,

nec

nec ſymptoma morbi, recenſenda erit inter cauſas morbificas; & reuera cenſeo luem venereã nihil eſſe aliud, quàm cauſam non quidem vnius tantùm morbi, ſed cauſam antecedentem, imò & coniunctam aliquando plurium & diuerſorum morborum, vnde varia ſequantur ſymptomata omnis generis. Addo cauſam eſſe aliarum cauſarũ morbificarum morbo magis vicinarum. Nec noua eſt hæc doctrina, præterquàm quod enim fautorem habet Capiuaccium lib. de morbo Gall. licet ab eo pluribus diſſentiat; eſt etiam Gal. dogmatibus conſentanea, cùm ait morbum parere morbum, & lib. de ſympt. diff. cap. 1. ſic ſcribit, poteſt ordo quidem cauſarum quæ crebro ſeſe inuicem ſuſcipiunt, inſtitui, veluti pluribus calculis inter ſe ordine diſpoſitis, ſi quis primum moueat, primus verò ſecundum, atque hic tertium, & ſic deinceps quilibet ſequetur.

Hæc cauſa vel accidens eſt, vel ſubſtantia Accidens purum nemo dixe

dixerit, cùm enim, vt in progressu declarabo, contagio communicetur, non potest migrare de subiecto in subiectum, siue à corpore vno ad aliud, absque subiecto seu substantia. Cum itaque hic necessariò constituenda sit substantia, hanc omnium illorum affectuum causam esse item necesse fuerit.

Porrò substantia omnis quæ reperitur in corpore, Hipp. est vel continens, vel contentum, vel impetum faciens. Esse substantia continens viuensque non potest, hæc enim potiùs morbi subiectum quàm causa morbi statuenda, quod morborum sit immediatè actiones lædere: quarum verum subiectum non efficiens sunt partes, & quamuis carnes & ossa hac lue aliquãdo contabescant tota, & contiguas partes inficiant, id nihilominus non fit, nisi excrementitiam induerint naturam. Itaque hæc est substantia non continens, sed contenta, & quidem non alimentaris, hæc enim patitur à corpore nostro, & conuertitur

titur in ipſum, lues verò quamprimùm agit in corpus. ergo ſubſtantia contenta excrementitia eſt. Quare rectè definita fuit lues, exexcrementum,quo nomine non ſolùm intellige propriè dictum, ſcilicet mineras excrementitias, verum etiam vapores ab illis elatos, per quos contagiorum in corpus vicinum deriuat lues. Mineræ ſunt præcipuæ ſanguis, pituita, bilis vtraque, ſemen, ſerum, ichores,ſanis, lac.



CAP. III.

In quo exponitur natura excrementi venerei,& prior definitionis pars examinatur.

HOc excrementũ duplex habet eſſe abſolutum & reſpectiuum,quod vtroque modo conſiderandũ eſt, quoad eſſe abſolutum,dictum eſt ipſum eſſe contagioſum,putridum, aduerſarium facultati

cultati naturali, vt naturalis quoad respectiuum, dictum est sum esse principium & cau aliarum causarum, morborun symptomatum, quæ corpori lue infecto contingunt, vel pos contingere. Contagiosum est, ab vno in aliud deducitur med te contagio, vnde quamprimur contactus non infecti cum infe ibi radices figit lues, vt in ore s culando, in pene & ab eo in i rioribus partibus, si ei ex pude muliebri communicetur vapor sanies, in habitu corporis, si c cumbat aliquis cum muliere, & mul incalescant sudéntque, etiam si in pannis infectorum cumbat..

In hoc contagio requiru agens contagiosum, scilicet hun aut vapor: 2. patiens dispositur debita distantia.

Quod ad agens vt sit conta sum, debet esse calidum, sicque cile transit, & mouetur in cor sibi analogum, cum frigida in q

te permaneant, vnde hydrops non eſt cõtagioſa. Debet etiam eſſe putridum, contagio enim omnis non ſola alteratione, ſed propria corruptione inficit, adeo vt id quod eſt in corpore patientis corrumpat, & in materiam virulentam mutet, à qua virulentia deinde fiunt morbi cauſæ, &c.

Requirit quoque viſciditatem, qua corpori quod inficit melius hęreat, philoſophorum namque eſt axioma, actiones quæ fiunt per cõtactum mora ſufficiente & permanentia omnino indigere.

Vltimo debet eſſe aduerſarium in lue venerea facultati naturali, vt naturalis eſt: quemadmodũ enim in phthyſi vapor phthyſicus aduerſatur facultatibus naturalibus & vitalibus pulmonũ, vapor ophthalmicus facultatibus naturalibus oculorũ, vapor elephãticus facultatibus naturalibus carnis & cutis, ſic vapor vel humor venereus aduerſatur facultatibus naturalibus, vt naturales ſunt; in quo differt à cõtagio peſtilenti

pestiléti quod aduersatur vitalibus.

Aduersatur autem venereus hic naturalibus sc. assimilatrici, concoctrici, nutrici, eisque inseruiẽtibus, retentrici, attractrici, cõcoctrici, & expultrici, vnde mirum non est si tot excrementis scateant hac lue infecti, sc. deprauatis omnibus coctionibus partiũ aliquãdo omniũ; si etiam qui ad venerem promptissimus fuerat antequam ea afficeretur, his affectis languidior euadat.

Dico (vt naturales sunt) quia cum in pluribus partibus determinentur alię facultates ex animaliũ, vel vitalium genere, iis tamen aduersatur excrementum illud contagiosum, non vt facultatibus illis donantur, sed vt naturales sunt, & nutriuntur, attrahunt, retinent, expellunt, concoquunt.

Addo, dici aduersari facultatibus naturalibus, vt naturales sunt, quia principio naturalium facultatum, scil. iecori præcipue aduersatur.

Quod ad patiens ipsum disposi-

tum esse oportet, hæc dispositio vniuersaliter est vel in qualitatibus primis, scil. temperamento calido humido, vel in secundis, in habitu molli, raro, vt facile recipiatur vapor & introducatur in corpore cacochymico, in pathematis animi, præsertim amore herotico, quo corripiatur patiens: dispositionem etiã eandem efficit labor improbus & conatus videlicet congredientiũ, ex quibus dispositionibus facilè communicatur lues patienti, & hinc est quod vt plurimum afficitur hepar, quia siue osculo, siue coitu aut alio quouis modo quis inficiatur, communicatur prius vapor cõtagiosus venis quàm arteriis, quia in superficie corporis plures reperiuntur eæque molles, quæ frictione, coitu aut alio modo rarescunt, vt facilis detur vapori aditus, qui à venis statim in iecur fertur; hinc etiam est quod coëuntibus tribus aut quatuor cum muliere infecta, vnus tantum vel duo inficiantur, non autem cæteri, quia scil. vapor non
æqua

æqualiter illis communicatur, atque istis, cui communicationi ansam sæpissime præbet eorũ pulchritudo, deinde quod mulier maiori peracta voluptate magis incalescat, & vapor à sanie virulenta eleuetur; vel quod iidem rarioris vel mollioris sint texturæ, vel denique quod isti prudentiores statim à coitu omnem virulentiam medicamento detergant.

Quod ad distantiam, si omne agens agit in passum dispositum proximum, profecto nullum aut paucum censeo debere intercedere spatiũ, inter infectũ hac lue & non infectum, si debet fieri contagium. Rectè igitur in definitione dictum fuit, luem esse excrementum contagiosum, putridum, aduersarium facultatibus naturalibus, vt naturales sunt.

Cæterum cum in contagiosis morbis plurimi sint epidemici, inquisitione dignum est an lues venerea, quæ contagiosa est, inter affectus epidemicos & pestilentes sit recen

recenſenda. Pro ſolutione ſupponenda eſt diſtinctio morborum epidemicorum de qua Gal. in præfat. in lib.epidem.& in ſent.20.§.3.tertij epidem. quod alij ſint peſtilentes,qui præterquam quod vulgares ſunt,hoc etiam habent vt plurimos perimant.Alij peſtilentes qui maiori ex parte non perimunt. 2. ſciendum morborũ epidemicorũ quoſdam tales eſſe ſimpliciter, quorum tres ſunt conditiones. 1. vt plurimos homines,cuiuſuis ſexus,ætatis & temperaméti ſimul & ſemel corripiant(quod commune eſt ipſis vt ſpecies ſunt pãdemiorum) & ſimul & ſemel deſinant. 2.vt illis homines corripiantur in eadem regione, & eodem tempore, 3. vt cauſam habeant communem, qua omnes vtuntur,vt ſunt Aër,aqua,Gal. loc. cit.Alij vero ſunt Epidemici ſecundum quid, qui longè deflectunt à verorum epidemicorum natura nempe tres omnes non habent conditiones, ſed aliquas tantum. Ergo lues venerea eſt morbus epi-

demicus non ſimpliciter, nec enim fit à cauſa communi qua fruimur omnes; ſed epidemicus ſecundum quid:non peſtilens, quatenus multos cuiuſuis ſexus, & ætatis afficit eodem tempore, quorum tamen vix vllum perimit.



Quomodo excrementum venereum ſit principium omnium affectuum præter naturam in corpore.

Cap. IV.

Excrementum venereum in eſſe reſpectiuo conſideratum,cauſa eſt omnium affectuũ quos producit; ſcilicet cauſarum, morborum, & ſymptomatum, & quo maioris eſt actiuitatis paſſumque magis diſpoſitum, eo plures producit affectus præter naturam.

Quo autem modo cauſam morbi, modò morbos multos vel paucos, modò ſymptomata, modò omnia

omnia ſimul producat, cauſam refero in diuerſum excrementi illius tanquam agentis, agendi modum, & variam patientis diſpoſitionem. Quod ad agens etſi perpetuo contagioſum ſit, calidum, putridum, aduerſarium facultatibus naturalibus; nihilominus quo diuturnior eſt & vehementior eius actio, eo plures & grauiores affectus excitat. Quod ad patiens, prout modò eſt ſpiritus, modò humores, modò continentia, varij item naſcuntur affectus. Si itaque leuis fuerit agentis actio & magis per caliditaté agat, faciet intemperiem calidam, vel in ſpiritibus, vel in ſolidis, &c. Vnde poſſunt fieri ephemeræ. Si diuturnior & fortior fuerit eiuſmodi actio, non ſolum calefaciendo, ſed etiam corrumpendo aget, ſicque cauſa eſſet variorũ morborum, modò enim magnitudinem imminutam, modò numerum diminutum, vt dentiũ caſus, vuulæ conſumptiones, modò auctũ, vt thymos, condylomata, ſicut in ano; modò figuras

vitiatas : aliàs solutiones continui efficit, vnde caries in pene.

Causa est causarum, quatenus humoribus putridis per metastasin, in aliquam partem decumbentibus fiunt tumores, aliquando frigidi, duri, vt gummata, verrucæ, &c. Alias calidi & inflammatorij, vt bubones; pro excrementi natura, vt calidum vel frigidum fuerit naturaliter, vt mordax vel acrimoniæ expers, quod idem in partes contiguas irrepens earũ soluit vnitatem.

Sæpe etiam causa est causarum quatenus partes corrumpens, sibi simile excrementum producit per epigenesin, à quo deinde plures morbi.

Est item symptomatũ causa non tantum mediata quatenus morbum facit, vnde plura sequuntur symptomata; sed etiam immediata, vt habet rationem erroris externi; scribit enim Gal. 3. de sympt. caus. cap. 1. Actionem lædi non solùm ob morbos partium, sed etiam ob errores externos, videlicet quos enumerat:

excre

excrementorum copiam improbat, in læſa chylificatione, ſed addit, ab excrementis erroribúſque externis, abſque morbi concurſu nec partes dici laborare, nec propriè actiones lædi, ſed vitium tantum eſſe in illis excrementis. Sic itaque excrementum hoc venereum ſua præſentia poteſt eſſe cauſa quo minùs non fiant, aut non bene fiant actiones, etiam non excitato morbo, ſed hoc rarum eſt.

Ex ſymptomatis autem quibus maxime afficiuntur infecti hac lue, perpetuò quidem læduntur actiones naturales, vt dictum fuit, potiſſimum autem coitio, poſtea verò animales, minimum omniũ vitales. Ex animalibus principes non ita frequenter læduntur, maxime autem ſenſitiuæ, motrices. Ex principibus imaginatio deprauatur in vertigine venerea, abolentur vero omnes in Epilepſia venerea. Ex ſenſitiuis læditur viſio in cæcitate venerea, deprauatur auditus in tinnitu. Tactus deprauatur in dolore

vago, sæpissime autẽ ostocopo. Ex excuntibus mutatis sunt Alopecia venerea, defluuium pilorum, catarrhus, gonorrhœa. Ex qualitatibus mutatis visibilibus macies, fœdus color corporis; ex odorabilibus fœtor, ex tangibilibus asperitas cutis, caliditas corporis, titillatio dentium, &c. vnde iure dictum fuit in definitione excrementum venereum secundum suum esse respectiuum esse principium omnium affectuum præter naturam.



Quæ luis venereæ in corpore sit assignanda sedes.

CAPVT V.

HActenus quis affectus præter naturam sit lues venerea, nunc quæ eius maxime in corpore sedes sit inquirendum: ea certè non est caput, vt quibusdam visum est, cum sæpissime de dolore capitis non conquerantur ægri,

ægri, neque eius affecti vlla prodeant signa; non pudenda, vt alij censuerunt: non cutis, vt placuit Leoniceno qui inter morbos cutaneos luē recensuit; sed quæuis pars corporis, vt postrema definitionis verba docent; cum enim aduersetur facultatibus naturalibus vt naturales sunt, & hæ sparsæ sint per singulas partes, erunt profecto omnes subiectum adæquatum huius luis, prout illis facultatibus donatæ sunt, quod patet ex febribus venereis; quæ etiam omne corpus occupant, & effectus sunt huius luis, siue sint ephemerę, siue hecticæ aut alię; nec obstat quod omnes partes simul ac semel perpetuo non afficiat. Id enim in potentiam resistendi ipsarum ferendum est.

Dixi adæquatum subiectum esse partes quasuis, quia subiectum eius præcipuum & frequentissimum est iecur, tum quòd ratione venarum cutanearum, vt superius exposuimus, statim in consensum ducitur, delatâ ad ipsum aurâ venenatâ, tum

quod fons est facultatis naturalis: & hinc color corporis mutatus ad liuidũ,coctiones deprauatę & abolitæ,macies,torpor vniuersi corporis, licet aliquando contingat ipso non affecto cerebrum principaliter affici,aut lienem aut ventriculum, quod propria earum partium symptomata indicant nullis apparentibus signis morbosi iecoris. Vnum excipitur cor,quod ob dignitatem, densitatem, robur principale luis venereæ subiectum esse non potest, vnde omnes febres venereæ, symptomaticæ seu nõ principales sunt.

Cæterum cum in quauis parte reperiantur,ipsum continens, contenta & impetum facientia,potest modo vnum,modo aliud ex tribus illis primo auram venenatam recipere & ea infici.

Nec est censendum in spiritus prius sortes cadere, tum in humores, postea in solida, quod illi ob substantiam tenuissimam facile recipiant auram venenatam, quod enim Gal.aliquando dixit de febribus,

bus, idem de hac lue intelligendum; ephemeram non semper prehendere spiritus, sed solida prius incandescere ob efficientis naturam & patientis dispositionem.

Obiicitur non posse infici spiritus venerea lue, tum quod ex se corruptionem non admittant, tum etiam quod ipsa cito dissolueretur & intra 24. horas vt ephemera. Resp. dato non putrescere spiritus vitales solos, quod respectu aliorum qui in corpore sunt, ignei sint; id tamen de naturalibus negandum est, quippe qui sint tantum tenues sanguinis exhalationes, vt notat Altimarus, & ideo nō minus quàm sanguis corruptioni obnoxij. Patet autem quod spiritus qui lue inficiuntur sint naturales cum ipsis peculiariter illa aduersetur. Talis lues cito dissoluitur, vt aliquando vix sensibilis sit, alias per triduum perdurat, vt de quibusdam gonorrhœis constat.

Dices 2. non posse humores huius luis esse subiectum, quia sic ne-

cessario phlebotomia vel catharctico medicamento curaretur. Resp. non iuuare aliquando phlebotomiam, quod excremẽtum illud putridum non euacuetur simul cum reliquo sanguine per venã sectam, item nec purgationem per pharmaca, quare hæc non aduersatur lui. quod si daretur quod à proprietate ageret in ipsam, profecto tolleretur catharctico, sed non datur.



De causis luis venereæ.

CAPVT VI.

CAusarum morbificarum alię externæ προκαταρκτικαὶ, aliæ internæ. Gal. de caus. pulſ. 1. cap. 1. lib. de causis morborũ cap. 2. Externam causam luis venereæ assignauimus in definitione cum diximus (*à simili*) extrinsecus enim accidens lues sibi similem efficit in corpore vicino cui suam virulentiam communicat. Hæc autem contingit vel fœtu existente in vtero, seu

ſeu ante ortum,vel poſt ortum.

In vtero dupliciter fit, vel in 1. generatione dum generatur ex ſeminibus impuris parentũ infectorum, præſertim ſi laborent gonorrhœa venerea, & hæc lues dicitur hæreditaria, vel dum nutritur ſanguine materno impuro lue infecto.

Poſt ortũ contingit potiſſimum concubitu cum muliere infecta, vnde à pudendis contrahitur lues, ſic ab ore oſculo, effuſione, vt loquitur Fernel. ſi ſaliuam acceperit, eandem contrahit ab ore infans, pollutum lac nutricis ſugens,à cute ſummíſque partibus dormiens cum inquinato.Primis temporibus cum malignior erat affectus, vſu cyathorum & poculorum in quibus infectus bibiſſet cõtrahebatur lues, vſu etiam vel minimo veſtimentorum, ſed nunc cum mitior euaſit non ita facilè recipitur.

Porrò voce (*à ſimili*) intelligo ſimilitudinẽ ſpecificam, non autem actiuitatis & impuritatis,cum enim actio fiat à proportione maioris

inæqualitatis,non autem minoris, vel æqualis,hinc eſt quod impurus à minus impuro,luis venereæ gradus plures, & portionem non recipit,ſic nec impurus ab æquè impuro afficitur, ſed tantum purus ab impuro,vel minus impurus à magis impuro, vt notat Fernel. lib. de lue venerea cap.4.

Internæ cauſæ ſunt diſpoſitiones illæ patientis, de quibus ſupra, ſcil. calidum humidum temperamentum,vnde ſenes & qui ſunt frigidioris habitus, etiamſi frequentius coëant cum meretricibus minus tamen inficiuntur; præterea mollities & raritas corporis:ſic qui tardi ſunt in eiaculando ſemine,facilius afficiuntur lue,non ſolum ob diuturniorem moram cum infecta: ſed etiam quia magis incaleſcunt & rarefiunt in longa attritione pudendorum.

Sic etiam teſtatur Fallopius ſe non vidiſſe duos inter mille qui haberent detectam glādem & præputiū decurtatum, infectos lue venerea;

nerea; quoniam detecta glande durior & callosior sit eius caro, & contra, quibus præputium oblongius glandem obducit, ij vel minimo concubitu inficiuntur ob molliciem glandis, sic os, labia, vulua, podex, papillæ mammarum, facilè luem contrahunt ob mollitiem, ipsa verò cutis ob raritatem, quam calefactio excitat, fuliginem veneream facilè admittit.

Inter causas externas recensendus amor ille eroticus, de quo supra, & hinc est quod multi mariti lue venerea infecti, vxorem nisi longo tempore non inficiunt, quod aliunde non fit, nisi quod absque amore, sola cõsuetudine ducti concumbunt, cum etiam vxori odio sint: & contra infectus lue venerea vxorem recenter ducens, eam statim afficit, aut aliã, quod dum mutuis amoribus in complexus ruunt, misera vxor incalescens & rarefacta auram vel humorem venereum statim recipit.

Luis



Luis venereæ species & differentiæ.

CAPVT VII.



Differentiæ & species rerum colliguntur ex definitione Gal. 1 meth. cap. 3. Cum autem apud Medicos definitiones affectuum præter naturam, sint ex tribus causis (finalem enim in re præter naturam nullam admittunt) hinc est quod etiam ratione illarum trium causarum differentias & species affectuum venentur, à forma, à subiecto, denique à causa efficiente.

Quoad formam prout excrementum illud contagiosum putridum magis vel minùs tale erit; sic leuiora vel intensiora erunt morbi & symptomata, & ideo lues alia grauis, alia leuis, sic quo viscidius fuerit excrementum, eo diuturniores erunt affectus, & sic lues breuis, alia diuturna.

A subiecto differentiæ sunt; quod alia

alia lues continentia tantum quædam afficiat, iecur, ventriculum, vel cerebrum aut lienem; alia totum corpus, vt febris venerea. Deinde alia est in contentis, alia in impetum facientibus, scilicet spiritibus naturalibus, ex quibus etiam tres exurgunt luis differentiæ. Prima, Ephemera, non quidem ratione temporis, sed leuitate affectus & subiecto, quæ aliquando insensilis est, alias sola lassitudine corporis & mœstitia; alias solo barbæ & pilorum defluuio citra aliam corporis noxam innotescit, affectis tamen spiritibus mala illa aura; iisdémque ad radices pilorum delatis, aut propulsis. Secunda dicitur putrida, quę humores occupat, vnde dicitur lues venerea putrida, melancholica, pituitosa, biliosa, sanguinea, hæc si leuis fuerit, carie benigna coronæ glandis penis, gonorrhœa diuturniori, tum bubone in inguine se ostentat; si grauior, rubræ & flauæ pustulæ, siccæ non purulentæ, circa frontem, tēpora, totumq; vultum,

mox

mox & totum corpus apparent, quæ deinde in vlcera transeunt, erodúntque primò carnes molliores, faucium, narium, ani, &c. tum reliquum carnosum genus.

Tertia differentia febri hecticæ respondet, cum in spermaticas partes, membranas, ligamenta, tendones, ossa, venereum excrementum defertur, in quibus arthriticos, tensiuos, tractiuos, ostocopos dolores replendo excitat; tum etiam erodendo, acrimonia virulenta ingentes facit cruciatus.

Contingit sæpe actione luis venereæ & patientis dispositione à prima specie in alias progressum fieri, vt ideo illæ tunc rationes subeant non tam differentiarum quàm graduum; sæpe etiam tanta est luis immanitas vt primo insultu in partes solidas irruat, nulla aut leui spiritibus communicata offensione. Differentiæ etiam ex causa, satis ex dictis intelliguntur.



Diagnoſtica luis venereæ generalia ſigna.

CAP. VIII.

SIgna luis venereæ alia diagnoſtica ſunt, quæ ipſam præſentem demõſtrant, alia prognoſtica; quæ eius euentum ſignificant. Rurſus diagnoſtica alia generalia ſunt, quæ luem in genere demõſtrãt. Alia particularia, quibus eiuſdem differẽtiæ & gradus innoteſcunt. Singula methodo ſimeiotica inueſtigo, à concomitantibus, antecedentibus, conſequentibus, iuuantibus. A concomitantibus, ſeu eſſentialiter inhęrentibus nulla luis ſigna habentur, quia cum agat per ſuas proprietates, & hæ nobis ſint incognitæ, cum à tota ſubſtantia prodeant, ſignis etiam nullis, quæ illam eſſentiam concomitentur, ſe prodere poteſt.

Ab antecedẽtibus ſcil. cauſis, ſuctione lactis nutricis infectæ, coitu

cum muliere infecta,&c. ex quibus nec τεκμήριον & demonstratiuum elicitur indicium:non enim necessario colligitur lue affici eum qui concubuerit cum muliere infecta: sed probabiliter tantum, ob causas superius mihi allatas.

Itaque ad consequentia statim est confugiendum,& discurrendum per symptomata in actionibus læsis omnium generum, in qualitatibus mutatis, & in exeuntibus mutatis per morbos triplicis generis.

Quamprimum enim aliquis infectus est lue venerea, primò ex actionibus animalibus læsis cognoscitur, nempe grauatiuo dolore & lassitudine totius corporis, segnitie & torpore corripitur,partim à somno, idque 2.aut 3. à concubitu die, infectis scil. spiritibus tum animalibus, tum naturalibus, qui robur toti corpori præbēt; afficitur etiam dolore vago quarundam partium, nunc caput, nunc humerus dexter, mox sinister,alias crura afficientur, ac eius causa in vaporem è minera

quadam

quadam elatum referenda eſt;ſed is dolor potius noctu exacerbatur; præterea ex mœſtitia ſine cauſa in non aſſuetis, qui enim natura ſua fuerit iucundus & hilaris, is correptus hac lue mœrore proſternitur, ob vapores venereos mentis aciem petentes,ſanguinemque adurentes, vel perturbantes,vnde ſymptomata tenebricoſa.

2. Ex qualitatibus mutatis, potiſſimum viſibilibus, ſcilicet colore faciei,qui enim ſplendido & ſereno fuerat vultu, is omnino mutatur, quin eſſentiale & pathognomonicum fere ſignum apparet, circulus liuidus in inferiori palpebra oculorum, qualis mulieribus cum menſtruas purgationes patiuntur contingit:ſpiritibus enim naturalibus, quibus plurimum abundat vultus ea lue infectis, antiquus ſplendor langueat neceſſe eſt, quo languente, palpebrarum (quæ eo ſpiritu illuſtrantur) calor diminutus circulo illo liuido ſe prodit.

Tum ex tangibilibus.Perſentitur

inſignis

insignis calor ad volas manuum & pedum plantas etiam hyeme, cum illæ partes plurimas venas & arterias suscipiāt, ad quas hepatis summus calor sese effudit, adde proportionem naturalem longitudinis & crassitiei manuum cum hepate.

Tertiò ex exeuntibus immutatis, vt gonorrhœa, est. a. hæc seminis continua & inuoluntaria profusio non erecto pene, pendens à frustrata retentrice partium spermaticarum ob vaporem vel humorem venereum, quæ in hoc distinguitur à nō venerea, quod illa semel coëundo contrahatur; quod satis fætida sit; quod sit cum tolerantia ægri, cum exeat materia acrimonia & malis qualitatibus molesta, tota substantia peccans; diu perdurat. Non venerea autem, vt plurimum à nimio fit coitu, cito desinit, nisi sit ex catarrho; est cum molestia, & aliquando consumptione ægri, cùm excernatur materia alimentaris, vtilis denique ex iuuantibus, venerea non cedit remediis per qualitates

mani

manifeſtas agentibus, ſed tantum alexipharmacis luis.

Inter exeuntia immutata eſt defluuium capillorum, aliquando etiã alopecia & ophiaſis, quæ vitia non tam fiunt ex cutis aut agentis caloris vitio, vel materiæ defectu, quàm eiuſdem corruptione à ſpiritu naturali infecto. Materia hæc corrupta eſt pituita ſalſa, bilis vtraque à priſtina forma decedẽtes. Familiare eſt hoc ſymptoma nutricibus bilioſis, hæ namque ſi lue corripiantur ſtatim hoc defluuio laborant, quia facile iis ad cutem demittuntur excrementa fuliginoſa, ob caliditatem & ſiccitatem morbi.

Quæ in principio negotium faciunt ſunt caries, per quas intelligo vlcera quædam peni, aut ſinui mulierum ſuperueniẽtia, ſimilia cariei ligna exedentis. Tres autem dantur cariei ſpecies, benigna vna eſt, ſcilicet puſtulæ quædam paruæ & candidę, quibus apertis remanet vlcuſculum rotundum, puncto candido circa media donatum; ad maximam

copiam

copiam quandoque excrescunt hæ pustulæ, adeo vt totam coronam glandis cingant, vel ex duabus vel tribus vnum fit vlcus continuum. In hac specie vlcus continuum & dolor leuis est, pruritus moderatus, ad cuius curationem sufficiunt leuia medicamenta.

Secunda est sæuior, scilicet ex vlceribus rotundis profundioribus, quorum media liuescunt, labris leuiter euersis, purpureo colore.

Tertia omnino immitis est, scilicet ex vlceribus malignis non rotundis, sed variarum figurarum, variorumque colorum, partim liuidis, & purpureis: serpunt hæc & partes misere depascunt, cum labiis callosis; quibus hisce cariei speciebus generationem præbent primò contactus impuri & cariosi pudendi in coitu, deinde sordes retentæ in pudendo affecti lue, licet in ipso nec vlcus, nec caries appareant; dum enim per frictionem incalescunt, elato vapore fit caries.

Tertiò denique hepatis infecti vitium,

vitium, cuius robore cum transmittitur excrementum in partes superiores fiunt aphtæ in ore, cum in inferiores plerumque fiunt caries, qui posterior modus generationis grauissimus est, nec nisi multorum dierum scil. 30. vel 40. spatio fit.

Prior leuissimus est & intra semidiem contrahitur, & ob id vt in posteriori ad remedia generosiora deueniendum, cum interna viscera subierit lues; sic frustra in priori ea administrantur, in quo etiam ineptus est vsus Guaiaci.

Secundò in numero morborum venereorum sunt bubones in inguine, per quos intelligo frigidum vel calidum tumorem glandularum inguinum, seu emunctorij hepatis, vel intumescentium in propria substantia (& in magnam molem excrescit talis tumor) vel in membrana inuestiente ipsam glandem; aut in ipsa cauitate inguinum (& talis paruus est) vtrisque generationem præbet, aut sola aura venenata per venas pudendorum immediatè in

inguina

inguina delata, hepate bene se habente, & talis 1. 2. aut 3. à concubitu die apparet; aut hepar infectum, sese in proprium emunctorium ab eiusmodi materia venenata expurgat.

Venereum autem bubonem à non venereo distinguūt ex antecedentibus, coitus cum aliqua muliere ante aliquos dies; prægressa gonorrhœa; absentia aliarum causarum, ob quas etiam tēpore sanitatis contingunt bubones, vt sunt labor nimius, iter longum, &c. A concomitantibus, si adsint vlcera tibiarum, si caries in pene, quamuis absque eis bubones venerei superueniant aliquando. Cognoscitur item ab eo, quod cum bubo venereus vt plurimum sit à frigida materia, cuius signum est carentia ruboris & doloris, incessus non impeditus, hinc est, quod vt plurimum non peruenit ad maturationem: quod si sit à calida materia (quod dolor, rubor, calorque significant) facilè his eam assequetur.

Tertiò

Tertiò ex morbis luem ſequitur febricula, quæ circa veſperam quandoque etiam tertianis & quartanis circuitibus exacerbatur: huius cauſam in humorem venereum putreſcentem in foco luis refero.

Vltimò cognoſcitur hæc lues ex iuuantibus; ſi enim affectus venereus qualiſcumque ſit non cedat niſi ἰδίοις ἀλεξιφαρμάκοις, ſi non iuuent qualitatibus manifeſtis agentia, indicium eſt eius certiſſimum.



Prognoſtica luis venereæ ſigna.

CAP. IX.

HÆc ſunt quæ omnem luem partim verò naſcentem ſignificant in vniuerſum, nunc ſigna differentiarum perſequor. A forma, grauis lues & maximæ actiuitatis ſignificatur, ſi vnico coitu contrahitur, ſi cito lædit, ſi cito magnos habet dolores & labores, ſi difficilis in tolerantia, ſi plures partes afficiat; & contra leuis eſt.

Confirmatam luem demonstrant, quæ putridam luem grauiorem significare diximus cap.7.scilicet pustulæ illæ rubræ, liuidæ, vel flauæ, latæ,quæ frontem,mentum, totosque vultus fœdant, & mentagram efficiunt, earum causa est hæmatopoiiticæ frustratio in iecore infecto, vnde biliosus sanguis generatur & ad cutem defertur, vel ὁμοιώσεως in singulis partibus frustratio,vitio alimenti,quod ob qualitatem malam non adglutinatur partibus, sed totum in excrementa vertitur, vnde fiunt pustulæ, quarum color varius est pro humoris morbifici varietatè. Durities verò exustionem sequitur, & inueteratam iam à quatuor,quinque vel sex mensibus testatur; idem docet caries callosa,cæteraque vlcera callosa. 3. laxatur & pendet multum vuula, vnde raucedo, cum scilicet communicatur pestis cerebro,cuius crudiora excrementa in illas partes delabuntur:sic tumoribus afficiuntur αἰλικάδες seu amygdalæ ob eandē causam

causam: vlterius progressam, & omnino inueteratam, atque hecticam luem significant dentium & palati exesio, immo & ipsarum cartilaginum narium, quam efficit sanguis adustus, vel mucus pituitosus, qui acrimoniam summam adustionemque sibi comparauerit; in quo casu non nisi ad potentissima adiumenta atque remedia præsertim hydrargyri vsum est deueniendum. Præterea dolores stabiles intensissimi per totum fere corpus. Præsertim verò caput, humeri, periostia, &c. non quidem in articulis: sed in ipsis mediis artubus, vbi etiam tophi oboriuntur qui ad vesperam atrocius concitāt vsque ad mediam noctem, quorum causa tum in humorum prauorum ab hepate, aut alio foco in illas partes metastasin, est reiicienda, tum in epigenesin, quod tales in singulis partibus generētur & ibi detineantur. Auget nox cruciatuum magnitudinem, quod huic affectui peculiare est, quoniam calor tunc in intimis coarctatus, va-

pores virulentos in partes transmittit,& dolores auget,tum etiã quod coctioni, actioni naturali quæ noctu felicius celebratur, aduersetur lues, tum etiam quod eo tempore maximè moueantur humores vsti: ex doloribus vigiliæ nascuntur.

Tertiò, in hectica lue gummata seu duri tumores, albi,atheromatici,concrescunt, in capite,brachiis, tibiis,totóque habitu fiunt,à minera frigidiori & crassiori, quæ per metastasin, vel per epigenesin in illis partibus detinetur,qua tandem putrescente excitantur caries in ossibus.

Quartò, tinnitus aurium perpetuus Fallopio primum animaduertente negotium facit; causam habet vaporem venereum à cerebro in aurem internam delatum, qui cum nõ quiescat pellitur vel sponte mouetur, & dum impingit in membranam, per ossicula sonum edit:quum verò continuus est eius accessus,& causa continua,generatio quoque continua,hinc est quod

cont

continuus eſt pariter tinnitus.

Quintò, vlcera cacoëthea & thelephia, virulenta quæ vniuerſum corpus aliquando occupant, his adde aſthmata, conuulſiones, lipothymias, ſyncopes, quæ non niſi hecticæ lui contingunt.

Signa loci particulariter affecti, & domicilij luis venereæ ex tribus fốtibus ſimeioticis propoſitis ſunt deſumenda, verbi gratia cerebri læſi principaliter ſignum eſt ex antecedentibus vſus pilei infecti, vel pannorum infectorum, ex conſequentibus dolor capitis continuus gummata in capite, depilãtio, tinnitus aurium, vuulæ relaxatio, dolores arthritici. Ex iuuantibus; ſi cephalica rite adminiſtrata non iuuent, niſi permixta alexipharmacis, denique ſi nullius viſceris affecti ſigna appareant.

Quod ſi ventriculus principaliter fuerit læſus, ex antecedentibus, contracta fuit lues forte oſculis effuſioribus, partim ſi illico biberit vel comederit patiens, vt ideo ſaliua

infecta, ventriculum petierit, sic diuturnior vsus poculorum infectorum, suctio lactis infecti. Ex consequentibus, aphthæ oris, nausea, sitis, chylificatio lęsa. Ex iuuantibus gastrica conferunt, alexipharmacis permixta.

Si iecur sit domicilium, ex antecedentibus, coitu cum infecta lues fuit contracta, ex consequentibus, bubo in inguine dextro, tensio hypochondrij dextri, pustulæ illæ rubræ, latæ, duræ, variolis similes per totum corpus, præsertim verò in dextris, icterus flauus, hæmatosis deprauata, iuuant hepatica alexipharmacis mixta.

Si lien sit fomes, ex antecedentibus sunt bubo in inguine sinistro, tensio sinistri hypochondrij, hæmorrhoides, condylomata in ano, ficus, vuæ, porri, verrucæ, pustulæ elephanticæ per totum corpus, vlcera ad sinistrum crus, magisque sinistræ partes afficiuntur. Iuuant splenica, alexipharmacis permixta prosuntque.

Si vterus, ex consequentibus sunt

ſunt ſuppreſſi menſes vel eorundem profluuium, gonorrhœa, caries pudendi muliebris, dolor ad regionem vteri & mammæ. Ex iuuantibus conferunt hyſterica alexipharmacis permixta.

Cæterum poſt vſum remediorum, cognoſcendum an lues ſit euicta omnino, an verò adhuc lateat; ſi caries cum difficultate ſit ſublata, ſi ſanatis vlceribus remaneat tumor, & dolor aliquis; ſi perſiſtant adhuc ſymptomata aliqua & morbi, breuiori curatione fuerit vſus æger, vt tantum per 12. vel 15. dies: ſed hoc de lue ſecundi, vel tertij gradus, non de ephemera intelligendum eſt.



De præſagiis luis venereæ.

CAP. X.

MAior artis prædicendi pars poſita eſt in præuidenda victoria ex parte vel morbi vel virtutis, tum etiam tarditate vel

breuitate iudicij, vtrumque assequimur collatione facta rerum præter naturam cum rebus secundũ naturam, à quibus sperãdus triumphus.

His autem affectus venereus raro mortem infert, nisi aut omnino negligatur, aut graue aliquod peccatum in eius curatione committatur à Medico, vel assistentibus, vel ægro ipso, causam securitatis refero in robur cordis, quod ob id nunquam præcipuum est luis domicilium.

Qui tamen lue sanata in morbum incidunt acutum, difficulter liberantur, rationem colligo ex decretis Hipp. 3. coac. sent. 25. vbi sic loquitur, *qui fractis viribus delirant, pessimè habent*, id est, si prostratis viribus naturali & vitali accedat delirium, vix vlla superest spes; sic si prostratis viribus, à lue venerea, & languescente iam calore natiuo partium, præsertim hepatis succedit acutus morbus, periculum imminet mortis.

Qui semel sanitati ex lue restiturus

tutus fuit, quamuis integrè, tamen facilius inficitur contagio venereo, quàm alius, propter iam contractam dispositionem.

De magnitudine & contumacia huius luis diuersa ratione præsagiendum est, pro variis differentiis, & gradibus eius, vt enim ephemera leuis est, etiamsi defluuio capillorum defœdetur æger, sic hectica lues aliquando perducit ad febrem hecticam & marasmum, quod alias in vsu decocti Guaiaci & siccantium animaduertere mihi licuit, & quæ ossium caries cartilaginumque putredinem iunctam habent, & in internis visceribus vlcera & tubercula, ea difficillimè aut vix sanantur.

Sic si virtus sit robusta, corpus boni habitus, ætas iuuenilis, quæ facilè ferat præsidia, melius sperandum, quàm è contra, vnde est quod senibus ob virium imbecillitatem & excrementorum copiam lues venerea vt plurimum est lethalis.


Quo plures partes internæ afficiuntur, eo grauior est lues, & grauissima, si principes, cerebrum, cor, & hepar laborent, habet enim magnitudinem dignitatis, quæ non tanta est, vbi vnica tantùm pars sit eius domicilium, minor quidem si lien, maior si ventriculus & vterus; adhuc intensior, si iecur, & adhuc si cerebrum. Tunc tamen ad summum discrimen perducit, cùm iam refrigerato iecore, cachecticus fit habitus, imminetque hydrops aut atrophia, & patiens contabescit.

Asthma superueniens lui, omnē salutis spem tollit: etenim naturalium & animalium partium, atque actionum motiuarum imbecillitatem summam testatur, & innati calidi cerebri imminentem extinctionem, vnde tanta excrementorum copia in pulmones decumbit.

Qui post vsum hydrargiri non sanantur, grauius laborant, ob summam magnitudinem, ab vsu tamen iuuantium propterea non desistendum, Hipp. enim ait 2. aphor. 52.

Omnia

Omnia ſecundum rationem facienti, ſi non ſuccedat ſecundum rationem, non eſt tranſeundum ad aliud, ſtante eo quod à principio viſum eſt.



Luis venereæ indicationes curatoriæ.

CAP. XI.

INualuit opinio apud quoſdam, luem veneream abſque methodo & indicationibus, ſola experientia & empeiria tractandam eſſe; fauet fortaſſis eorum opinioni quod docet Gal. 3. meth. cap. 6. quæ tota ſubſtantia nobis ſunt aduerſaria, extra methodum eſſe: ſed omnia per experientiam inueniri, talem autem eſſe hanc luem conſtat ex prædictis; verum erronea eſt hæc opinio, quamuis enim particularia alexipharmaca præſidia luis ſola experientia nobis cognita fuerint, ipſum tamen quid agendum genericum & ſpecificum, eiuſque recta

administratio solis indicationibus comparatur.

Ergo cum hæ indicationes tantum desumantur à morbo, causa & virtute.10.meth.cap.11.per singula indicantia est discurrendum.

Excrementum venereum toto genere præter naturam indicat eradicans, seu secundum totam substantiam auferens.Gal.14.meth.18. sed inutilis & inartificiosa est hæc indicatio.lib.de opt.sect.14. vtilior erit specificando eradicans, vt scilicet cum excrementum aduersetur tota substantia facultatibus naturalibus, etiam indubiè eradicetur medicamentis tota substantia in ipsum agentibus & facultates naturales roborantibus, qualia sunt quædam bezoardica seu alexipharmaca.

Quòd si excrementum illud peccet non solùm qualitate occulta, sed etiam manifestis qualitatibus iam corrigendum erit secundum hæc vitia particularia, & ideo quod calidum est, quia caliditatem

potest

potest inurere corpori, refrigerandum.

Et quoniam est causa causarum, morborum,& symptomatum, illis consulendum est.

A causis quidem externis nullam indicationem desumit Gal. 4. meth.siue coitu,siue suctione lactis fuerit contracta lues, quia indicans debet esse necessario in corpore humano.

A causis antecedentibus vel continentibus luis,eędem sunt indicationes, quæ excrementi venerei in vniuersum, & vt peccant motu reprimenda apocrusticis, seu repellentibus, vt sunt in termino à quo, intercipiendæ in spatio per quod reuellendæ ad alium terminum ad quem,deriuandæ,ab eo loco,in quo iam quiescere incipiunt.

Morbi suas proprias habent indicationes curatorias, febris refrigerans,vlcera abstergens,exsiccans, sarcoticum & collecticum,epuloticum,seu cicatrizans, &c. de quibus in singulorum curatione agetur.

Sympro

Symptomata venerea etiamsi per se nihil indicent,cum tollantur ad sublationem morbi, quem sequuntur, vt vmbrã corpus. 12. meth. 10. tamen quia sæpe habent rationem causæ, vel augentis morbum,vel minuentis vires, ideo per accidens indicant.

Maximè indicatio in lue sumitur à viribus,quæ sui custodiam indicant,scilicet singularum partium (quæ domicilia sunt luis) calidum innatum & temperamentum custodiendum, permixtis appropriatis medicamentis cum alexipharmacis,vt si iecur sit focus,hepatica; si ventriculus, gastrica; si cerebrum, tephalica,si vterus hysterica;si lien splenica,vsurpanda sunt.

Verum ex Gal,doctrina 2. meth. 3. excrementa quæ in primis viis continentur,habent rationem causæ sine qua non, propterea scribit idem luem particularem aliquam curationem suscipere, absque præuisione vniuersali;ideo antequã ad indicata particularia deueniamus, com

communi purgatione humorum toti corpori consulendum.



Luis venereæ therapia.

CAP. XII.

IN curando hoc affectu sermonem aggrediar ab iis præsidiis, quæ excremento illi vniuersaliter aduersantur, tum quæ pro singulorum affectuum, scilicet morborum & symptomatum sublatione conueniant sigillatim proponam. Materia præsidiorum indicatorum è tribus vulgaribus fontibus desumitur, chirurgico, pharmaceutico, diætetico.

Quod ad chirurgiam est in primis venæ sectio, quæ, cum adest principalis scopus, magnitudo morbi à plethora, vel exquisita, vel cacochymica; vel lues generatur ex sanguine, omnino confert; tum ex se, tum quòd cum sanguine excernatur aliqua portio excrementi venerei,

nerei, qualecumque illud sit, denique quod, vt cum Gal. loquar 11. meth. cap. 15. natura ex eo, quo veluti sarcina premitur concoquet quod concoqui est habile, & excernet quod debet excerni.

Citissimè autem administretur hoc præsidium, expurgatis primis viis, quia vrget lues sua præsentia. Intellige, nisi virtus sua imbecillitate prohibeat, aut aliquando bubo in inguine, quo solo suppurato, aut natura aut suppurantibus medicamentis, expurgatoque sanatur lues quandoque omnino, quare cum Hipp. 1. aph. 20. quæ iudicantur, & iudicata sunt integrè, neque mouere, neque nouare liceat, sed sinere, ideo si aperto bubone, sufficiens sanies excernatur, vena non est secanda, quia prohibetur naturæ motus ad curationem susceptus, imo nec impediendus hic naturæ motus cum adhuc fluxio in emunctorium sit in ipso principio. Hipp. enim lib. cit. aph. 2. quæ ducere oportet, quo maxime natura vergit eo ducenda, per

per loca conferentia. Signum autem eſt non amplius fieri fluxionem, ſi ceſſet bubonis dolor, ſi rubedo vel ceſſet, vel non augeatur, denique ſi incrementum non ſuſcipiat, etiam dum ambulat æger; ad quorum omnium certiorem notionem expectandus dies 3. quod ſi amplius non fiat fluxio, ſi etiam ſuppurato bubone ſufficiens non fit excretio(ſufficientem autem declarant ſymptomatum & aliorum morborum venereorum abſentia, ſeries affectus, copioſa excretio) audacter venam ſecare oportet, hic quidem quia diminutus motus indicat adiuuans, quod docuit Gal. 9. meth. cap. 5. exemplo fluoris menſium deficientis, tantumque detrahendum quo ex vtriſque communiũ perficiatur quod poſtulat illic, vt exonerata natura melius concoquat, vt hepatis robur augeatur, validiuſque propellat materiam virulentam ſeu veneream; Deinde vt accedente humore tenui & calido, vaporum calidorum, eiuſque præ-
ſentiæ

ſentię beneficio;ſuppuretur tandem bubo. Verum opus eſt diſtinctione venarum, ex quibús ſanguis educendus eſt, namque in poſteriori caſu ſi amplius non fiat fluxio præſente bubone, ſecanda eſt vena accommodata domicilio luis, vt ſi ſit cerebrum, cephalica, ſi iecur, baſilica dextri: ſi lien, baſilica ſiniſtri, itidem ſi ventriculus aut vterus, ſaphena. In priori verò cum ſuppuratus bubo diminute expurgat, iuuandus naturæ conatus, ſecta ſaphena malleoli recti κατ' ἴξιν. hæc enim ab iſchiatica bifurcatione originem habet: ac ea quantitate ducatur ſanguis, quam ſuggerũt ætas, temperamentum, äër, itemque ſecundarij ſcopi. Inter cęteras chirurgicorum præſidiorũ materias ſunt fonticuli, qui vbi contumax eſt lues inurendi brachiis vel cruribus, prout eius domicilium in vna vel altera parte fuerit, & ſic, ſi in cerebro, inuratur brachiis, ſi in vtero, cruribus, &c. ſeruata rectitudine, cæteræ materiæ in peculiari mor-

borum

borum & symptomatum curatione proponentur.

Ex pharmaceuticis remediis sunt lenientia, alterantia, purgantia & bezoardica: antequam secetur vena, leniatur aluus pridie enemate communi, sequenti die exhibeatur per os leniens medicamentum, verbi gratia.

℞ decocti comm. med. ℥ iiij. adde fol. senn. mundat. polypod. querni recentis. ana ʒ iij. anisi, coriand. præparati ana ʒ j. ß. in colat. diss. electar. lenit. & cathol. ana ʒ iij. syrup. ros. solut ℥ j. ß. fiat potio detur mane.

In bolo autem vt sequitur.

℞ pulp. cass. recent. extract. hieræ picræ an ʒ iij. sacch. q. s. misce fiat bolus.

In pilulis.

℞ mass. pilular. assaiereth. mastich. ana ℈ j. alephang. ʒ ß. cum syrup. ros. solut. fiant pilulæ v. deauratæ, capiat post primum somnum.

Lenita aluo præparentur humores qui maximè negotium faciunt, & quo

& quoniam vt plurimum calidiores, & vsti hi sunt, ideo antequam expurgentur, concoquantur hoc apozemate, ex Hipp. decreto, concocta medicari oportet, non cruda.

℞ rad. cichor. buglos. acetos. an. ℥ j. rasuræ ligni sancti ℥ ß. fol. fumariæ endiu. borrag. scabios, melissæ, acetosæ, agrimon. ceterach. absynth. pont. pentaphilli ana m. j. sem. citri, cucurbitæ an. ʒ ij. flor. cichor. borrag. violar. an. p. ij. fi. omniũ decoctio ad ℔ j. ß. in colat. dissol. syrup. de cichor. simpl. de fumar. an. ℥ ij. de pomis compos. ʒ vj. M. fiat apozema pro 4. dos. clarific. & aromati. ℈ iiij. pulu. triasantali.

Expurgetur hac potione.

℞ prædicti apozem. q. s. addendo fol. sennæ mundat. polypod. querni an. ℥ ß. anisi, coriandri an. ʒ j. ß. in colat. diss. confect. hamech, cathol. an ʒ ij. ß. syr. ros. solut. ℥ j. ß. misce, fiat potio.

In pilulis.

℞ mass. pilular. aggreg. ʒ j. pilul. de lapide lazuli ℈ j. cum syrupo de fumaria,

maria, fiant pilulæ ſex deauratæ.

In bolo.

℞ confect. hamech. ʒ ſ ij. cathol. ʒ iij. ſem. citri contuſi ʒ j. ſacch. q. ſ. fiat bolus.

Si humores pituitoſi & viſcidi peccent, expurgentur poſt conuenientem inciſionem, deterſionem, quod fit hoc apozemate.

℞ rad. ſcillæ, ſarſæpar. liquir. an. ℥ j. raſ. ligni ſancti ʒ v. fol. meliſſ. chamæpit. abſynt. beton. capill. ven. agrimon. mentaſtri, origani. an. m. j. ſem. citri, fœniculi, baccar. iuniperi, ana ʒ ij. fol. ſalu. anthos, geniſtæ. an. p. ij. fiat omnium decoctio ad ℔ j. ß. in colat. diſſ. ſyrupi de abſynt. & de ſtœchade an. ℥ ij. oxymel. ſimpl. ℥ j. miſc. fiat apozema pro iiij. doſibus, clarific. & aromatiſ. ℈ iiij. puluer. diarrhod. abbatis.

Purgetur ſic in potione.

℞ fol. meliſſ. beton. menth. ana m. ß. hermodact. ʒ j. aniſi ʒ ij. fiat decoctio ad ℥ iiij. infunde agaric. trochiſc. ℈ iiij. gingiberis gr. v. in expreſſ. diſſ. diaphœnic. & diacarth.

ana

ana ʒ ij. hieræ picræ ʒ j. ß. syrup. ros.solut.℥.ij.misce,fiat potio. Empyrici fœliciter vtuntur solo puluere hermodactylorum.

Vel in pilulis.

℞ pilular. de hermodact. ʒ ß. cocciar.fœtid.an.℈ j.cum aq.beton. fiant pilul.v.

In Bolo.

℞ hieræ picræ ʒ iij. diaphœnic. ʒ ij. sem.citri ʒ ß. sacch. q. s. misce fiat bolus.

Si peccent mineræ biliosæ, illis præparandis vtile est hoc apozema.

℞ rad.acetos. gram. cichor. ana ℥ j.rasur.guaiaci ℥ ß.fol. endiu. cichor.bugl.portulac. agrimo.acetos. lactucæ an.m.j.sem.4.frigidi maior. ana ʒ ij.flor.nymph. cichor. violar. ana p. ij. fiat omnium decoctio ad ℔.j.ß.in col.diss.syrup.de endiu. de cichor. ana ℥ ij. acetos. simpl. ℥ j. misce fiat apozema pro 4. dosib. clarific. aromatis. ℈ iiij. pulueris triasantali.

Iisdem expurgandis, &c.

℞ prædicti decocti q. s. in infunde

rhei electi ℈ iiij.santali citrini ℈ ß. in express. dist. elect. de succo rosֶ ℥ ij.syrup. ros.solut.℥ ij. misce, fiat potio.

In pilulis.

℞ mass. pilular. aurear. & de rheo an.℈ j.aggreg.ʒ ß.malaxentur cum aq.cichor.& fiant pilulæ deauratæ,

Vel in bolo.

℞ medull.cass.recent. extract. ℥ ß. diapruni solut.ʒ iij.anisi ʒ ß.sacch. q.s.fiat bolus.

Licebit aliquando apozemate laxatiuo in naturis delicatioribus humores expurgare,qui modus vtiliter epicraticus est,verbi gratia.

℞ fol.endiu.cichor. bugloss. celerach.fumariæ, scabios. beton. ana m.j.fol.senn.mundat.℥ j.ß.anisi,coriand.præparati an.ʒ ij.flor.cordial. ana p. j. fiat omnium decoctio, ad ℔ j.ß.in colat.diss.syrup. ros. solut. ℥ iiij.sacch.℥ iij.misce pro iiij. dos. matutinis, quibus vtile fuerit turbith in panno raro ligatum cum suo zinzibere incoquere, aliaque catharctica ab humore indicata.

Purga

Purgato vniuerso corpore sæpissime debellatur lues, si leuis fuerit, aliter iteranda bis vel ter purgatio, si opus sit, tum deueniendum ad ea quæ luem respiciunt, quæsi non agat nisi caliditate, & leui putredine, hoc electario statim eiicitur, quod recipit alterantia, siccantia, roborantia, alteratricem singularum partium & bezoardica.

℞ conseru. bugloss. violar. cichor. ana ℥ iij. mithridat. electi ʒ iij. pulu. cortic. guaiaci ℥ ß. hepatis lupi præparati ℈ ij. puluer. scord. sem. citri ana ʒ j. diarrhod. abbatis, triasant. ana ʒ ß. cum syrupo de pomis, fiat opiata de qua vtatur singulis diebus mane, ad quantitatem vnius auellanæ, continuando per xxx. dies.

Quod si lues altiores infixit radices, tum puris vtendum est alexipharmacis; horum autem duo sunt genera, quædam ob similitudinem quam habent cum natura, adeo ipsam roborant, & facultatem expultricem partium, vt hæc statim insurgat in excrementum illud

venereum,

venereum, & talia sunt Guaiacum, eius cortex,& sarsaparilla. 3. sassaphras: vltimò china, quę etiam qualitatibus manifestis non parum iuuant, resoluendo, siccando, attenuando, detergēdo, vellicando, &c. Alia summam dissimilitudinē cum natura humana; similitudinem verò cum lue venerea, adeo incitant expultricem, vt hæc insurgendo cum impetu expellat; & tale est hydrargyron.

Quamuis autē quatuor prædictis varij vario modo vtātur, vt in decocto, puluere, pilulis, electuario, vinis artificiosis &c. mihi tamē placet hæc ratio, vt, vbi ephemera vel hectica sit lues, sola exhibeantur absque cathartico, vbi verò humores seu contenta afficiuntur, illis etiam immisceantur cathartica, prioris modi exemplum hoc est.

℞ rasur. ligni sancti ℥ iij. cort. eiusdem, sarsæparillæ ana ℥ j. ß. infundantur per diem naturalem in ℔ vj. aq. font. deinde bulliant lento igne, ad consumptionem

medietatis (plus vel minus) addendo sub finem coctionis fol. card. bened.buglosſ.fumar.cichor.beton. lupul.capillor.vener. (vel alia quæ appropriata ſint domicilio luis) ana m.1.colentur & ſeruetur colat. in vaſe vitreo.

♃ Reſidentiam prædicti decocti, antequam herbæ immittantur,aq.font.℔xij.vini albi generoſi ℔ v.fiat leuis decoctio ad cõſumpt. vnius tertiæ partis,colatura dulcoretur ſacch. q. ſ. aromatiſeturque pauco cinamomo, & ſeruetur pro potu ordinario.

Prius decoctum ♃ ſarſam cum Guaiaco, quod vt hoc ſuo amarore,calore,ſiccitate, acrimonia, tenuitate excrementum ipſum venereum attenuat,reſoluit,extergit; ſic ſarſa particulariter luis ſymptomata magis expugnat, atque quod caliditatis ſit expers,Guaiaci calorem temperat,eiuſque aliis incommodis medetur, quemadmodum Guaiacum vice verſa eius noxiam ventriculo ſubſtantiam emendat.

Porro

Porro quod ad rectam administrationem huius decocti, quæ præsertim in quantitate, tempore & modo versatur, non omnes eodem calopodio, vt cum Galeno loquar, de tuenda sanit. sunt calceandi, quemadmodum nec decoctum eadem ratione perpetuo parãdum, sed quantitas in viro, ventriculo robusto, frigidiori natura, anni tempore vernali, aut autumnali, maior sit quàm in puero, imbecilli ventriculo, natura delicatiori, temperamento calido, æstatis tempore, vt cum tota dosis sit ab ℥ iiij. ad ℥ x. in pueris non excedat ℥ vj. in robustioribus ℥ viij. in robustissimis ℥ x. sumpta indicatione ab actione luis, & virium robore.

Tempus vniuersale exhibendi, sit tandiu quandiu lues vrget sua præsentia, nec cessant symptomata; ad xxx. xl. l. lx. dies, imo centum si tandiu obediat æger, vt minimum autem ad dies xv. particulare tempus est bis in die, 3. aut 4. horis ante pastum, licet matutina dosis debeat

excedere veſpertinam, quod plus intercedat temporis inter cœnam & decoctum matutinum, quàm inter hoc & cœnam: verum quemadmodum primis quatuor diebus non niſi ſemel exhibemus decoctum: quod ex conſilio Hippoc. pedetentim ipſi ſit aſſuefaciendus ventriculus; ſic exactis diebus xxx. aut xl. exhibendum tantum ſemel, non quod calidum innatum eius vſu per ſe lãgueat: ſed quod ſudoribus, vel aliis excretionibus nimiis diſſoluatur, vnde contracta ſiccitate ſæpe habitus fit maraſmodeis.

De modo item variè ſtatuẽdum, ſunt qui perpetuo ægros torrent excitatis ſudoribus in hypocauſto. Cenſeo ego hæc bezoardica roborare expultricem omnium partium, vt ideo liberum ſit naturæ per viam quamcumque ipſi accommodatiorem excrementum venereum expellere, & propterea expectandus eius motus, & attendendus primis diebus, itaque quo natura vergit, eo ducendum.

Quod si à tenui Guaiaci substantia promota per cutaneas partes, expurgationes moliatur (quod frequentissimum est) iuuanda diaphoreticis, & hydroticis, diligenter tecto corpore, vesicis aqua calida plenis detentis sub axillis, lateribus candentibus, vino aspersis, & obuolutis panno lineo, admotis ad plantas pedum, &c. sin minus, istis omissis iuuandus naturæ conatus: optimum autem fuerit, perpetuo exhibere calidum decoctum, vt facilius penetret in venas & facultates naturaliter roborando melius agat; tum verò diuretica, cathartica, vomitoria exhibenda, si per eas vias progrediatur natura, quod certè rarissimum est. Assumpto decocto dormiat æger, vt illud facilius ventriculi actionem subeat, atque iam si nobis constet naturæ motus per viam sudorum, non statim iuuandus, tecto corpore: sed post horam, vt medicamentum diuturniori mora in ventriculo de potentia in actum commodius reducatur.

Cæterum, vſu Guaiaci, vt & omnium hydroticorum & diaphoreticorum omnino ſupprimitur aluus, Gal. com. vlt. ad aphor. vlt. ſect. 4. & lib. de atra bile. cap. 4. vnde excernuntur tenuiores excrementi venerei portiones, reliquæ craſſiores in partibus ſtabulantur, pro quo conueniunt enemata alternis diebus aut ſingulis iniicienda: octonis autem, aut duodenis diebus exhibeatur catharcticum, verbi gratia in pilulis.

♃ pilul. de lapid. lazuli aggreg. an. ℈ j. cocciarum & de hermodact. ana ℈ ß. cum aq. fumar. fiant pilulæ vj. &c. In potione confert confectio hamech cum decocto accommodato, quod recipit fol. ſennæ; quo tamen copioſiores erunt ſudores, eo longius inter catharctica interponendum interuallum.

Præter hunc modum exhibendi Guaiacum & ſarſam, ſi æger delicatior fuerit, & emaciatus, parandum decoctum in iure carnis, addita rad. chinæ, quæ ob ſubſtantiam

pingui

pinguiorẽ,qua donatur;macie confectis omnino confert. verbi gratia.

℞ raſ.ligni ſanct: ℥ iij.rad.chinæ in talleolas inciſę,ſarſæpar.ana ℥ j. aq.font. ℔ vj.fiat infuſio per diem naturalem, deinde adiecta carnis veruecinæ, vel pulli aut caponis ℔ j.ß.fiat decoct.ad cõſumptionem medietatis aquæ,& integram carnis decoctionem; facta colatura ſeruetur,vt ſupra. Ex reſiduo poſſet parari ſecundaria decoctio pro potu ordinario.

Vbi longior decocti vſus faſtidium fecerit ægro,probantur pilulæ ſeq.cum opiata ſuperiori,quibus per aliquot dies vtatur,tum redeat ad decoctum.

℞ puluer. ſarſæparil. cort. Guaiaci an.ʒ iij.mithrid.electi ʒ ij.cum ſyrup.de cichor.malax. ſimul, fiant pilulæ xv.capiat v. ſingulis diebus, loco decocti.

Si lue venerea afficiantur tantum humores, in putrida lue confert cum catharcticis Guaiacum & ſarſam parillam immiſcuiſſe, quod

pluribus modis fieri potest, in pilulis, vino, potionibus, &c.

Exemplum vini.

℞ rasur. ligni sancti ℔ iiij. fol. card. bened. endiu. cichor. borrag. ana m. iij. anisi, cumini an. ℥ j. fol. sennæ mundat. ℔ j. turbith. gummosi ℥ ij. rad. ellebor. nigri ℥ j. caryophil. ʒ iij. macis ʒ j. incidantur incidēda, contundantur contundēnda, simulque omnia in sacculo ligentur & suspendantur in cado vinario mundo, eique vini albi feruentis ℔ lxxv. aq. xxv. superaffundantur, deinde bulliant. Post macerationem factam per triduum, clarū seruetur vinum, cap. æger ab ℥ iij. ad ℥ vj. alternis diebus semel tantum quinque horis ante prādium, cui superdormiat diligenter tecto corpore.

Exemplum pilularum.

℞ puluer. hellebor. nigri ʒ ij. turbith electi ℥ ß. fol. senn. mund. ʒ vj. corticis Guaiaci, sarsæparillæ ana ℥ j. sem. anisi. ʒ j. cum syrupo de pomis, fiat massa, detur à ʒ ß. ad ʒ ij. pro dosi. Ex iisdem pulueribus cum

syrupo

ſyrupo multo fieri poteſt electuarium molle,vel opiata cum cõſeru. cichor.bugloſſ.&c.

In horum omnium exhibitione ſæpe contingit poſt xv.dies, vt dolores & ſymptomata quædã ſæuiſſima inſurgãt,velut arthritides,&c. quibus omnino deterrentur ægri; ſed hæc nullius ſunt momenti,cum ex diſſolutione & attenuatione excrementi venerei in vapores oriantur diſtenſiones perioſtiorum,&c.

Verum non rarò contingit luem tantæ eſſe actiuitatis, vt iis non ſuperetur, quare experientiâ compertus fuit vſus hydragiri à Iacobo Carpenſi ; cum enim ſcabiei antiquæ , malignæ , & pſoræ omnino conferret , empirici analogiſmo in luem veneream , cum in principio vlceribus totũ corpus defœdabat, tranſtulerunt. Agit hoc imperfectum metallum in luem veneream, non ſimilitudine qua donetur in corpore humano,vt Guaiacum,ſed diſſimilitudine cum partibus; ſimilitudine verò ſubſtantiæ veneficæ

cum muco pituitoſo, & excremento venereo, in quod eodem modo agit, quo rheum in bilem.

Licet autem quamplurimi grauiſſimi viri, præſertim Fernelius, lib. de lue venerea, & Montanus Veronenſis eius vſum omnino oderint, tamen animaduerti in praxi, plurimos diuturniori tẽpore Guaiaci decocto fruſtra fuiſſe vſos, qui ſtatim hydrargiro fuere ſanati: quare vt grauia affert ſymptomata, prauè adminiſtratum, ſic poſt vniuerſales purgationes, & Guaiaci vſum, quo viſcera roborentur, ne ab eius ſubſtantia venefica lædantur, plurimum mihi commendatur in lue venerea contumaci, niſi tamen virtus prohibeat, pueri enim ob neruorum imbecillitatem, ſenes ob virium lapſum, qui etiam antequam afficerentur lue,obnoxij erant conuulſionibus,paralyſi, anginæ, item & febricitantes hydrargirum non ferunt.

Tribus autem modis adminiſtratur,in vnctione, in ſuffumigio, in pilulis,

pilulis, verbi gratia.

℞ hydrarg. saliua hominis ieiuni extincti ℥ iij. axung. suillæ. ℥ ij. misc. per horam in mortario, deinde adde theriac. elect. antiq. ʒ vj. ol. laurini, iuniperi, mastich. an. ℥ j. iterum tanto tempore agitentur, tum adde pulueris tenuissimi baccarum lauri, Castorei, iuniperi, thuris an. ʒ j. ß. quibus omnibus diligenter permixtis in mortario, adde ceræ nouæ ℥ iij. fiat linimētum secundum artem. In cuius recta administratione animaduertēdum ne in quantitate, vtendi modo, & tempore vllus cōmittatur error; quantitas seu dosis sit ab ℥ j. ad ℥ iij. indicatione sumpta à maiori vel minori luis actiuitate, & virtutis robore, vbi sero partes vngendæ sunt, artus omnes præsertim circa articulationes, inter caput & sinum ossis, tum etiam spina dorsi, sed antequam vngantur aperiendi pori frictione ab infernis ad supernas; locus in quo molienda est vnctio, esto calidus & prope ignem, vt

facilius penetret linimentum. Modus est, vt actu calidum admoueatur fricando item penetrationis gratia, tum imponantur partibus inunctis stupæ, ex lino vel cannabe, & cum petiis lineis fiant ligaturæ. Post vnctionem decumbat æger in lecto calido, & dormiat si fieri possit per duas horas, vel saltem quiescat; tum ita inunctus & obuolutus, cibetur. Quando autem & quandiu est agendum: cum lues summæ actiuitatis sua præsentia vrget, adeo vt cœtera non profuerint, fiat tribus diebus continuis, semel in die matutinis horis, tum interpositis aliis tribus diebus, repetatur denuo, quousque nouem vicibus inungatur æger non vltra, vt placet circulatoribus & barbitonsoribus. Cum enim post secundam vel primam etiam inunctionem sæpe succedat euacuatio per os, quam saliuationem vocant, (quo tempore vnctione non amplius indiget æger) si post nouem vices non sequatur sputum; signum est totum corpus mi-
neris

neris excrementitiis repleri, vt hydrargiri vis permeare non possit, vnde in medullis ossium hærens non rarò reperitur; in quo casu indicium est iterum concoquendi & expurgandi humores, tum si opus sit, redeundum ad vnctionem, atque ne mineræ fæcales saliuationi obsint, singulis diebus expurgandi enematis, vbi aluus non est libera.

Dum fit saliuatio inunctionis tempore hydrargirum inficit partes oris, gingiuas corrodit, inflatur palatū & lingua, dentes vacillant, &c. quibus incommodis subuenit annulus, vel nummus aureus ore detentus, ei enim statim agglutinatur mercurius; eradicandus postea iniecto annulo super carbones, non multum ignitos, iterumque ore detinendus.

Inquisitione hic dignum est, cur, quomodo, & per quas vias oris, excrementum venereum transmittatur ab hydrargiro siue assumpto, siue admoto. Resp. id fieri tum ob spirituosam hydrargiri substātiam, quæ

quæ statim superiores petit partes, vbi incalefactum fuerit, secumque rapit excrementum venereum; tum quia principium neruorum (quibus potissimũ aduersatur hydrargirus, vt docent plurimæ historiæ) scilicet cerebrum in consensum ductum; ipsum, humoresque lue infectos, dum ad caput accedunt, repellit per vias oris, tanquam cerebri canales.

Suffumigia sunt etiam empiricorum inuentum, quibus methodice aliquando vti licet, vbi Guaiaci decoctum non iuuerit; duorum autem sunt generum, alia particularia, ad quarũdam partium affectus, tenesmos, rhagades, seu fissuras ani, pudendorum, manuum, aut depilatione, &c. Alia vniuersalia quæ totum corpus vacuant; rursumque hæc sunt duorum generum, alia componuntur ex benignis medicamentis, alia admittunt venenata pharmaca; ambo meatus corporis aperiunt, interiores partes subeunt, ipsasque detergunt, præsertim vero cerebrum per ipsas narium vias,

cor

cor per bronchia pulmonum, iecur per venas exterius patentes, vnde ſequuntur euacuationes per ſudores, alias per aluum, ſæpiſſimè autem per ſputa, & ſudores ſimul.

Sed ad hæc nuſquam deueniendum niſi poſt vniuerſalem purgationem, & vſum Guaiaci, ſaltē per aliquot dies, imo etiam improbatur illorum vſus in temperaturis calidis ſiccis, gracilioribus, in diſtillationibus a capite, in anguſtiis pectoris, in homopthoiſi præcipue dyſenteria, lienteria, quemadmodum omnino confert opthalmicis venereis contumacibus, in depilatione (roborantur enim pori cutis capitis) in arthriticis doloribus.

Exemplum leuioris eſto.

℞ olibani, aloës, myrrhæ ana ℥ j. caryophil. cinnam. nuc. moſc. ſpicæ nardi an ℥ ß. ligni aloës, ſpyracis ſiccæ an. ℈ ij. moſchi gr. ij. fiat puluis craſſiuſculus inſpergendus ſuper prunas pro ſuffumigio.

Venenati ſuffitus recipiunt arſenicum, cinnabrium factitium, præcipitatum,

cipitatum, pro basi compositionis, & ob id non nisi in prædictis casibus contumacioribus vsurpandi, cum suis tantum infestis qualitatibus luem debellent, exempli gratia.

℞ cinnab. ℥ ij. auripigm. ʒ iij. præcipitati ʒ ij. thuris, aloës, mastich. ladani, styracis siccæ, benioini an ʒ j. fiat omnium puluis crassiusculus, inspergendus super prunas pro suffitu secundum artem, vel parentur pilulæ ex iisdem pulueribus permixtis cum therebinthina, & iniiciatur vna super prunas.

Pro recta administratione suffituum, quoniam plurimum vires prosternunt, vnde syncope; ob id primò exhibentur oua duo sorbilia, tum ingrediatur æger cubiculum calefactum, & tentorium quod recipiat vas candentibus prunis refertum, nudusque sedeat non longè à vase & iniectis pulueribus fumum hauriat; tandiu autem moretur, quandiu per vires licebit, scil. ad summum per horam manè & vesperi, nisi virtus prohibeat, fiat

tribus

tribus diebus continuis,& vbi tantundem cessauerit æger,iterum repetatur ad nonam vsque suffumigationem.

Si tamen tertia die superueniat diarrhœa, vel aphthæ in ore per sputa, desistendum plane; incumbendum autem ne omnino concidat æger, dum ibi moratur, egressus autem decumbat per horam in lecto calfacto,vbi diligenter tectus sudet.

Frequentissimus apud nostrates exhibendi hydrargirum modus est per os, in pilulis, quæ ipsum, vel præcipitatum recipiunt, quibus etiam aliqua purgantia miscentur, quod consilium si methodicè fiat plurimum mihi probatur, exempli gratia.

℞ præcipit.optimi, rhei electi ana ʒ iij.diagrid.ʒ ß.farinæ hord.℈ iiij. theriac. antiq.electæ ʒ j. confect. alcherm.℈ ij. thereb.venet. q.s. fiat massa,ex qua formentur pilulæ duæ pro drachma, detur vna singulis diebus manè continuando prout visum

visum fuerit, seruata congrua victus ratione.



Cap. XIII.

Symptomatum venereorum particularis therapia.

HÆc quidem genericè omni lui expugnandæ conueniũt, verum quoniam excrementi illius venerei plures grauesque sunt effectus, & affectus; tam morbi quàm symptomata, quæ peculiarem Medici operam exposcunt, siue ei epiphænomena, siue συνεδρεύοντα fuerint, particulari therapia consulendum, quod cum in morbis nullam dubitationem faciat, sic nec in symptomatis; cum, vt habent rationem causæ, ea indicare scripserit Gal. 12. meth. 1.

Caries quidem cùm sit vlcus indicationes habet detergendi, siccandi: si maligna sit, callo obducitur, sic cum habeat rationem causæ

sine

ſine qua non, primò ſui eradicationem indicat, itaque in benigna ſic procedendum.

℞ Vnguenti de tuthia ℥ iij. vngatur corona peius:vel,

℞ aq. plantag. & roſar.an. ℥ ij. alum.rochæ ʒ j. miſc.in maligna ſi nullomodo adſit callus fiat decoctio pro lotione,ex fol.plantag.roſ. cum multo ligno guaiacino; vel vng.de tuthia cum puluere Guaiaci ſuperponatur.

In maligna calloſa, exedatur callus medicamento cathęretico,vt ol.de calcantho (quod ſemper ab aquapendente fiebat) aqua forti, præcipitato,puluere vitri combuſti, ſquamma æris, vnguento ægyptiaco,quorum guttula aliqua,vel portiuncula, acumine ſpecilli in vlcus immittatur,ſuperpoſito deinde vnguento roſato, vel vnguento albo camphorato propulſandæ inflammationis gratia.

Quod ſi in tantam molem callus excreuerit,vt reductionem præputij etiam inflammati & calloſi impediat,

pediat,

pediat, fiſtula plumbea dilatatur, primis quidem diebus parua, aut ſaltem immittatur in foramen vrinarium; tum maiori, donec omnino intra octo dies detegatur glans: interim verò inungitur ol. amygd. dulcium, pomata, aut pinguedine gallinæ.

Verrucæ, ficus, thymi, ſæpe adnaſcuntur in præputio, vel corona glandis, aliquando poſt caries, loco cicatricis; alias abſque iis à ſanguine craſſo & fæculento oriundæ, vel etiam per hyperſarcoſin, quorum aliæ venereæ ſunt, aliæ non venereæ. Indicant ſui eradicationem, cum ſint morbi in numero aucto, toto genere præter naturã; hoc fit vel filo ſerico, quo arctè ligentur, poſtquam ablutæ fuerint vino tepidiori, obuoluto deinde præputio, cum panno aq.roſ. madefacto; ſequenti enim die nigræ euadunt, & ſponte decidunt; quod ſi radix remanſerit, tolletur ol. de calchanto, vel aqua aluminoſa, aut ol. de ſulphure, ad guttas duas, alias eradicantur

cantur solo puluere sabinæ aut verrucariæ, præsertim si benignæ sint, si verò malignæ venereæ, probatur arsenicum præparatum, pauca aqua ardēti, præcipitatum ol.de guaiaco mixtu, cum alumine:puluis vtriusque ellebori, & cætera cathæretica. Verum ne horum cathæreticorum vsu inflammetur glans, vel penis, vnguento de cerussa camphorato foueantur:deletâ verrucâ locus affectus instar vlceris sanetur.

Condilomata vulgo cristæ non lōgè absunt à verrucis, siue in pene, siue in ano reperiantur, per quæ intelligo tuberculum carnosum induratum; sunt autem duorum generum, alia tenuia, & tolluntur medicamentis propositis, vel maiora & crassiora quæ ferro & igne indigent, quod si superueniat hæmorrhagia, compescatur ferro cādenti, vel ipso oleo de calcātho, vel quod melius est, puluere stegnotico, qui recipiat thus, pilos leporis, sang. draconis, bolum armenam, aloën cum oui albumine.

Rhaga

Rhagades afficiunt volam manus, plantam pedis, & anum, suntq; rimæ & fissuræ callosæ quæ ad annos plurimos à confirmato scil. morbo perdurant; his generationem præbet pituita salsa, vel melancholia vsta partes distendens, & acrimonia continuum soluens.

Sunt autem duorum generum, aliæ venereæ, aliæ non, illas dignoscunt Fallopius & Zethius, quod vsu alliorum & ceparum augentur statim, imo duplo maiores fiunt; curandi indicationes sunt retundendi acrimoniam humoris per epicrastica, vniendi solutionem colleticis, tum cicatrizandi epuloticis. Itaque si guaiaci decocto non cedant, aut sarsæ parillæ cum purgatione totius corporis, probatur hoc balneum.

℞ rad. malu. alth. an. ℥ j. fol. scabiof. scordij, quinquefol. oxylap. an. m. ij. capit. veruecis num. 1. bulliant omnia in aq. communi ad carnium consumptionem, paretur balneum particulare, in quo calidiori immer_antur

mergantur manus & pedes, manè & vesperi, vel fiat incessus pro rhagadibus ani:tum exsiccata parte,

℞ ol. amygdal.dulc. rosſ. axung. ſuillæ an.℥ j.ceruſſ. hydrarg. ſaliua hominis ieiuni extincti an.ʒ ß.ceræ albę ʒ x.miſce fiat linimentu ſecundũ artem, fiſſuris calidé admouendum:ſi contumaciores ſint, deueniendum ad inunctionem & ſuffitus ex cinnabrio, qui in hoc caſu plurimum probantur.

Topica ad rhagades,durities tollatur, tum ſi contumax fuerit affectus,fiat ſuperius ſuffumigium ex cinnabrio,quod recipiat per infundibulum rectè in ipſius partes, bis aut ter; vel fricentur vnguento Mercuriato: ſi his reſiſtant rhagades, ſcalpello vel ferro ignito,aut cauterio corrigenda durities, vt malignitas & vlcus rectificatum ad mundationem & cicatricem perducatur.

Bubones quid ſint,& quæ eorum differentiæ expoſitum mihi ſuperius, quoniam autem eorum ſedes

ſunt

ſunt glandulæ humorum expurgationi à natura dicatæ, ob id huius motus iuuandus, vt tandem, ſi fieri poſſit, ad ſuppurationem adducantur. Dolor eſt atrox; indicat ideo ſui mitigationem, ergo quandiu eſt in fluxu minera venerea, retrahenda non eſt venæ ſectione, nec purgatione: ſed ſolo lenienti, quod recipiat electuar. lenitiuum cathol. & ſyrup. roſ. ſolut. in decocto flor. & fructuum, expurgandæ primæ viæ. Dum autem conſiſtit tumor, nec augetur, tunc catharcticum & phlebotomia plurimum iuuant, vt autem melius educatur foras, admoueatur loco dolenti cucurbitula ſine ſcarificatione cum multa flamma, & frictiones dolorificæ, coctionem verò promouentia, ſunt.

℞ diachylon. cum gummis ℥ ij. pingued. gal. ℥ ß. miſce, fiat emplaſt. admoueatur buboni, vel fiat cataplaſma.

℞ rad. alth. lilior. albor. an. ℔ ß. far. com. ℥ ij. far. ſem. lini & fœnugr. an. ℥ j. caricar. coctarum par. vij. pinguedi

pingued. gall. vet. adipis ſuilli. an. ℥ j.ß. cum decocto caricarũ & rad. prædictarum fiat cataplaſma detinendum per ſex horas, tum verò immutandum; vbi ad ſuppurationem accedit bubo, vt plurimum autem intra ſex aut octo dies fit, aperiatur autem non apparente perfecta maturatione, vt quamprimum egrediatur excrementum venereum virulentum, promoueatur autem apertio, admoto cauſtico, ſi verò dolor ſæuiat mitigetur anodyno, vt therebentina cum oui luteo, quæ immittatur in vulneris ſinum cum turunda.

Extrinſecus autem admoueatur emplaſtrum pepticum reſiduæ materiæ, vt emplaſt. de mucilaginibus, foramen pateat per 40. vel 60. dies, facta deinde turunda ex linamentis ſiccis ſuperponatur empl. roborans, putrefactionem inhibens, nouamque fluxionem impediens, cuiuſmodi eſt diapalma.

Quod ſi nec pepticis, nec alia ſuppuret arte, conſulit Capiuacc.

vt causticum admoueatur, eschara autem butyro tollatur, vt fit in fonticulis, qua sublata imponatur globulus ex cicere vel medulla sambuci, vel ex cera lota in decocto Guaiaci, cui permiscetur parum, vel colochynt. si lues sit pituitosa, aut scammonei, si biliosa, vel ellebori, si melancholica fuerit.

Gonorrhœa non est statim ineptè adstringenda, sed post præuisionem vniuersalem, & vsum decocti Guaiaci per xv. dies, conueniunt roborantia partes spermaticas, semen extinguentia, ex. gr. intrinsecus.

℞ conseru. flor. nymph. cichor. an. ℥ ij. pulu. sem. lactuc. agni casti, cānabis, mastich. an. ʒ j. sarsæparill. ℈ iiij. succini. ℈ ß. cum syr. capill. ven. fiat opiata de qua cap. ad ℥ ij. manè superbibēdo parum aq. plantag. Conuenit aliquando bolus ex cassia cum tamarindis: extrinsecus ad pubem fiat fotus sic.

℞ nuc. cupress. cortic. granat. an. ℥ j. ligni sancti ʒ vj. fol. ruthæ, lactucæ, bursæ pastor. an. m. j. fiat

omnium

omnium decoctio in vino crassiori, seu styptico pro fomento cum filtris ad pubem, tum

℞ vnguenti comitiss. ℥ ij. puluer. ligni sancti parum, misc. pro linimento pubis & renum, vel infrigidantis Gal. cum eodem Guaiaco.

Gummata quia dura, malacticis emollienda, materia autem inclusa attenuanda, & diaphoreticis resoluenda; ad quod probatur decoctum sarsæ (hæc enim plurimum discutit) & cort. Guaiaci; extrinsecus conueniunt fotus ex spuma Guaiaci; aq. ardens, in qua macerata fuerit radix alth. diachylon cum gummi, vel ℞ ol. chamæmel. laur. mastich. ol. veter. communis an. ℥ j. aq. vitæ ℔ ij. misc. simul bulliant lento igne diligenter cocta, ad consumptionem aquæ, deinde adde ammon. in aceto generoso dissoluti ʒ j. ß. myrrhæ, bdellij, an. ʒ j. sagapeni ʒ ß. thereb. ℥ ij. ceræ, decocto sarsæpar. lotæ. q. s. fiat linimentum.

Sic probatur hydrargirum saliua extinctum, cum diachilone permix-

tum,his si non sanentur gummata, fiat incisio medicamento caustico, vel ipso ferro; tum immittatur parum præcipitati.

Ossium caries & corruptio magni momenti affectus est, & hecticam luem sequitur,à teterrimis luis venereæ seminariis. Vlcus quidem venereum simplex sanatur decocto Guaiaci, &c. tum ex topicis vnguento rosato cum pauco præcipitato, vel emplastro de vigo parato cum mercurio.

Sed si os corruptum fuerit,indicat sui abradicationem,partes verò vicinæ roborandæ, ne erodantur. Aufertur os detectum scalpellis incisoriis, cum malleolo,vel scalpris rasoriis,vel denique medicamentis cathæreticis,metasyncriticis, vt ol. de sulphure,de calcantho, aq.alumin. Fallopio placet hoc præsidiũ.

℞ pulu. peucedan. aristol. rot. opopan. euphorb.an. ʒ ß. thereb. ℥ ß.ol.lilior.alb. ʒ vj. ceræ q. s. coquantur simul ad ignem, donec spissum fiat ceratum, his si non

educatu

educatur os, deueniendum ad ferrum ignitum.In capite si sit caries, non ignitum ferrum, sed secans tantum est ex vsu, metu inflammationis cerebri & membranarum; si in palato, vtendum aq. aluminos. ol. de sulphure vitrioli, per gossipium adhibitis, aqua fortis valet, sed si guttula in ventriculum eat, vlcera pessima & mortem sæpe affert;vt autem portiones vicinæ carie non afficiantur,tale sit remediũ.

℞ rad.aristot. rot. ℥ ß. myrrhæ. ʒ ij. misc. fiat puluis inspergendus super os residuum.Vlcus deinde sanetur aliorum more.

Vnguentum de plumbo ad cicatrisandum est potens.

Post cariem sæpe os basilare excedit, cũ naris interstitio, vnde vitæ periculũ ob aëris ingressum subitũ, tunc cum aliqua materia obturandum est foramẽ,vt sorbere & loqui possit commodius & ad decẽtiam.

Pustulæ quæ oris partes afficiũt, tollũtur decocto Guaiaci.Pro topico fit gargaris.ex fol.scabiosæ,capri-

fol.an.m.j.ß.flor.rof.p.iij.cum Guaiaco, fic probatur aq.plantag.in qua Guaiacum fuerit decoctum, vel

♃ aq.plant.℔ ß.fyrup.de rof.fic. ℥ iij.mifce pro lotione oris, puftulis aliarum partium, vt faciei, ani, confert fpuma decocti Guaiaci, vel ol. viperin. quo inungantur puftulæ.

In titillatione dentium, cauendam ab inunctione hydrargiri facta, & à fuffumigiis, abluantur autem dentes hac lotione.

℞ Guaiaci ℥ j.cortic.granat.rad. biftort. an. ʒ v. fol. plantag. burfæ paft.an.m.j.baccar.myrthi. ʒ ij. florum rofar.p. ij. alum. rup. ʒ ij. vini rubri ftyptici.℔ iij. fiat decoctio ad confumptionem medietatis, feruetur pro lotione oris & dentium.

Probatur etiam aq.fortis, ol. de fulph, &c. quibus inungantur & abluantur gingiuæ.

Tinnitus aurium, fymptoma eft in qualitatibus audibilibus, nihil per fe indicans, cum tollatur ad fublationem ichoris, hic autem difcutiendus, refoluendus, quod non fine

ſine negotio fit;purgato itaque vniuerſali corpore,& capite apophlegmatiſmis & errhinis, probatur decoctum Guaiaci,tum infundatur in ollam ol. de Guaiaco per deſcenſum paratum, cum pauco caſtoreo, vel opio,vel aq.imperiali,vel cœleſti cum tertia parte ſucci cæpæ, ad diſcutiendum & roborãdum, quod quoniã acrimonia ſua deprauatum agit in tactum auris, permiſcetur cum ol.amygd.dulcium, immittatur calidum in aurem diligenter mundatam ante paſtus, ſic probatur ol. caryoph. cinnamomi, ol.ex baccis lauri,de nuce moſcata.

Dolor articulorum in mediis artubus,& cephalæa tollitur tribus illis modis propoſitis à Gal. 5. ſimpl. cap. 15. & 12. meth. cap. 1. añodynis, narcoticis, & cauſam tollentibus. Vltimus modus Gal. placet,itaque poſt vniuerſales purgationes, & phlebotomiam, ſi in principio ſit affectus; in inueterato caue; & decoctum paratum cum multa ſarſaparilla addendo in fine

coctionis fol. pa. malu. altheæ, flor.chamæmeli,anethi.

Extrinsecus conueniunt attenuantia digerentia, vt fomentum hoc siccum.

℞ furfur. macri.m.ij. milij. m.j. salis communis ℥ iij. flor. chamæmel.puluerat. p. iij.calefiant omnia in sartagine,tum sacculo excipiantur,& actu calida admoueantur articulis dolẽtibus,prius irroratis aq. vitæ,humidum verò fomentum sit.

℞ sarsæpar.℥ j.fol.malu.salu. calament.an.m.j. flor.saluiæ, anthos, an.p.ij.sem.fœnugr.ʒ j.fiat decoctio in vino generoso, vel lixiuio acri pro fomento ártuum, vel lotione pedum,additur etiam fol.beton. & summit.ebuli an. m. j. tum post fomentum.

℞ ol.de Guaiac. Viperini an ℥ j. camphor. ℈ j. misc. pro linimento post fotum.

Sic probatur anodynum,quale est omentum veruecis,& vituli, calidè admotum , sic lac cum pane albiss. coctum. Vltimo ex narcoticis theriaca

riaca recens parti dolenti admota.

Si dolor sit contumax.

℞ maſſ.emplaſt. de vigo, de beton. & diuini an. ℥ ij. euphorbij ʒ ij. puluer.ireos florẽt.puluer.roriſmar. an.ʒ j.malaxẽtur cum oleo ruthac. extẽdantur ſuper alutam,in formã pilei, applicetur capiti deraſis capillis,tum per os, in bolis theriaca recens,philonium Romanum,pilulæ de cynogloſſo, hora ſomni dantur; nec extrà narcoticis vtendum, ne calor natiuus magis labaſcat.

Depilatio (non cadunt hi pili ob denſitatem cutis, aut eiuſdem ariditatem,aut laxitatem, nec ob alimenti penuriam, ſed ob corruptelam humorum radices erodentium) ſiue ſit alopecia, ſiue ciliorum & barbæ, indicationes habet vacuandi materiam veneream, acrem, erodentem radices pilorum, roborandi cutem & adſtringendi eius poros,vt pili qui nondum defluxerunt detineantur:tertiò incumbendum nouæ generationi. Ad primam conueniunt purgantia totum cor-

pus,& caput, apophlegmatiſantia & errhina,tum vſus Guaiaci, quod eſt diſcutiens & euacuans inſenſibiliter, pro ſecunda etiamſi cutis indicet roborantia & adſtringentia, tamen prohibet materia virulenta ne his ſolis vtaris., perpetuo enim foras propulſanda. At tutiſſimę dantur præſidiorum materiæ, quibus etiam adſtringentia permiſcere licet, ergo primo abluatur pars hocce lixiuio.

♃ rad.arund.℥ ij.Guaiaci,& ſarſæpar.an. ℥ j. nucum cupreſſi contuſ. numero iij. fol.beton. ſcabioſ. puleg.abrota.an.m.j.aſari.m.ß.hordei integri (ſiadſit pruritus) p. iij. aq.& cinerum vitis. q. ſ.fiat omniũ decoctio & poſt ebullitionem & expreſſionem ſeruetur pro lixiuio: ſed antea abradendi capilli, aut multum abſcindendi, lunâ creſcente,ſi fieri poſſit,tum

♃ ol.amygdal.dulc. ℥ j. decocti Guaiaci ℥ ij.pulu.rad. arundinum, abrotan. an. ʒ ij. thapſiæ ʒ ß. bulliant ad decocti conſumptionem: in ex

in expreſſ. adde faui mellis ℥ ß.ol. caryoph.ʒ j. mel.℥ j. miſc.pro linimento. Hic probatur adeps humanus,ol.ex vitellis ouorum, ex fauo mellis vel vrina ſtillat.aqua mellis ſtillatitia: quibus permiſcenda ſunt alexipharmaca; vltimo deuenien-dum ad ſuffumigia de quibus ſupra.

Maciem ſanat decoctum cum iure carnis paratum,victus plenior, balneum aq.dulcis, poſt quod vngatur æger ol. amygdal. dulc. cum puluere Guaiaci permixto.

Febre præſente, ſeu venerea ea fuerit, ſiue non,improbatur vnctio ex hydrargiro,purgantia dacridiata vitanda,&c. calidiora:decoctum ſit ex farſa, in cuius decoctionis fine, adde hordeum, acetoſam, endiuiam, &c. Extrinſecus ad iecur exæſtuans refrigerandũ,ſit vnguẽt. roſ.Meſuei,ceratum ſantal.&c. victus ſit frigidus & humidus,potus alteretur cum fol. acetoſ. endiu. lactucæ.



Cap. XV.

De congrua ſex rerum non naturalium adminiſtratione in Lue venerea.

X tribus fontibus vnde hauriuntur materiæ præſidiorum ad luem veneream, chirurgicum & pharmaceuticum expoſuiſſe mihi videor ſatis, de diætetico nunc agendum, cuius materia ſunt ſex res non naturales.

Aërem quod attinet, dum æger ſumit decoctum & ſudat, incluſus ſit in cubiculo calidiori & ſicciori, niſi prohibeat febris, duabus tamen horis à paſtu matutino, ſi ſerenus fuerit aër, ventique ſileant, licet non ſolum feneſtras aperire: ſed etiam domo egredi.

Cibi tempore decocti ſint indicationibus appropriati, vitandi δύσπεπτοι, mali, craſſi, paucique ſucci: ne autem fiat tranſitus repentinus à pleno victu ad tenuem, & contrà ſine

ſine medio,ob id in principio exhibitionis decocti, victus ſit mediocris,toto progreſſu tenuis,vt ſi fieri poſſit abſtineat æger ab omnibus carnibus,ſin non,hæ aſſatæ ſint, vt ſiccitate putredini aduerſentur, quales ſunt veruecinę,vitulinę,auiculæ montanæ,&c.ad ℥ iij.vel ℥ iiij. ad ſummum;panis ſi ventriculus ſit robuſtus,nec obſtructionibus laboret corpus,vel macie;ſit aſſatus, vel biſcoctus, quo non tam vt alimento,quàm medicaméto vtatur æger, quod iuuat,exſiccando,excrementa abſumendo,&c.è contra, ventriculo imbecilli,vel emaciato ægro,panis ſit mediocriter coctus, paratus cum fœniculo,quantitas ſit ab ℥ iij. ad ℥ v.pueris ruſticis,guloſis maior quantitas quàm ſedentariis,ſenibus & temperatis.Piſces petroſi conueniunt,amygdalæ toſtæ, vuæ paſſæ, piſtachiæ,&c.nuclei pineì,&c.

Pro potu,abſtinendũ à vino generoſo,ſed eligatur oligophorũ, tempore autẽ decocti,ſit propria decoctio,quã proprio cap. deſcripſimus.

Motus,

Motus, si arthritici dolores absint, vtilior longè est ipsa quiete, ob id non pauci hac lue affecti in principio, lusu paruæ pilæ, vel alia exercitatione sanitati restituti, excitato copioso sudore: sic dum æger decoctum sumit, potest ante assumptionem deambulare in cubiculo, vitandum tamen omne nimis.

Somnus caput replet, artus laxat, vaporum dissolutionem impedit, quare vt is probatur post assumptū decoctum; sic alio tempore vigiliæ sunt Lui accommodatiores.

Pathemata animi, mœror, ira, timor plurimum faciunt ad morbi longitudinem conciliandam, quare accessu amicorum, & rebus iucundis recreandus.

In excretis, nullus committatur error, aluus lubrica sit, tum ne vapores fœculenti in caput deferantur, tum ne ipsæ fœces sua pręsentia morbū augeāt: enematis, suppositoriis, pilulis sollicitetur aluus pigra.

A venere potissimum abstinendū, non solùm dum administrantur remedia,

media,tūc enim(vt ait alter)duplatur morbus,ob insignem resolutionem virium,vnde natura debilitata non potest venereum excremētum expellere:sed 15.& 20.etiam diebus post curationem, propter eandem virium exolutionem. Non quod,si omnino sanata lues,posset ob nouū coitum cum non infecta reuerti;sed quod inde nascantur symptomata noua, non venerea, vt ventriculi imbecillitas,febres, tumores, &c. quæ virium lapsum sequuntur.



CAP. XV.

De prophylaxi à lue venerea.

QVoniam Lues,vt plurimum fœdo concubitu per contactum contrahitur,ob id prophylaxi vti licet,ne hominē inficiat vapor venereus è sinu mulieris infectæ elatus.

Tota autem præuisio consistit in detergendo pudendo,siccando, roborādo,tum vt viscidus vapor malignus detergatur & educatur, tum

vt

vt partes vicinæ & ipſum pudendum adeò roborentur, vt virulentiam contemnant, quod fit, ſi lotio calẽte illicò abluatur glans, & totus penis, & panno tenui albo diligenter exſiccetur, vel aqua cum vino calidiore permixtis; vel

℞ fol. myrth. abſynth. an. m. j. roſ. rub. p. ij. ariſtot. rot. ℥ j. fiat decoctio in ℔ ij. vini vſque ad conſumptionem quartæ partis: colatura calente abluatur glãs, & vniuerſum pudendum, tenuique panniculo exſiccetur, vel paretur hic ſuffitus.

℞ roſ. rub. abſynth. myrrh. aloës, ſantali rubri, an. ℈ ij. præcipit. opt. ℥ ij. paretur puluis tenuiſſimus inſpergendus ſuper prunas, quo pudendum per infundibulum, vel chartam in modum cornu retortam ſuffumigetur poſt coitum, vbi primum immediatè glans lynteo mundo diligenter exſiccata fuerit.

Atque ita Tractatui de Lue venerea finem imponimus.

FINIS.